



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734


VD18 90104692

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)



Nll. 9 Th. 4785.

1716



SACRA
VETERUM TEMPORUM
UTI ET
EVANGELICA,
AC
APOSTOLICA
HISTORIA

A
R. P. FRANCISCO STEINHART S. J.

IN
EPITOMEN CONTRACTA
ET

AD RECENTIOREM VERIOREMQUE
CHRONOLOGIAM,

Novis tum Astronomicis, tum Historicis Argumentis

A
R. P. NICASIO GRAMMATICI

Ejusdem Societatis
ILLUSTRATAM, ACCOMMODATA.

Cum Approbatione & Licentia Superiorum

INGOLSTADII,

Sumptibus, JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliopolæ Academ.
Typis Godefridi Zipper, Typogr. Acad. 1734.

*Allegii S. J.
Paderborna
1746.*

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
CUM
PRIVILEGIO CÆSAREO.



*Um D. Joannes Andreas de la
Haye, Bibliopola Ingolstadiensis,
secundis typis vulgare desideret Li-
brum, cui titulus Sacra veterum
temporum Historia &c. à P. Francisco Stein-
hart, Societatis JESU Sacerdote, compositum;
& eidem Historie adjungere velit Libellum,
cui titulus: de Æra Mundi Conditi &c. à P.
Nicasio Grammatici, Ejusdem Societatis Sacer-
dote*

dote conscriptum; Ego Josephus Mayr, Societatis JESU, per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, potestate ab Admodum R. P. Francisco Retz, Societatis Nostræ Præposito Generali mihi concessa, prædicto Domino ad hanc Editionem impertio Facultatem, & simul jus concedo usurpandi Privilegii Cæsarei, quò Typographis & Bibliopolis omnibus prohibetur, ne istos Libros citra consensum Superiorum vel recudere, vel intra fines Imperii & Hereditarias S. C. M. Provincias inferre præsumant. Facultatem horum manu mea, & consuetò Officii Sigillò firmavi. Oeniponti
13. Octob. 1733.

Josephus Mayr.



SACRA VETERUM TEMPORUM HISTORIA. DEUS.



Deus mundum condidit tempore, quo primum ver esse cœpit in illis terræ plagis, quas postea primi homines incoluere. Primâ quidem mundi die ac feriâ creavit Cœlum superum, ac innumeros in eo Angelos. Quorum tamen magna pars, dum superbi nolunt quippiam amplius gratiæ Conditoris debere, paulò post ex ea divinæ Majestatis Regia cum rebellionis auctore Lucifero fuit ejecta ac perpetuò exclusa. Cum Cœlo simul creavit terram; immensum verò inter utrumque spatium aquis implevit. Et quidem Cœlum luce mirabili statim fulsit; aquarum verò abyssus ac terra primas duodecim horas in tenebris latuere. Tum verò lucem etiam in aquis produxit; quæ ab oriente surgens cursu suo intra sex horas natali primorum parentum solo meridiem attulit. Inde per aquas pergens totidem horis ad occasum properavit, ut emenso inferiori hemisphæriò ad ortum reverteretur, & diem quoque secundum ac tertium efficeret.

Creaturæ Cœli
lum & terra;
Genesis c. 1.
v. 1. ad 6.

Fir-
mentum.
à v. 6. ad 9.

Secundâ mundi die aquas Cœlo propiores ab interioribus & terræ vicinis discrevit, vastumque inter utrasque spatium æthere ex aquis producto repletum interposuit, ac firmamentum appellavit, quod post empyreum & aqueum tertium erat Cœlum.

Terra germi-
nat.
à v. 9. ad 14.

Tertiâ die terra, cum hæctenus fuisset planè rotundâ ac solidâ, variis undique locis omnipotenti vi elevatur, & alicubi in montes ac colles attollitur. Quò factum est, ut in superficie ingentes cavitates seu valles, & intra viscera terræ multæ passim cavernæ existerent; atque inter cæteras grandis illa impiorum Angelorum ac hominum tormentis destinata, quam Deus etiam materiâ sempiternis incendiis idoneâ replevit. Eadem operâ metalla, fossilia cætera, omniumque lapidum genera producta sunt. Interim aquis, quæ adhuc erant sub firmamento, partim in aëra conversis, partim in terræ cavernas & cavitates defluentibus emerit terra, Europa, Asia, Africa, America, ac Insulæ. Simul autem orta sunt Maria, Oceanus, Mediterraneum, Nigrum, Caspium, Balticum, Freta, Sinus, Lacus, Paludes, Flumina, quæ fontibus è terra erumpentibus orta, ac subin affluentibus rivis aucta per varios mœandros atque flexus cœperunt versus mare decurrere. Terra, ut primùm fuit aquis libera, germinare cœpit, & stirpium, plantarumque genera omnia propagare in ea præsertim Asiæ parte, ubi magnus fons seu gurges de terra ascendens in quatuor capita seu flumina Tigrim, Euphratem, aliâque duo sese divisit; ibi enim plantaverat Deus Paradisum omni hortensium deliciarum genere admirabilem. Gen. 2. à v. 8. ad 15.

Sidera pro-
creantur.
à v. 14. ad 20.

Quarta die Sol, Luna, Planetæ reliqui, & stellæ per firmamentum dispersæ procreantur luce illâ primigeniâ vel extinctâ, vel soli aut etiam aliis sideribus attributâ. Et Solem quidem Deus in Cœli parte posuit, in qua nunc primo apud nos vere solet existere; Lunam verò ex opposita pleno jam lumine, ut sic primo statim tempore faceret officium, ad quod destinabatur, scilicet ut præset nocti. Designavit deinde tum Soli ac Lunæ, tum reliquis Planetis ac stellis viam, quam suo per Cœlum cursu teneant, voluitque ut alternatim terram diu noctûque illuminent, sint in signa pluvix, serenitatis, ventorum, tempestatum &c. sintque in tempora, ver, æstatem, autumnum, hyemem, in dies & annos.

Oriuntur pi-
ces & aves.
à v. 20. ad 24.

Quintâ pisces ex aqua & volucres oriri jubentur, statimque mira varietate & copia pisces natârunt in mari, lacubus & fluminibus,

nibus, volucres volitarunt per aëra. Utrique generi benedicens DEUS vim ac propensionem multiplicationis largitus est.

Sextâ produxit è terrâ aquis mixtâ innumerabiles animantium terrestrium species, jumentorum, reptilium, & bestiarum. Postremò haud procul Paradiso ex limo terræ hominem formavit, spiritûque animatum, Adamum appellavit. Ex ejus verò postea consopiti latere costam cum adhærente carne exemit, atque ex ea reliquòque terræ limo Evam mulierem finxit, largam conjugibus benedictionem impertiens, quâ terram multa posteritate replerent.

In Paradisum introductis plenam in cœtera viventia domi nandi & quibuscunque herbis ac frugibus terræ vescendi potestatem dedit. Unam solum arborem excepit, ut sic se supremum ipsorum esse Dominum meminissent, simulque parva in re obediendo promereri possent felicitatem perpetuam tanquam coronam Justitiæ. De ea igitur arbore ne fructum gustarent, prohibuit sub pœna mortis tum animæ, gratiam divinam statim amissuræ, tum corporis ad naturalem moriendi necessitatem aliàsque miseras redituri; à quibus Justitia originalis & fructus ex arbore vitæ in medio Paradisi positâ tum ipsos tum posteros reddidissent immunes.

Septima die requievit DEUS ac diem Sabbathi sanctificavit. Quem deinceps exemplo Dei Adamus aliique Patriarchæ ut sanctum observârunt, donec à Moysè etiam lege stabiliretur.

Adam.

Interea Adam & Eva vitam ducebant felicissimam inter innocentissimas sensuum illecebras, animique res creatas atque divinas contemplantis delicias. At non diu tenuit hæc felicitas. Post aliquot dies mulier à serpente decepta vetitum ex ligno scientiæ boni & mali fructum decerpit comeditque. Sed & vir tentatione victus laudatum ab uxore fructum oblatumque gustandò apud Deum offendit. Ergo Paradiso ejectus intentatas antea corporis & animæ pœnas repenti è beato miser incurrit, quas non ipse modò, sed tota etiam ejus posteritas lueret.

Exul inter pœnitentis animi dolores sibi quidem salutare, at posteritati ad salutem nihil ampliùs profecturos habitavit; &

A 3

terram

Producentur
terrestria a-
nimalia ac
demum ho-
mines. à v.
24.

Adam & Eva
in Paradisum
introducun-
tur. G. 2. à
v. 15.

Sabbathe re-
quievit Deus.
G. 2. v. 2. & 3.

Adam apud
Deum offen-
dit, & Para-
diso eicitur.
Gen. 3.

Terram colit
in sudore
vultus. G. 3.
v. 23. & 24.

6
 terram coluit in sudore vultus sui extra Paradisum in ea terræ parte, quæ postea Mesopotamia dicta est inter fluvios Tigrim & Euphratem. Mulier verò in pœnam deinceps inter multiplicatas ærumnas sub potestate viri fuit, & in dolore peperit filios.

Nascitur Cain
& Abel. G. 4.
v. 1. & 2.

Anno mundi & exilii primò Adam ex Eva genuit filium Cain, alterò Abelem. Quos etiam Moyses solos nominat, nequit tamen dubitari primam Matrem primis duobus & sequentibus singulis annis ferè semper geminos masculum & feminam aut etiam subinde tergeminos uno partu effudisse vigore naturæ ad omnia sufficiente. Quos omnes recens sibi natos liberos Adamus divinitus institutus oblatione vel sacrificio aut alio signo exteriore magnâ fide & sensu pietatis Deo in expiationem peccati obtulerit, filisque hanc sacram cæremoniam deinceps observandam tradiderit, ut sic infantes Deo reconciliati de filiis iræ fierent filii Dei.

Cain agros
colit, Abel
pascit oves
v. 3.

Cain & Abel ubi in viros adoleverunt, quisque sororem suam in uxorem duxit, & ille agros colere, ille ovium greges pascere cœpit. Sed & cœteri post hos & ex his geniti, omnium rerum cognitione instructi, Parentis Magisteriò didicerunt quasdam exercere artes ad vitæ usum necessarias, tum etiam siderum cursûs naturæque contemplationi operam dare; præcipuè verò Deum totius mundi opificem ac supremum Dominum muneribus ac sacrificiis religiosè colere & adorare.

Cain occidit
Abelem &
fugit, Gen.
4. à v. 3.

Anno mundi 128. Cain Abelem in agro occidit ex invidia, quòd Deus fratris sacrificia igni è Cœlo demisso probasset, non etiam sua. Exin agente conscientia cum suis profugus ac vagus è patrio solo secessit in plagam orientalem: ubi multiplicatis cum tempore nepotibus primam mundi civitatem ædificavit dictam ex nomine Filii Henochiam. E qua fortè egressus in silvam & à Lamech abnepote suo pro fera habitus per imprudentiam jaculò occisus est anno ætatis suæ circiter septingentesimo. Lamech iste à Sara Scriptura primus notatur fuisse polygamus, habuisseque duas simul uxores. quarum unus filius Jabel primus tentoria construxit; alter Jubal musica instrumenta; tertius Tubalcain ferrariam aliasque ejusmodi artes invenit; Noëma denique filia lanificio initium dedisse putatur.

An. 130.
Seth nascitur
G. 5. v. 3.

Adamo natus est Seth, qui cum vir optimus evassisset, etiam filios ac nepotes sui similes post se reliquit: ut propterea, quòd

quodd secundum spiritum Dei viverent, à Scriptura Filii Dei appellentur ad discrimen nepotum à Caino descendendum; quos, utpote parenti non dissimiles, & secundum spiritum carnis viventes Moyses filios hominum vocat.

A. 255. Natus est à Seth Enos, quem his verbis laudat Moyses: *Enos filius* Enos filius Sethi v. 6.
Iste cœpit invocare nomen Domini publicè, nempe per cœtus & Ecclesias. Cùm enim crescente numero hominum cresceret etiam oblivio & contemptus Dei, videtur Enos Authore & Monitore Adamo publicos piorum conventus cogere cœpisse partim ad augendam, stabiliendam ac propagandam Religionem; partim ad preces & conciones publicas & cultum Dei per sacrificia aliisque ritus & caremonias inducendam.

A. 325. Enos natus nonaginta annos genuit Cainam. v. 9.

A. 395. Cainam natus septuaginta annos genuit Malaleel. v. 12.

A. 460. Malaleel natus annos sexaginta quinque genuit Jared v. 15.

A. 622. Jared natus annos centum sexaginta duos genuit Henoch. v. 18.

Quid à tot annis tum à filiis Seth tum Caini gestum sit, ignotum nobis esse voluit divina Sapiencia. Hoc solum scriptura refert, quodd sicut Adamus, ita & Seth ac ejus posterii genuerint Filios & filias. Humanum genus multiplicatur. G. 5. Quod idem credendum est de Caino ac ejus progenie, ita ut jam hoc tempore ingens esset multitudo hominum in terra; præsertim si illos, quorum in sacris literis nomina extant, non tantum secuti sunt, sed & præcesserunt filii & filia; veluti Interpretes notant contra Hebræos Scriptores, qui putant, eos, qui in serie Patriarcharum nominantur, semper primogenitos fuisse. Quis enim credat, ipsos in tanto multiplicandi humanum genus desiderio, in tantis viribus & sæcunditate naturæ, tanto tempore, & Jaredum quidem totis centum & sexaginta duobus annis liberis caruisse?

A. 687 Henoch genuit Mathusalam. Illius Laus hæc est in Scriptura: *ambulavit Henoch cum Deo*, Deum nimirum ita præsentem præ oculis ac familiarem habuit, ejusque placito in omnibus ita se accomodavit, ut videretur perpetuò cum Deo versari. Laus Henochi. v. 21. & 22.

A. 874. Mathusala cùm esset annorum 187. genuit Lamech. v. 25.

Adamus

An. 930.
Adam mori-
tur G. 5. v. 5.

Adamus modo coævus moritur. Quem par est credere præcipuos quosque filiorum ac nepotum, qui viderentur capita familiarum, ad se moribundum convocasse; ac compendiò exposuisse tam suam quàm totius humani generis cladem, & promissam sibi suisque redemptionem & verum mundi Principem, Doctorem & Servatorem Messiam; in cuius unius venturi fide ac spe salvi esse possent. Illum ut Dei filium adorarent, ut summorum bonorum largitorem diligerent, ut Pacis Deum inter & homines conciliatorem de Sethi progenie nasciturum sperarent; Illius unius ope se ex Tartari faucibus ereptum iri crederent, Eum jam assiduis precibus & sacrificiis colerent; vitam ex timore Dei, qui sit futurus Judex vivorum atque mortuorum, traducerent; improborum consuetudinem & vitarent ipsi, & suos vitare edocerent; denique, quod sibi fieri nollent, alteri ne facerent. Et quoniam optatissimo illo innocentiaè statu, quem ipse aliquandiu degustasset, frui ultra non possent, poenitentiam Patris sui imitarentur, ut post mortem, quoniam per peccatum mors intrasset in mundum, & statutum esset omnibus hominibus semel mori, & de universâ vitâ divinum subire iudicium, feliciori etiam felicitate in cœlis aliquando fruerentur. Quæ cum Ille aliâque his similia dixisset, eisque magno cum animi sensu benedixisset, obiit plenus dierum. Illi verò corpus divina quondam manu formatum cum multo honore ac pompâ funeris in Abelis sepulchro, quod dilecto filio sibi que construxerat, sepelierunt. Quando Eva decesserit, non est ita certum. Traditio Hebræorum est, decimò primùm post Adamum annò è vitâ migrasse.

Seth.

An. 987.
Henoch
transfertur.
G. 5. v. 24.

Henoch cum inter homines vixisset annos 365. in Paradisum seu locum terræ amœnissimum translatus est; ubi vitam agit quasi beatam, corpore quidem ex se corruptibili ac mortali, divina tamen virtute incorrupto, & immuni à nostris ærumnis, in altissima Dei contemplatione tempus jucundissimè transigendò. Qui credunt, Paradisum terrestrem, & in ea arborem vitæ etiamnum superesse post diluvium, dicunt Henochum & Eliam usû ejusdem arboris frui pro libitu, atque ita vitam continuò prorogare. Porro cur sit translatus, explicat Ecclesiasticus c.

Seth.

9

44. v. 16. nempe quia placuit Deo præ omnibus scilicet aliis illius sæculi hominibus. Cur autem vivus, Idem indicat eodem loco: *Translatus est in Paradisum, ut det gentibus penitentiam*, scilicet ut in fine mundi, quando cum Elia orbi restituetur, traducat tam lingua quam exemplo suo populos tunc superstites ab adoratione Dæmonis & Antichristi ad verum Christum & Deum.

Seth Princeps filiorum Dei, cum vixisset annos 912 moritur. Qui quidem filios ac nepotes suos, dum viveret, in officio continuit, præcipue ne connubia cum Caini posteris jungerent; ipso autem nunc è vivis sublato non pauci sprete Parentum monitione formâ filiarum Cainitarum capti pulchriores & selectiores in uxores duxerunt. Ex qua conjunctione, cum jam alias Filii Dei sive Sethi robusti essent, & viribus, formâ & staturâ eximii, prognati sunt natura vim suam oranem exerente gigantes seu homines monstrôsâ staturâ, robore & vitiis insignes; qui deinde potissima causa fuerunt diluvii, in quo etiam Caini familia prorsus extincta est.

Enos.

Natus est Noë à Patre Lamech futurus alter mundi Parens. Nomen ipsi imponens Pater: *iste, inquit, consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum vostrarum in terra, cui maledixit Dominus*. A Mose habet hæc elogia: *Noë invenit gratiam coram Domino: Noë vir justus atque perfectus: Noë cum Deo ambulavit*.

1140. Moritur Enos, cum vixisset annos nongentos & quinque

Noë.

A 1235. Moritur Cainan, cum vixisset annos nongentos & decem.

A. 1290. Moritur Malaleel, cum vixisset annos octingentos nonaginta quinque.

A. 1422. Moritur Jared, cum vixisset annos nongentos sexaginta duos

Interea in immensum propagabatur genus humanum adeo ut celebri hujus temporis Theologo ac Scriptori Hispano videatur
Sacræ Veterum Temp. Histor.

B

tur,

Seth moritur
gigantes nascuntur. G. 5.
v. 8. & G. 6.
à v. 1.

An. 1056.
Laus Noë G. 5.
v. 29. G. 6.
v. 8. 9. 10

G. 5. v. 11.

v. 14.

v. 18.

v. 21.

tur, terram paulò ante diluuium fuisse hominitus non minùs quàm nostro tempore repletam, habitatamque non modò Asi- am, sed & Europam atque Africam, imò & Americam, fuisseque adeò jam tum in usu artem nauticam, floruisse mercaturam, ar- tes ac disciplinas varias, populos non quidem lingua, dialecto tamen & moribus diversos.

An. 1636.
Crescit simul
malitia. G.
6. à v. 5.

Crescente humano genere cùm simul erefceret, & multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis inten- ta esset ad malum, Deus latam de impiorum hominum univer- sali excidio sententiam Noëmo aperit. Inducias tamen indul- get adhuc centum & viginti annorum iis verbis: *eruntque dies illius centum viginti annorum v. 3.* idest, nisi his centum vi- ginti annis agant homines pœnitentiam, ultra non expectabo, sed *delebo hominem quem creavi à facie terre, ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres Cœli.*

An. 1556.
Noë Arcam
fabricatur.
G. 6. à v.
13.

Deus Noëmo mandavit, ut Arcam seu navim ingentem construeret, quâ ipse cum suis & animantibus in universali inun- datione servetur. Igitur Noë mortales omnes tum factis fabri- cando arcam, tum verbis, tum missis quaquaversum in remotio- res regiones nuntiis, centum reliquis annis ad pœnitentiam hor- tatus est. Sub idem tempus, quo mandatum istud accepit, & Arcam ad Caucaſi radices construere cœpit, natus est ipsi Filius Sem, deinde Japhet, demum Cham Gen. 5. v. ult.

An. 1651.
G. 5. v. 31.

Mortuus est Lamech Noëmi Parens Patre suo Mathusala adhuc superstite, cùm vixisset septingentos septuaginta septem annos.

An. 1655.
G. 5. v. 27.

Paulò ante diluuium Mathusala quoque viam universæ car- nis ingressus est, cùm natus annos nongentos sexaginta novem omnes reliquos Patriarchas vivendò superâſset.

Causa longæ
vicitis pri-
morum ho-
minum.

Causa longævicitatis primis mundi temporibus fuerit melior humorum commixtio: deinde sobrietas, quâ plerique ex filiis Seth carnibus & vinò abstinuisse creduntur. Primævus quoque vigor fructuum terræ, aliorumque alimentorum, aëris atque aquarum puritas, scientia ab Adamo hausta virtutis herbarum, fructuum, demum & maximè Dei voluntas & arcana coopera- tio, ut hoc modo & homines citius propagarentur, & scientias artesque citius perdicerent, & remotiori etiam posteritati cog- nitionem & cultum veri Numinis exemplò verbisque inculca- rent.

rent. Porro cum Sacra Scriptura non alios annos post, ac ante diluvium, numeret, sine dubio primos homines totidem ac tales annos vixisse tenendum est, quales 365. diebus absolvuntur.

Centum & viginti anni à DEO definiti abiēre, neque tamen ventris, carnisque vitis immersis homines ad DEum & poenitentiam respexerunt. Igitur pluviae coeperunt, & Noë jussu DEI arcam undique perfectam ingressus est cum conjugē sua, tribus filiis horūque uxoris. Secuta sunt animantia Angelorum ductu undique adventantia; ex reptilium quidem & imundorum quavis specie bina mas & foemina, equus scilicet & equa, asinus & asina &c. Ex mundorum verò, & volucrum quavis specie septena, nempe 4. mares & 3. foeminae, 4. arietes 3. oves, 4. columbi & 3. columbae. Ex mundis plura servabantur non tantum ad propagationem & ad cibum, sed etiam ad sacrificia post diluvium celebranda.

Arca ex ligno, ut quibusdam placet, cedrino constructa longa fuit 300. cubitos, lata 50. alta 30. non instar navis, quae in ima carina restrictior sursum versus laxatur atque incurvatur, & ad proram acuitur, & supernè aperitur; sed arca plana erat in fundo sine ulla distinctione puppis aut prorae, eademque erat prorsus arcae latitudo ab imo usque ad summum, ubi tectum habuit quasi operculum, non tamen planum sed in medio paulò eminentius, ut utrinque aquae decedentes defluerent. Tria tabulata sive contignationes secundum totam arcae longitudinem & latitudinem expansae quaterna spatia distinguebant. Infimum spatium erat locus saburræ ad librandam in aquis arcam, & sentina ad sordes excipiendas, quae postea per sportas funibus in altum reductae per fenestram superiorem eiciebantur. Alterum spatium supra infimum tabulatum occuparunt animantia terrestria variis mansueculis sive stabulis pro quadrupedum magnitudine ac multitudine distinctum, relictis opportunè viis, quibus adiri ac curari possent. In tertio erant distinctae apothecae, in quibus servabatur omnis generis annona pro hominibus & animalibus; non pauca etiam dulcis aquae dolia ad potum, ad lotionem & multiplices usus. Quartum & supremum spatium erat in summo tabulato sub tecto. Ubi ex unâ parte volucres partim ferae partim cicures suas caveas ac nidos habebant cum suo pabulo; in altera parte seu latere erant cubacula quatuor con-

An. 1656.

Noë cum suis
ingreditur
arcam sequē-
tibus ani-
mantibus.
G. 7. v. 7.

Structura
arcae.

jugum paribus destinata cum domesticis officinis & necessaria suppellectili, culina scilicet, foco, furno, mola lignili, & penu. Porro in singulis spatiis seu contignationibus erant ambulacra media & in his scalæ ad ascensum & descensum ex una contignatione in aliam. In pavimentis foramina ac tubi, quibus & pabulum animalibus & sordes ad inferiora demittebantur. In lateribus arcæ erant passim fenestræ seu potius foramina tum ad respirationem, tum ad lumen admittendum, tum ad sordes egerendas necessaria. Fenestra, cujus nominatim fit mentio, hominum habitationi respondebat.

Clauditur arca & totum reliquum humanum genus diluvio perit. G. 7. à v. 17.

Receptis in arcam omnibus, quas DEUS voluerat, animalibus porta, quæ instar sublicii pontis ad introducenda quadripedia demissa erat, sublata est, apteque, ne aquas admitteret, ab Angelo clausa. Tum verò, ruptis abyssi fontibus & cataractis Cœli apertis, aquæ paulatim intumescens arcam primò quidem è terra sublevârunt, cadentibus autem continuo per 40. dies & 40. noctes pluvis eam immensum auctæ tam altum extulerunt, ut denique 15. cubitis supra montium vertices, solo DEO gubernante, in aquis fluitaret: demersis interea præter omnia animalia terrestria & volatilia cunctis omnino hominibus, clade eò magis horrendâ, si omnes etiam ex hoc temporali diluvio transierunt ad æternum incendium. Quamquam meritò creditur, præter innumeros parvulos, qui per ritum aliquem DEO oblatis contra peccatum originis remedium acceperunt, multos ex infinita multitudine adultos etiam pœnas æternas evasisse, & ad horribilem illam mundi faciem percutientes pectora denique pœnitentiam egisse. Illud tamen fatendum est, ad initium inundationis nullos respuisse, ne quidem ex amicis & propinquis Noëmi; alias enim ad arcam cum ipso convolâssent; sed potius *edebant & bibebant, uxores ducebant & dabantur ad nuptias usque ad diem, quâ intravit Noë in arcam, & venit diluvium & perdidit omnes: Luca 17. v. 27.* incredibile planè animorum cœcitate, dum in eorum oculis volucres & animalia ad arcam omnibus ex sylvis certatim confluerent, & Cameli, Elephantes, Tigrides, Leones &c. feritate depositâ placidè ingrederentur.

Aquæ diluvii unde? G. 7. v. 11. & 12.

Illâ porrò immensâ aquarum moles indè confluit primò, *quia rupti sunt omnes fontes abyssi:* omnes scilicet cavernæ subterraneæ aquas suas per ostia in terram effuderunt eamque ob-

ruc-

ruerunt, succedente in eas cavernas interea aëre. Secundo *Cataracta Cæli aperta sunt*: maxima nempe aquarum vis ex mediâ regione aëris tanto impetu & fragore in terras dejecta est, ut totus aër per vastissimas scissuras quodamodò hiare videretur, & jam non guttatim sed more torrentium flumina & fluctus effunderet. Tertiò insolitæ pluviz, DEO vapores & aërem in aquas assidue convertente, vel etiam aliquas de novo producente, durarunt totis 40. diebùs & 40. noctibùs continuis.

Licet autem postea pluviz cessaverint, terra tamen eadem aquarum profunditate submersa deinceps deituit totos 150. dies. Post hos primum cœperunt imminui, donec magnâ aquæ parte rursus in aërem vel primævam materiam conversâ, reliquâ in abyssum subterraneam iterum reclusâ superficies terræ denique omnino siccaretur, ponerenturque littora mati, ac ripæ fluviis, ne transilirent fines suos.

A. 1657. Post integri anni seu 365. dierum carcerem Noë ex arca in montibus Armeniæ confidens egressus est ac soteria celebravit oblatò de cunctis pecoribus & volucris mundis super altari sacrificiò. Inde in campestria loca descendit, & ad culturam terræ se convertit. Filii autem acceptâ divinâ benedictione propagando rursus humano generi operam dederunt.

A. 1659. Et Sem quidem præter multos alios filios & filias genuit Assur & Arphaxad, à quo rectâ lineâ descendit deinde Heber, Abraam, & electus DEI populus. Vixit Arphaxad annos 438. Japhet genuit Gomer, Javan aliòsque filios, à quibus orti sunt populi, qui cum tempore Europam habitârunt. Cham primogenitum filium habuit Chanaan, à quo Chananæi, Amorrhæi, Jebusæi &c. qui maximâ parte terram postea incoluerunt, quam Palestinam, sive terram Sanctam appellamus. Genuit quoque filium Mesraim, à quo descendere nominati in sacris Libris Philistæi.

A. 1670. Noë interim etiam vineam plantavit, ut uvæ vinò inde expressò deinceps potum præberent, cum vites hætenus sparsim crescentes uvas solummodò ad esum ministrassent. Bibit igitur Senex paulo liberius, vinòque victus jacuit nudatus in tabernaculo. Chanaan puer primus in Avum dormientem incidit, & indecorè nudatum videns rem cum risu ad Patrem detulit; qui nihilò modestior etiam fratres ad spectaculum ridens invitare

Mundus res
paratur.
Gen. 2.

Noë arcæ e-
greditur Gen.
8. à v. 18. &
G. 9. v. 1.
& v. 20.

Genus huma-
num propa-
gatur. G.
10.

Noë Chanaan
filio Cham
maledicit.
G. 9. à v.
20.

non est veritus. Noë ubi sopore discusso rem totam ordine didicit, criminis Authori puero ejusque posteritati maledictionem vilissimæ servitutis in pœnam vel imprecatus est, vel prophetica voce denuntiavit; abstinens à simili in Chamum maledictione; sive quia is non ita pridem fuerat à DEO benedictus, sive quia noluit maledictionem in reliquos Chami filios eorumque Posteros redundare. Semo verò & Japheto pietatis ac reverentiæ paternæ officium, quo incedentes retrorsum pallio nudatum operuerunt, multa benedictione fuit compensatum.

An. 1693. Arphaxad natus annos triginta quinque genuit Sale, qui vixit deinceps 433. annos.

G. 11. à v. 12.

An. 1723.

à v. 14.

Hebræi unde dicitur?

Sale genuit filium Heber, à quo postea Hebraica lingua ac Hebræi nomen acceperunt. A condito enim mundo una tantum erat inter homines lingua, neque certum nomen propterea habebat. At cum deinde ad turrim Babylonicam divino artificii plures audirentur linguæ, illa, quæ antea communis fuerat, Hebræa dicta est, quia in Heberi familia ac gente mansit. Hebræam porrò primam omnium linguam esse probat tum ipsius brevitatis & simplicitatis, tum auctoritatis Doctorum. Syriaca proles dicenda est Hebræicæ & Chaldaicæ. Hebræi enim cum abduci fuissent in Babyloniæ, cœperunt loqui paulatim etiam Chaldaicam; quam cum bene pronuntiare non possent, nata est ex utraq; quædam tertia, quam deinceps Judæi pro vulgari habuerunt, quæque Syriaca dicta est à regione, ubi maximè ejus usus vigeat, nimirum circa Hierosolymam,

An. 1757.

G. 11. à v. 16.

An. 1787.

G. 11. à v. 18.

Homines, an-

tequam divi-

dantur tur-

rim Babylone

edificant.

G. 11. à v.

11. ad 7.

Heber natus 34. annos genuit Phaleg, qui vixit annis 239.

Phaleg natus 30. annos genuit Rheu, qui vixit annis 239.

Non diu post propagatâ jam & vehementer multiplicata humani generis sobole cum propediem dividendos se, ac varias in orbis regiones spargendos esse homines intelligerent, idque ex Heberi vaticinio scirent, in campo Sennaar propè Euphratem, civitatem ac altissimam in eâ turrim ad communem memoriam, ornatam, gloriam, vel ad perpetuam nominis sui famam erigere cœperunt. Jamque ingens turris moles ad quatuor millia passuum ascenderat, *S. Hieron. l. 5. in Isaiam ad c. 14.* ac universi homines cum Noëmo ad promovendum grande opus confluentes in terra illa, quæ postea Babylonia dicta est, confederant: cum DEUS humanæ prudentiæ consiliis ad propositos sibi fines usurus,

partim ad sinum usque Persicum descendit, accessisset. In quâ Chanaan cum suâ Posteritate obtinuit magnam ac optimam ferè partem, quam nempe DEUS postea Abrahamo toties laudavit, promisit, ac demum ipsius Posteris Israëlitis deleta aut in servitatem abstracta Chananæa progenie possidendam dedit.

Populi dispersi suam formant rempublicam
G. 10. v. 92.

Profectæ hunc in modum quaquaversum familiæ cum sua quæque supellectile, animantibus, tum feris, tum domesticis, alibi quoque ad humani generis usum propagandis, ubi ad delectas sibi sedes pervenerunt; singuli populi suas sibi res, ut ratio postulat, agere cœperunt, terras distribuere & agros, urbes moliri, ædificare domos, cœteraque meditari, quæ ad reipublicæ unius constitutionem pertinerent, ex illius utique directione & gubernatione, cujus auspiciis sese in viam dederant, illum agnoscere non Parentem solum sed Governatorem etiam ac Principem; ad eum ultrò communis boni procurationem ac providentiam deferre, dum singuli suis quique commodis ac necessitatibus attenti essent. Ille autem de communi suffragio inferiores sibi substituere Magistratus, qui crescentem paulatim multitudinem in minoribus oppidis pagisque regerent.

Introducunt cultum veri Numinis ubique terrarum.

Quod veri Numinis cultum attinet, omnes fortassis hunc in terras, quas incolere cœpère, induxerunt. Verùm uti minimè dubitari debet, quin ea in Provincia, quam Noë, Sem, Heber incoluerunt, vera pietas ac religio ipsiis saltem viventibus, perseverarit, ita in reliquis paulatim ad superstitionem miseros mortales deflexisse, instigante malo dæmone, variisque artibus illudente, satis superque constat.

Regna paulatim constituuntur, ac primum Babylone. G. 10. v. 1. 9. 10.

Sed nec laudata antea populos gubernandi ratio diu ubique viguit: nam post divisionem per varias orbis partes regna constituta sunt, quique antea veluti Patres familiam gubernaverant, nunc dominatum in subditos exercere, vicinosque populos vi atque armis sibi subjicere cœperunt. Ac Babylone primum surrexit Regnum atque Imperium. Conditor fuit Nemrod militari audaciâ & civili prudentiâ clarus. Chami nepos, terram Senaar, sive Babylonicum agrum in divisione terrarum sortitus. Paulò post regna surgunt etiam in Arabia, & Ægypto, ubi Mesraim Chami filius Thebas ædificavit, ob quod se postea Thebæi primos hominum credidère. Eodem ferè tempore Sicyoniorum

ufurus, eorum vanitatem mirâ arte elusit, simulque destinatam humani generis in varias terras distributionem executus est. Erant tunc universim septuaginta duæ familiæ, quæ genus humanum constituebant. *Gen. 10.* Ex stirpe Sem numerabantur familiæ 15. Ex progenie Japhet 25. Ex posteritate Chami 32. familiæ, homines verò intra trecentos à diluvio annos jam infiniti; nam interveniente divinâ providentiâ per paucos occupabat immatura mors, multi nascebantur gemini, rari aut nulli erant steriles, plariumque simul uxorum erat usus, omnèsque ac toti vacabant generationi.

Igitur pro numero familiarum DEUS singulas momentò docuit novam ac ab aliis omninò diversam linguam eâ, quæ hæcenus una omnibus fuerat communis, ex omnium memoria repente deletâ; exceptâ familiâ Heberi, apud quam solam primæ linguæ usus permansit. Quò factum est, ut abruptò mutui sermonis inter familias commerciò ab opere desistere cogerentur, atque in alienas & remotas terras migrationem, à quâ amore natalis soli ac dulci amicorum consuetudine hæcenus abhorrebant, libenter susciperent.

Facta itaque Authore DEO per Noëmum totius humani generis caput ac Principem distributione, Sem cum suis obtinuit terras illas, quæ ab Euphrate versùs ortum per Persiam ac Indiam postea dictam latè porrigitur, designatis cuique familiæ certis ac distinctis terrarum spatiis. Unde subsequentiis annis ac sæculis numerò crescentes colonias; ulterius in orientem promoverunt, ac, quam nunc vocamus Asiam majorem Insulasque Oceani Orientalis occuparunt.

Japheti familiæ partim ab Euphrate Septentrionem versùs, partim in Asiam minorem ac Insulas maris mediterranei, denique per totam, quâ latè usque ad Gades protenditur, Europam sese diffuderunt; ac inde cum tempore DEO impellente ac dirigente navibus per immensa aquarum spatia novas terras quasi vèrè, ut in ea quoque orbis parte, quam Americam dicimus, per adductas colonias humanum genus propagaretur.

Chamo, ejusque numerosis familiis cessit Arabia, Ægyptus, Æthiopia, & Africa universâ; deterior sine dubio portio; nisi terra, quæ inde à finibus Asiæ minoris inter mare Mediterraneum & Euphratem sita, partim versùs Ægyptum excurrit,

partim

DEUS in diversis familiis diversas linguas instituit. *G. 11. à v. 7. ad 10.*

In divisione terrarum Sem cum suis familiis obtinuit Asiam. *G. 10. à v. 22.*

Japhet Europam. *G. 10. à v. 2. ad 6.*

Cham Africam. *G. 10. à v. 6. ad 22.*

rum Regnum in Peloponneso initium accepit; ac deinceps alii atque alii per orbem populi Reges habere cœperunt. Inter quos illi, qui ex familia Sem ad extremas Orientis oras commigrarunt, Fohio Ductori suo ac post ipsum Xinungo Imperium detulerunt. Qui ad eam primam Monarchiam Sinicam fundamenta jecerunt ducentis post diluvium annis Noëmo adhuc superstite, ut constat ex subductis Chronologia Sinicæ annis. Simul etiam in populo suo haustum à suis Majoribus veri Numinis ac Creatoris cultum conservarunt. Nam, ut Sinica testantur monumenta, Fohius certas pecudes domi alebat, quas Cœli terræque Domino immolaret. Eidem Cœli Domino Hoanti Imperator tertius templum posuit. Chuenhi, Imperator quintus, Divini Numinis cultum propagavit in omnes Provincias, & certos eidem procurando Mandarinos præfecit. Imperator Chintamus circa annum 2240, quo tempore ob steriles illos septem annos per totum terrarum orbem fames erat, è regia sua sede Queite in Provincia Honan in ea calamitate egressus, nudis pedibus, sacco indutus vicinum collem ascendit; ubi humi prostratus humili oratione Domino Cœli & terræ se pro suo populo sacrificium obtulit, & pluvias impetravit. Horum Successores non minorem pietatis veræ ac Religionis curam gesserunt, donec corruptis moribus elanguit pietas, & profana superstitionum vesania etiam Sinis incumbere, & per populum grassari cœpit. Quod factum est circa annum 3500; quo primùm tempore Idola colere cœperunt, & cultum veri Domini Cœli & terræ negligere, veluti Matthæus Riccius è Societate JESU primus apud Sinas Missionarius demonstrat in libro Sinico, quem vocat: vera Domini Cœli Essentia.

A. 1819. Rheu natus annos 32 genuit Sarug, qui vixit annos 230.

A. 1849. Sarug natus annos 30 genuit Nachor, qui vixit annis 148.

Nemrodo hoc ferè tempore mortuo; quem profani Scriptores Belum vocant, Ninus ejus filius Babylonicum cepessivit Imperium. Iste publico Idolorum cultui occasionem & initium dedit, veluti Hieron. notat in Ezech. c. 23. & in Oseam c. 2. Cùm enim Patrem suum Imperii Fundatorem in frequenti Procerum conventu commendasset vehementius, eumque non solum per-

Sacra Veterum Temp Histor.

C

pe-

G. 11. v. 20.
& 21.

G. 11. v. 22.
& 23.

Origo Idole-
latriæ.

peruā apud Posterōs memoriā sed apud Superos etiam immortalitate dignum prædicasset, Statuam, quæ Patrem ad viventis speciem repræsentaret, erexit cui quali viventi deferretur honos; ad quam si quis reus confugeret, abripi non posset ad pœnam, miserorum denique commune esset perfugium. Quæ res defuncto Divinitatis opinionem facillè conciliavit adeò, ut hic falsorum Deorum primus primò quidem à Babyloniis in templo, quod ipsi Ninus magnificum Babylone excitaverat, sacrificiis coleretur; deinde ab aliis etiam gentibus. ab his quidem sub nomine Bel aut Baal, ab aliis sub nomine Saturni. Quod Nini exemplum Principes alii populique imitati viris illustribus laudabili quidem conservandæ eorum memoriæ & egregia facinora imitandi studio passim ex cætaris lapidibus, ligno, argento aut auro statuas erexerunt: *Sap. c. 14. à v. 12.* sed re paulatim dæmonum astu ad superstitionem deflectente attributâ rebus inanibus Divinitate quâdam sive quòd eis Principes Jus Asyli tribuerent; sive quòd ibi dæmones aliqua vulgo mira facerent, & responsa redderent, Idola atque Idololatriam toto terrarum orbe invexerunt, cum hætenus ante & post diluvium usque ad tempora Nemrodi mundus nonnisi unum solum & verum DEum agnovisset.

Ninive conditur, & Imperium Assyriorum fundatur.

G. 10. 7. 11.

Ninus paterni Regni angustiis non contentus alterò pessimo exemplo Imperium armis propagare instituit. Ergo ab Euphrate ad Tigrim progressus Assyriam ab Assur Semi filio, cui ea terra in divisione obtigerat, sic dictam invadit ac in suam redigit potestatem; urbemque longè amplissimam ad exemplum Patris in ripa fluminis condit, ac Niniven à suo nomine dicit. Quam postea etiam Regni sedem relicta Babylone delegit ac Assyriorum fundavit Imperium, Assur propterea sive Rex Assyriorum *Genesis 10.* nominatus. Ab hoc Nino Gentilium Historiæ initium ducunt, Juxta quos multas adhuc magnasque per Asiæ Provincias suo Imperio subjecit. Ultimis vitæ annis ex Semiramide filium Ninyam suscepit & Regni hæredem reliquit.

Semiramis regnat.

Post Nini mortem Semiramis nomine Ninyæ adhuc impuberis Imperium administravit, demum omnino ad se transtulit mulierum, quæ regnavit, prima. Ab hac conditam scribunt Babylonem; sed auctam & amplificatam potius interpretari licet, & admirabili murorum ambitu cinctam; cujus circuitus stadia continebat quadringenta octoginta, erantque latera quatuor, singula

singula centum viginti stadiorum. Famofam illam turrim concinnè ornavit, & Belli templo adaptavit. Condidit & alias urbes ad Euphratem & Tigrim, ubi & emporia illis constituit, qui merces aliunde importarent. Post multa alia magnificentiæ suæ per totam Asiam monumenta postque res multas magnasque pace belloque præclarè gestas cum libidinosa æquè ac bellicosa fœmina ipsius filii concubitum peteret, ab ipso interfecta est.

Igitur Ninyas cœpit imperare, vel potiùs Regni curas Præfectis committere. Ipse verò contentus elaborato à Parentibus Imperio belli studia deposuit, ac veluti sexum cum Matre mutasset, rarò à viris visus in fœminarum turba consenuit. Quare vitæ rationem plerique deinceps Assyriorum Principes sunt imitati: qui proinde apud Scriptores in tenebris ac silentio jacuerunt, verbò Reges, re autem mancipia voluptatis.

Anno 1878. Nachor natus annos 29. genuit filium Thare.

Anno 1948. Thare septuaginta annos natus genuit Abraam filium in Chaldæa trans Euphratem sitâ in loco Ur dicto. Præter quem eidem nati sunt duo adhuc alii filii Nachor & Aran. Abraam ab adolescentia chaldaicam sapientiam professus est in siderum rurumque cœlestium contemplatione occupatus. Inprimis autem DEum acceptâ à Majoribus pietate constanter coluit, quam conservavit etiam, cum invaliscente ubique Idololatria ipse Parens & Nachor frater aliquandiu Diis alienis fervirent. In tam universali cui oblivione atque neglectu DEus hunc servum suum eligit, ut esset Pater eorum, apud quos cognitio veri Nominis atque cultus perseveraret. Porro tres isti Fratres duxerunt uxores. Et Abram quidem Saram ex eodem suo Patre sed alia Matre natam. *gen. 20. v. 21.* Aran genuit filium Lot. Nachor ex Melcha habuit octo filios, ac inter hos Camuel Patrem Syrorum, & Bathuel, qui postea genuit Laban & Rebeccam. Abraam ex verili Sara non habebat Liberos.

Anno 2006. Noë moritur, postquam vixerat 950. annos. Cajus vitam ante diluvium uti Moses compendio descripsit, ut nec locum habitationis ejus indicaverit, ita nec ubi post diluvium vixerit, aut ubi mortuus sit explicat. Illud satis certò constat, eum insigni continentia exemplo totis trecentis quinquaginta annis, quibus à diluvio supervixit, & verosimillimè etiam

Ninyas & subsecentes Assyriorum Reges in gloria.

G. 11. v.

24. & 25.

Abraam natus & à Deo Pater creditum igitur.

G. 11. à

v. 26.

Noëmi obitus Gen. 9. v. 29.

centum annis ante, quibus Arca fabrica occupabatur, nullos liberos suscepisse; nam, quod Moses affirmat, ex nullis aliis quam ex Sem, Cham & Japhet disseminatum est omne genus hominum super universam terram *Gen. 9. v. 19.* neque uti de aliis, ita de Noë dicit illud. *genuit filios & filias.*

An. 2018.

Abraam
Migrat in
Mesopotamiam. *Gen. 11. v. 29.*
Act. 7. v. 1.
Judith. 5. v. 9.

Abraam natus annos septuaginta à DEO ex Chaldaea vocatur, iubeturque peregrinari in terram, quam ipsi monstraturus esset. Quod cum Patri aperuisset, Thare tulit Abraam, Saram, Lot (Aran tunc diem jam obierat *Gen. 11. v. 28.*) & eduxit eos de Ur chaldæorum, ut irent in terram chanaan, veneruntque in Mesopotamiam usque Haran & habitârunt ibi. Circa quod tempus Chodorlahomor Regis Assyriorum apud Persas seu Elamitas, ab Elam Semi filio sic dictos, Gubernator Regulos Sodomæ, Gomorrhæ ac finitimarum civitatum Jordani adiacentium sub Imperium redegit. *gen. 14. v. 4.*

Migrat in
terram Chanaan. *Gen. 12. v. 1.*
ad 10.

Abraam nonnisi quinque annos habitavit in Haran. mortuo enim ibi Patre inde vocatus est à DEO in terram Chanaan, futuram cum tempore Regnum Israël. Relicto itaque in Mesopotamia fratre Nachor, qui & ipse cum suis de Ur chaldæorum illic commigrârat; ipse cum Sara, Loto, totaque familia perrexit in terram Chanaan, venitque usque ad locum Sichem. Ubi Dominus ipsi apprensus totam illam terram Chanaan ipsius posteritati promisit. Abraam igitur eodem in loco altare, veluti primum lapidem posuit terræ sanctæ, & habitationis, in qua ab electo populo verus Dei cultus cum tempore stabiliretur. Inde postea progressus ad montem tentoria fixit ad longiorem moram inter urbes Bethel & Hai, erectoque altari DEO invocavit nomen ejus.

In Ægyptum
proficiscitur.
Gen. 12. v. 1.
10. v. 1.

At vehemens fames Regionibus illis incubuit. Quare cum suis in Ægyptum profectus est. In via metuens, ne ob excellentem Saræ, licet jam sexaginta quinque annos natæ formam se interfecto Ægyptius aliquis eam in uxorem duceret, monuit Conjugem; ut, quamdiu in Ægypto morarentur, sororem suam esse se diceret. Et sanè vix terram ingressus est, Rex ipse laudatâ à Proceribus Saræ pulchritudine frui cupiens peregrinam in Regiam adduci jubet. At immisissis divinitus corporis cruciatibus protinus Abrahæ uxorem esse intellexit. Quare ad se vocato in-

tactam restituit, ipsūque cum multā honoris significatione dimisit.

Exactā in Ægypto hyeme & bonā veris parte cum magno famulorum, ancillarum ac gregum numero multāque auri argentique copia remigravit in Chanaanitidem, fixisque iterum inter Bethel & Hai tentoriis in Altari, quod duobus ante annis erexerat, DEO Sacrificium gratiarum actionis obtulit. Optabant quidem Abraam & Lot simul ibi habitare, eūque in finem à Chananæis terræ illius Dominis communia pascua conduxerant. Quia verò angustior erat ager, quā ut amborum gregibus sufficeret, Lotus optione sibi factā ad Regionem Jordani propiorē cum suis recessit, & in urbe Sodoma habitavit. Abraam autem non procul ab urbe Hebron in valle quadam, Mambre dictā, confedit; ubi Dominus ipsi rursus pollicitus est numerosissimam Posteritatem ac universam illam terram, quæ à Syriā Ægyptum versus, & à mari mediterraneo versus Euphratem excurrit. Ipse verò ibidem altare excitavit ad offerenda deinceps DEO Sacrificia.

Ex quo de Ur Chaldæorum egressus est, illud vitæ genus amplexus est magnus hic vir, quod sectabantur homines ante Nemrodi tempora. Regnabat veluti caput & Pater in sua familia; cum quā profitebatur vitam simplicem ac pastoritiam. Erat quidem in alieno semper solo peregrinus, nulli tamen obnoxius Domino veluti Princeps. Valebat magnā, quam ipsi tum opulentia tum manifesta DEI protectio conciliabat, auctoritate apud vicinos Regulos, adeo ut eius amicitiam foedusque ambi- rent maximè, qui circa montem Hebron dominabantur. Et verò profuit habuisse amicum & foederatum. Pentapolitani sive quinque civitatum Reges Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim & Segor pertasi tributariæ servitutis à Chodorlahomere defecerant; quod iste ulturus cum tribus aliarum Prævinciarum Regis Assyrii Præfectis Pentapolitanis bellum intulit, felicique exitu in valle sylvestri contra eos pugnavit. Inde ad prædam conversus quinque urbes spoliavit, multosque captivos ac inter hos etiam Lotum abduxit; cuius rei accepto nuntio Abraam partim domesticis trecentorum octodecim vernaculorum, partim auxiliaribus Hebronitarum copiis fretus hostes usque ad Jordanis fontes persecutus est; eosque noctu improvisò

Redit in Chanaanam & separatur à Lot. G. 15.

Vincit hostes & liberat Lotum. Gen. 14.

ibi adortus magnâ clade affecit, ac Lotum cœterosque captivos cum multis spoliis reduxit.

Melchisedech ei victoriam gratulatur. G. 14. à v. 17.

Redeuntem excepit cum multa victoriæ gratulatione Melchisedech Rex simul & Sacerdos Altissimi in urbe Salem seu Jerosolyma, & in Sacrificium gratiarum actionis DEO panem & vinem obtulit in typum veri & incruenti Sacrificii; cui vicissim Abraam, veneratus in Sacerdote JESUM Christum ex suâ stirpe nasciturum decimas ex omnibus donavit. Ubi convallem suam Mambre tenuit, adfuit quoque Rex Sodomæ & nomine reliquarum etiam civitatum, ut spolia omnia, quæ hosti eripuisset, servaret, rogavit. Verùm Abraam ne minimum quidem sibi retinuit, ne quis gloriari posset, se Abraam ditasse, qui nemini volebat quidquam debere, nisi DEO.

Deuseidem rursus appaerens filium promittit. G. 15.

Paulò post Dominus eidem nocte per visum filium hæredemque promittit, tantamque Posterorum multitudinem, quanta esset stellarum, quæ numerari non possent: Simul longam eorum in Ægypto servitutem denuntiat; donec completis Chanaanorum iniquitatibus post quartam generationem liberi dimitterentur, ac illis ejectis terram promissam occuparent.

Sara viro ancillam permittit. G. 16. à v. 1. ad 4.

Ex his poterat Sara intelligere sperareque se adhuc Matrem fore. Nihilominus divinam promissionem ad se minimè pertinere putans suo viro ancillam Agarem permisit. Ac ipse in has inferioris ordinis nuptias etiam consensit, ratus divina promissa in Saræ sterilitate ac senectute impedita commodè sic saltem expediri posse. Nec enim polygamia tunc erat res nova, sed vulgò usitata passimque frequentata etiam à viris piis ac DEum timentibus, quæ quidem consuetudo à tempore diluvii ita inolevit, ut Lex Mosaiica laxitatem hanc non tolleret sed firmaret Deuteronomii c. 21. v. 15. & 16., quippe quæ tum odiosæ tum dilectæ uxoris liberos pro legitimis filiis & hæredibus haberi voluerit. Et Deut. c. 17. v. 17. Regibus plures uxores concesserit, plurimas verò prohibuerit. Quæ quidem Lex apud Judæos viguit, donec Legislator novus stabiliret illud: *Erunt duo in carne una.*

An. 2032. Ismael nascitur. G. 16. à v. 4.

Agar concepit. At ancillam propterea se oblita despexit Dominam. Quod Sara non ferens eam ita afflixit, ut vexationis impatiens fugerit in desertum. Ab Angelo verò ad puteum ventis & videntis admonita ut rediret, & modestius ergo Dominam

nam

nam se gereret, reversa est & peperit filium, quem Pater Ismaël vocavit.

An. 2046. Cùm Ismaël tredecim impleviffet annos, Dominus Circumcisionem sub nomine pacti & fœderis Abrahæ mandat, ac quasi Legem perpetuè valituram promulgat; quo veluti signo DEI populus & filii promissionis à Jacob postea descendentes discernentur à cæteris gentibus & populis, licèt aliàs verum DEI cultum retinentibus: Icerùmque ipsi & posteris terram Chanaan cum tempore veræ Religionis sedem, filiùmque promittit altero anno ex sua Sara nasciturum. Itaque Abraam se & Ismaëlem, servos quoque tum emptitios quàm domi natos circumcidit eximia sanè sua & suorum obedientia in re minimè facili, quæque vulgò inutilis ac ridicula videri poterat.

Eodem anno dum in suâ convalle Mambre sub meridiem in ostio tabernaculi sedet, tres insigni specie Juvenes viâ publicâ procedunt. Abraam pro solita sua erga peregrinos charitate eis occurrens oratione ad eum conversâ, qui oris aut cultûs dignitate præstare videbatur, *Domine*, inquit, *ne transeas servum tuum*, rogâtque ut quiescant sub arbore, donec quippiam, quo se reficerent, pararetur. Inter prandendum sermonem iniecere de uxore, cerrùmque esse voluerunt Abraam de filio ex ea nascituro. Finitâ mensâ pergunt Sodomam. Cùmque aliquousque Abraam eos comitaretur, ille, qui primas hætenus egerat in hac scena, inter eundem aperit ipsi consilium de evertendâ Sodomâ, Gomorrhâ & tribus aliis vicinis urbibus; ob enormia earum peccata. Motus commiseratione rogavit quidem diu multùmque pro Sodomâ; sed cùm ne quidem decem Justos in eâ esse audivisset, denique orare cessavit. Et Angelus quidem ille, Dominum referens, disparuit & Abraam ad suos regressus est: alii vero duo Angeli eo adhuc vespere Sodomam venerunt.

Sedebat tum Lotus ante portam Civitatis pro more suo & exemplo Abrahæ operiens peregrè venientem, quem hospitio exciperet. Igitur Angelos sub specie duorum Juvenum adventantes invitat; qui cùm mansuros se eâ nocte in plateâ simularent, Lot, certus non esse domum, in qua præclarâ formâ Juvenes tutò diverterent, multò minùs ab improborum petulantia immunes in plateâ fore, compulit illos apud se pernoctare. Vix benè cœnaverunt, adest præ foribus scelerata turba, hospitesque

An. 2046.
Circumcisio
instituitur.
G. 17.

Angelos ho-
spicio excipit
G. 18.

Angeli Lo-
tum cum suis
Sodomâ edu-
cunt.
G. 19.

ad

ad flagitium foras deposcit. Lot tumultuantes incaesum dehortatus est. Quare Angeli cœcitate percipiunt infanientes, ita ut ostium domus, per quod irrumperent, invenire non possent. Deinde summo manè Lotum, uxorem, & duas ipsius filias domo & urbe educant seriò monitos, festinant ac totâ valle mox perdendâ citò excederent, nec minutum temporis vel respiciendo perderent. Lotus cum tribus fœminis properans jam haud procul erat à porta oppidi Segor, quod ipse communi calamitati precibus suis exemerat, cum uxor, ut horribile spectaculum tantisper oculis usurparet, se retrò convertit; statimque inobedienciæ & curiositatis pœnas dedit. Nam eodem in loco conversa est in statuam salis; Loto interea cum filiabus urbem subeunte, neque domesticam cladem animadvertente. Cum autem ne ibi quidem se satis tutum crederet, montem vicinum ascendit, nactusque speluncam à diro incendio averfam, in eam se cum filiabus abdidit.

Interitus
quatuor ur-
bium. G. 19.
à v. 24.

Interea excussa continuò è nubibus fulmina tectis urbium flammis injiciunt cum tonitribus horrendo fragore reboantibus: sequitur & cadit ignea ex sale, sulphure, pice liquatis pluvia, quâ vici omnes, plateæ planitiésque camporum inundantur, hominésque & animantia cunctaque plantarum genera exurantur: demum ipsa terra per ingentes motus vallis hiatus discedens in profundum abit: & aquæ subterraneæ erumpentes ac cum pice & sulphure permixtæ terræ locum occupant. Atque ita quatuor nobilissimæ urbes totaque Regio, quæ antea fuerat *quasi Paradisus Domini*, cum habitatoribus suis funditus perit; durante in hodiernum usque diem consceleratae gentis & divinæ animadversionis exemplò; piger enim & horrens lacus perpetuis vaporibus exæluat, ac finitimum agrum pestifero halitu sterilem facit ad octo passuum millia. Interim filiae Lot stultè credentes eâ calamitate reliquum humanum genus perissè, Patrem vinò inebriant eumque nocte nefario utraque incestu polluunt, ex quo deinde nati Moab & Amon totidem populorum Authores extiterunt.

An. 2048.
Isaac nascitur
G. 20. v. 21.

Abraam non multò post migrans ex convalle Mambre Ægyptum versùs horis ferè quatuordecim progressus est, & ab Abimelech Rege Geraræ licentiam petiit in ipsius terris habitandi, quam etiam Rex facillè de dit; at simul Saram, quam ille rursus

rurfus sororem suam dixerat, in Conjugem postulavit. Jámque fuerat in Regiam adducta, mox tamen iterum viro suo reddita additis etiam muneribus, postquam Rex in somnis à Domino monitus est, esse uxorem Abraham; quam cum recepisset, non diu post ipsam centenario diu & ardentibus votis expetitus totiesque à Domino promissus filius Isaac nascitur de Sara nonagenaria incredibili Parentum gaudio; isque octavo die circumcitur.

Isaac quinto ætatis anno ab lactatus est. Quo tempore Pater grande convivium dedit more utique antiquo & à Majoribus recepto, infante primùm, ut apparet, inter convivas sedente, eorumque cibos pro modulo suo participante. Paulo post videns Sara Ismaëlem cum Isaaco procacius colludentem, petiit, & licet agrè, à Patre impetravit, ut puerum cum Matre domo deturbaret. Errat igitur Ismaël primò in solitudine Bersabée, deinde in deserto Pharan habitans volente Agare mulierem Ægyptiam in uxorem duxit, genúsque Ismaëlitaram à seipso propagavit; qui postea per Arabiam habitantes Agareni & Saraceni dicti sunt. Et quia Ismaël decimò tertio primùm anno circumcisus est, hinc Arabes circumcissionem ad eum quoque annum differunt gentis suæ Authorem imitantes.

Inter hæc Sem moritur & Babylone sepelitur, cum esset sexcentorum annorum, omnium Patriarcharum post diluvium antiquissimus. In cujus familia retenta fuit vera pietas verusque DEI cultus plerisque aliis in idololatriam prolapsis: dico plerisque; nam satis constat, Abimelech & Melchisedech Chanaanorum Regulos veri DEI cultores extitisse cum magna subditorum parte, populo in utramque partem Principes suos imitante. Quòd si in Posteris maledicti Chanaan tales reperti sunt hoc tempore, minimè dubitandum videtur, etiam in aliis Chami & Japheti filiis ac nepotibus non paucos ubique terrarum fuisse, qui haustam à Noë pietatem foverint, ac propagarint.

Abraam.

Abraam verò, postquam cum Rege Abimelech foedus sanxit; quietus jam terræ puteum Bersabée circumjacentis, pos-

Sacra Veterum Temp. Histor.

D

seffor

Abraam jubetur filium immolare.

Isaac ab lactatur, Et Ismael domo ejicitur. G. 21. à v. 8.

Sem moritur. G. 11. v. 10. & 11.

Gen. 21. à v.
22. & Gen.
22. & 23.

seffor nemus plantavit, in quo solebat peregrinos excipere, atque ad veri DEI cultum adducere. Ibi quoque erexit altare & *invocavit Nomen Domini*: Quo tempore Isaac ea jam erat ætate, ut Pater brevi sperare posset nepotes toties à DEO promissos. At ecce inopinatò spem omnem sibimet suâ manu præcidere jubetur, ac filium in monte Moria, trium dierum itinere distante, DEO immolare. Arduo licèt mandato parere non dubitavit. Venerunt ad locum; & Isaac intellecta à Patre Domini voluntate mori paratus jugulum offert. Jamque impositum aræ filium Pater ferrò appetebat, cùm DEI ejusdem monitu neci subtrahitur. Abraamo verò in tantæ pietatis & obedientiæ præmium innumerabilis posteritas & ex eadem nasciturus ostenditur Messias, in quo *benedicentur omnes gentes terra*. Mox implexum arbutis arietem protrahit; quò loco filii in holocaustum oblatò rediit cum Isaaco suo in Bersabée.

Saram sepelit
G. 23. à v. 1.

Sara annos nata 127. excessit è vita in Hebron, quò Abraham cum ipsa paulò antè venerat, cùmque flevisset, & planxisset eam, speluncam duplicem cum agro propè Hebron ad eam sepeliendam pretio quadringentorum siclorum argenti probatæ monetæ publicæ comparavit, justisque eidem persolutis rediit in terram Geraræ.

Filio uxorem
quærit. G. 24.

Ubi cùm & ipse senesceret, & Filius jam quadragesimum ætatis annum attigisset, sponsam ei demum adjungendam esse putavit; quam in rem fidum servum in Mesopotamiam ad domum Nachoris Fratris sui ablegat; qui etiam re bene gesta Rebeccam Filiam Bathuelis Filii Nachoris sponsam octodecim circiter annos natam adduxit.

Ipsè Ceturam
Conjugem
accipit. G. 25.

Lætus hîs nuptiis Abraam Isaacum domui suæ deinceps præesse voluit. Ipse autem Ceturam ancillam in Conjugem accepit, ut senectutis suæ curam gereret, & familiam, quam sibi retinuerat, fideiùs ac simplex ancilla administraret. Ex qua quidem genuit adhuc sex filios; quorum tamen gesta ac mores Scriptura non memorat, quòd ad populum DEI, qui ex Isaaco propagandus erat, non pertinerent.

An. 2108.
Jacob & Esau
nati G. 25.
v. 25.

Isaac & Rebecca viginti annos jam cohabitârunt; nec tamen spes prolis apparuit. Quare sexagenarius pro sterili conjugè Dominum precatur & exauditus est; nam duos simul filios enixa est Esau & Jacob.

Abraham in senectate bona & plenus dierum demum moritur; cum prius quoddam quasi testamentum fecisset, & datâ aliqua Ismaëli & filiis ex Cetura genitis portione, omnium bonorum suorum hæredem Isaacum constituisset. *Gen. 25. v. 5. & 6.*

Isaac.

Isaac & Ismaël, ubi Patrem in spelunca duplici prope Hebron sepelierunt, iste in Arabiam, ille in Bersabeam rediit. Sed quod ob præteritam Ibi sterilitatem magnam annonæ inopiam pateretur, se suosque in Ægyptum tantisper transferre ipse qui dem cogitavit. Verum Dominus istud noluit, iussitque eum migrare in agrum Geraræ vicinum; simulque ipsi etiam eas promissiones confirmavit, quas toties Patri suo fecerat. Porro cum illuc venisset, ipse quoque Rebeccam in iis partibus suam esse sororem credi voluit, timens, ne aliàs interficeretur propter ejus pulchritudinem. At non diu latuit simulatio; cum enim Rex Abimelech, qui Patri successerat, Isaacum maritali licentia cum Rebecca jocantem de fenestra conspexisset, facilè uxorem esse intellexit, ac veritatem rei postea ab ipso Isaaco cognovit, contentus tamen cum amicè solùm corripuisse.

Demum etiam post exactos quadringentos sexaginta quatuor annos moritur Heber. Quid ab eo quinque penè sæculis, quibus vixit, gestum sit, ignoratur. Illud scitur, fuisse Prophetam, & per nomen Phaleg, filio suo impositum, linguarum ac populorum divisionem prædixisse; fuit quoque magno apud Posteriores pretio, qui accepto ab ipso Hebræorum nomine deinceps gloriabantur. Certè Moses Abraamum ipsum Hebræum, cum Patriarcham Josephum & omnes universè Jacobi posteros Hebræos appellat, nato licèt jam dudum Israëlitarum cognomine.

Interea in agro Gerariensî familia Isaaci opesque vehementer crescebant. Quæ res magnam ei invidiam confluxit apud Gerarienses, ita ut ipsi omnes puteos, tot gregibus necessarios obstruerent. Et Rex Geraræ ipse eidem non est veritus dicere: *Recede à nobis, quoniam potentior factus es nobis valde.* Itaque decellit ex illo agro orientem versùs ad torrentem &

D 2

vallem

Isaac ex Bersabea in vicinum Geraræ agrum migrat. *G. 26.*

An. 2187.

Heber. moritur. *G. 11. v. 16. & 17.*

Isaac redit in Bersabeam & cum Abimelech fœdus init. *G. 26.*

vallem Geraræ. Sed & hinc brevè migrare coactus est ob iniquitatem pastorum in eâ valle, aquam puteorum suam esse contendentium. Rediit ergo in Bersabeam; ubi apparuit ei Dominus consolans ipsum & renovans promissiones factas Abraham. Isaac verò erexit altare & *invocavit Nomen Domini*. Non multò post Abimelech animadvertens cum Isaac esse Dominum, illic profectus non modò amicitiam, sed & fœdus inire quæsit, in quod Isaac pro innata mansuetudine nuperæ injuriæ oblitus etiam consensit & hospitem convivio exceperit.

Esau vendit primogenitum & uxores Chananeas dicit. G. 25. à v. 25. & G. 26. v. 34. & G. 27. v. 46.

Cùm Esau & Jacob nascerentur, prior egressus est Esau, deinde Jacob plantam fratris manu tenens. Adulti in diversa studia ferebantur. Primogenitus Esau rufus & totus in morem pellis hispidus, naturâ ferocior atque ingenio agresti ruri ac venatione delectabatur. Jacob mitis ingenioque facilis animò potius excolendo quàm exercendo corpore occupabatur, domi seu in tabernaculis assiduus. Pater amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur. Et Rebecca diligebat Jacob. Accidit, ut Esau omnino lassus aliquando ruri rediret, videretque pulmentum, quod è lentibus coxerat Jacob. Avidus cibi Esau rogat, sibi quoque det de coctione hac rufa. Jacob jam diu intentus in occasionem primogenituræ in se transferendæ, quam sibi divinitus destinatam à Matre didicerat, annuit, si sibi Jus Primogenituræ juratò cederet. Juravit, & cessit imprudens, quasi parvi pendenda esset Primogenitura, quæ tamen tam insignia Jura annexa habebat, ut duplicem portionem in hæreditate: benedictionem à parentibus morientibus: dominium quoddam in cæteros fratres; hinc postea Isaac dixit Jacobo: Esto Dominus fratrum tuorum, aliâque Jura ejusmodi. Sed longè pejus sibi consuluit, cum nunc quadragenarius alienigenarum sese affinitatibus implicaret. Duas enim uxores Hethæas ex genere Chanaan duxit inconsultis sine dubio parentibus; & filias Heth deinceps obliquè solum aspicientibus. *Gen. 26. v. 34.*

Jacob Fratri benedictionem paternam præripit. G. 27.

Cùm Jacob Jus primogenituræ jam antea sibi vendicasset, nunc Fratri etiam paternam benedictionem præripit. Esau quoddam die foràs egresso, ut ex venatione gratum aliàs Patri pulmentum coqueret; Rebecca, quæ ex illa Domini sibi facta promissione *major serviet minori* didicerat, Jus primogenito debitum divina dispensatione ad Jacobum fuisse translatum, ex hædina

dina carne novit eâ arte præparare cibum, ut sapor non differret à pulmento ex ferinâ desiderato, quod dum Jacob à Matre subornatus caliganti seni apponit, simulque vestibus ac hœdinis pellibus in collo ac manibus tectus pilosum Esau refert solâ voce suspectus; eidem Isaac velut Primogenito bene precatur, in speciem deceptus, re autem vera divina executus consilia.

Hinc verò natum est ingens odium Esau in Jacobum, adeò quidem ut cogitaret fratri necem inferre, cum primùm Pater mortuus esset, quod brevi fore videbatur. Mater dilecti filii periculò territa fugam ei suadet ad Laban fratrem suum; quod consilium cum etiam Patri placuisset, ac datam Jacobo benedictionem intellectâ totâ, quam uxor luserat, probatâque scena iterâisset; Jacob in Mesopotamiam profectus est tum fratris iram vitaturus, tum uxorem accepturus de cognatione suâ. Hactenus enim licet septuaginta septem annos natus rarâ profectò contentiâ cœlebs erat; cum Esau jam multos ex uxoribus suis liberos suscepisset.

Dum magnis itineribus Haran petit, Solis occasu, & tenebris quodam die citiùs oppressus est, quàm ut posset in oppidum aliquod divertere. Ergo sub Dio idoneum quieti locum capit, lapidemque vice pulvilli capiti subjicit. Dormiens celebrem illam scalam mysteriisque plenissimam vidit, quæ Cœlum terræ, divinitatem humanitati in Messie personâ conjungebat. Angeli per eam ascendebant & descendebant; & Dominus innixus scalæ ei dicebat: *Ego sum Dominus DEus Abraam Patris tui & DEus Isaac. Terram, in quâ dormis, tibi dabo & semini tuo. Erisque semen tuum quasi pulvis terra: & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terra.* Evigilans Jacob pavensque quàm terribilis est, inquit, locus iste! verè non est hic aliud nisi domus DEI & porta Cali. Surgensque lapidem in divinæ visionis monumentum erexit, ut ex eâ peregrinatione reversus ibi DEum iterum honoraret.

Inde progressus reliquum iter septem ferè diebus confecit, Haranque pervenit. Propositâ adventûs sui causâ Labanum à suis votis haud alienum invenit, quibus Rachelem natu minorem filiam in uxorem petierat, & quòd inops rerum ac penè nudus adesset, famulatum offert locò munerum. Sponsalibus ita con-

Jacob fugit fratrem & abit in Mesopotamiam. G. 27. à v. 41. & G. 28. à v. 1.

In via videt scalam mirabilem. G. 28. à v. 11.

Contrahit sponsalia cum Rachele. G. c. 29. à v. 20.

tractis nuptiæ congressusque maritalis integro septennio differuntur.

Ex Rachele
Josephum, ex
Lia & duabus
ancillis alios
undecim li-
beros suscipit
G. c. 29. à v.
23. & G. c. 30.

Evolutis septem annis celebratæ sunt nuptiæ cum Rachele & convivium cum multa amicorum frequentia. At nocte Laban natu majorem, quam habebat filiam, Liam nomine, Racheli substituit, quam fraudem cum Sponsus illucescente primùm die advertisset, perfidiam Socero exprobravit; cui tamen mox acquievit, postquam Laban ei utramque in uxorem obtulit, Liam quidem jam nunc per mutuum consensum, Rachelem verò post septimum à convivio diem eâ lege satis durâ, ut septem alios adhuc annos famularetur. Itaque post septem dies etiam Rachelem habuit uxorem; cui Laban dedit ancillam, sicut antea Liæ dederat Zelpham. Atque ex quatuor his sceminis Jacob intra septem annos genuit duodecim liberos: septem de Liâ, unum de Rachele, & quatuor de duabus ancillis. Ex Liâ nempe nati sunt Ruben, Simeon, Levi, Judâ, Isâchar, Zabulon, & Dinâ filia. Ex Bala Dan & Nephtali. Ex Zelpha Gad & Aser. Ultimo septennii anno tandem etiam Rachelem miseratus Dominus scœcundam reddidit, eaque peperit Josephum.

An. 2198.
Diocesum
molitur, sed
retinetur.
G. 30. à v. 25.

Jacob post quatuordecim annorum famulatum ad Patrem redire desiderans (Mater Rebecca interea jam obierat) à Socero retinetur rogaturque apud se maneat pro mercede quidem deinceps, quam sibi statuisset. Assensit denique hoc pacto: daret sibi pascendas unius coloris oves; ex his maculoso vellere nascituræ ad se pertinerent, unius & ejusdem coloris essent Labani. Acceptâ conditione Jacob hoc artificio usus est: Virgas detracta per circulos cortice fecit ex viridi & albo discolors, easque posuit in canalibus, ubi adaquabantur greges. Oves igitur dum virgas, cum ex arietibus conciperent, in oculis habent, varios & maculosos scetus suo tempore pariebant, factumque est, ut sic plurima & optima quæque pecora Jacobo nascerentur, pauca cætera Laban acciperet. Quod iste animadvertens mutato pacto voluit, ut deinceps unius coloris oves Jacobi, variæ suæ essent. Sed & sic Jacob felicior fuit, ditatusque est ultra modum, & habuit greges multos, ancillas & servos, camelos & asinos; quos scilicet emit ex pretio venditarum ovium, quæ subinde sub suâ suorùmque manu multiplicabantur.

Cùm

Cum fortè Laban ad tondendas oves suas tridui itinere distantes profectus esset, Jacob occasione utendum ratus è Mesopotamia in Patriam clam Socero, quem viginti omnino annis sibi parùm æquum expertus esset, hortante etiam Domino, redire statuit. Communicatò igitur uxoribus consiliò cum tota familia ac gregibus se in viam dat. Transito Euphrate jam ad montem Galaad pervenerat, cum ecce Laban cum aliquot suorum fugientes intra septem dies assequitur. Verùm, quòd à DEO prohiberetur, nihil eidem mali inferre potuit; sed potiùs sancito amicitiae fœdere in Haran reversus est, id solùm ægrè ferens, quòd inter excussa diligenter impedimenta non invenisset Deos suos, seu parva Idola, quæ Rachel surripuerat, iisque nunc, menstrua callidè simulans, insidebat.

Isto periculo defunctus magis timebat fratrem Esau, quem ut desiniret, misit nuncios in terram Edom sive Idumæam, ubi habitabat, honoris causâ, qui fratrem suo nomine salutarent, deque rerum suarum statu edocerent. Qui cum retulissent, Esau venire cum quadringentis viris armatis, magis consternatus, propitiatò sibi precibus DEO fratrem placare satagit muneribus, quæ eodem adhuc die per servos præmisit: capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti & pullos earum decem. Intempestâ nocte deinde eo loco, ubi Angelorum aliquot concursu priùs honoratus fuerat, surgens in vado torrentis traduxit totam familiam; quæ dum progreditur, solus ipse remansit ad orandum. Et ecce Angelus viri formam indutus orantem repenti aggreditur, vincere verò adeò non potuit, ut veniente aurora cogeretur etiam rogare Jacobum, ut se dimitteret, fatereturque ipsam se fortiorem, ideòque ipsi Israël nomen tribueret reportatæ victoriæ monumentum. Interea sui satis longè progressi erant, quos tamen, licet ob nervum in femore ab Angelo læsum claudicans, assecutus est.

Haud multò post videt venientem fratrem viris quadringentis stipatum. Igitur juxta ordinem heri præceptum Zelpha & Bala cum quatuor liberis procedunt. Sequitur Lia cum suis septem. Denique Rachel cum suo Joseph. Ipse autem Jacob antecessit, & adoravit pronus in terram septies. Hanc animi corporisque demissionem admiratus Esau cucurrit obviam Fra-

Fugit cum
Suis G. 31.

Cum Angelo
luctatur, mit-
titque fratri
munera.

G. 32. & 33

Amicè à fra-
tre excipitur
in via.

G. 33. à v. 4.

tri

tri & amplexatus est eum stringé sive collum ejus & osculans flevit. Post varia deinde officia Esau admissis denique muneribus reversus est in terram Edom; Jacob autem venit in locum Socoth, ubi missis ad Patrem muneribus reliquum hunc & sequentem annum commoratus est.

Dina violationem filii ulciscuntur.
G. 34.

Transmisso Jordane migravit in partes Sichimorum, ubi agrum centum agnis redemit, erectoque ad cultum divinum altari octo ferè annis habitavit, ut tamen non raro Bersabeam ad Patrem excurreret. Accidit, ut Dina vicinam urbem, solenne loci illius festum videndi curiositate ingressa, à Filio Principis vi opprimeretur, quod cum illa intoleranter ferret, Princeps dedecori ut remedium afferret, puellam filio suo in sponsam unaque connubiorum & Regionis ipsius communionem expetiit. Filii Jacob in utrumque, si Princeps cum suis circumcisionis ritum admitteret, consentire videbantur. Aquiescit, & toti populo suo circumcisionem persuadet. At Simeon & Levi tertio post die assumptâ servorum turma improvisò in urbem irruentes Principem ac Filium ceterosque ex vulnere circumcisionis ad defensionem invalidos confodiunt, & ingenti cæde ac urbis præda sororis injuriam ulciscuntur.

Jacob migrat in Bethel.
G. c. 35.

Jacob sibi suisque metuens monetur à DEO terrâ illâ excedere & familiam transferre in Bethel, seu locum illum, ubi ante triginta annos in Mesopotamiam fugiens mirabilem illam in somnis scalam viderat. Inter prædam ex urbis depopulatione aliam filii servique multa Deorum simulacra & ornamenta habebant. Hæc igitur prius in detestationem Idololatriæ juxta Terebinthum altè defodit. Deinde vasa colligere jussit ac proficisci. Lapis, quem olim posuerat, interea disjectus fuerat ab hominibus loci Religionem ignorantibus. Ubi igitur illuc pervenit, lapidem iterum erexit Deoque altare statuit. DEUS autem ipsi nomen Israël confirmavit, quo deinceps etiam Posteriores gloriarentur.

Venit cum familia in Hebron ad Patrem. Et Rachel moritur ex partu.

Haud diu ibi commoratus rursus itineri se dedit, ut denique cum tota familia in Hebron ad Patrem accederet, quem solus ipse hætenus subinde inviserat, ejusque in senio & oculorum caligine decumbentis familiam per fidum Procuratorem gubernaverat. Iter istud fuit satis infaustum; nam in viâ versus Bethleem Rachel obiit, cum prius inter magnos dolores Benjaminum esset

esset enixa. Deinde Ruben dormivit cum Bala non sine ingenti
utique Patris mœrore incestum detestantis.

Ut primum utraque in valle Hebron sese junxit familia, benè
advertit Jacob, terram non sufficere pascendis tot gregibus &
armentis. Quare Pastores cum suis gregibus dimisit in agrum
Sichimorum, unde priori anno fugerat, nixus divinâ contra Si-
chimitas præteritæ cladis adhuc memores protectione. Neque
diu distulit filios quoque Liæ & ancillarum illuc mittere, qui Pa-
storibus præsidio essent, si res postularer, & parentem apud ipsos
repræsentarent.

Cùm aliquanto jam tempore nullum à filiis nuntium acce-
pisset, ad eos Josephum suum ablegavit, renuntiaturum, quo
loco res essent. Porro Josephum, qui tunc expleverat deci-
mum sextum ætatis annum, jam à multo tempore oderant fra-
tres, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Causa odii po-
tissima fuerat, quòd à Parente teneriùs diligeretur, fulgeretque
inter fratres tunicâ polymitâ, diverforum scilicet colorum, ta-
larî, manicatâ, & multis licitâ textâ. Ob quòd cùm ab eis ex
invidia singularis in eum paterni amoris vexaretur, eos de hoc
crimine pessimo apud Patrem accusaverat. Accesserunt & so-
mnia, quæ fratribus puerili simplicitate narrabat. Unum erat:
*Putabam, inquebat, nos ligare manipulos in agro, & quasi
confergere manipulum meum & stare, vestrosque manipulos cir-
cumstantes adorare manipulum meum.* Alias Matre adhuc vi-
vente: *Vidi, inquebat, quasi Solem & Lunam & Stellâ undecim
adorare me.* Quæ somnia majoris semper odii fomitem
præbuerunt.

Vix in fratrum conspectum venit, cùm de morte ei infe-
renda consultarunt. Igitur arreptum in profundam ac siccam
cisternam demittunt, fame enecandum. Mutatò autem postea
adnitente Judæ consiliò transeuntibus Ismaëlitis venditus est.
Ab his in Ægyptum deductus Putiphari Magistro militum tra-
ditur; qui cùm per aliquot annos Josephi fidem, obedientiam,
& majorem quàm pro ætate prudentiam notasset, & in rebus
gerendis felicitatem, Juvenem demum omnibus domûs suæ ne-
gotiis præfecit.

Interim fratres ut à se criminis suspicionem averterent tu-
nicam veniti fratris sanguine hædi asperserunt, miseruntque
Sacra Veterum Temp. Histor. E Pa.

c. 35. v. 27.
v. 19. v. 22.

Misit filios
cum gregi-
bus in Sichim.
c. 37.

Submittit ad
eos Josephum.
Gen. 37.

Fratres Jose-
phum ven-
dunt, qui du-
citur in Ægy-
ptum. G. 37.
à v. 28. & G.
39. à v. 1. ad
7.

Jacob luges
filium. G. 37.
Pa. à v. 31.

Patri, quò fidem ipsi facerent, filium in via ab aliqua fera devoratum. Et verò credidit Jacob, scisisque vestibus ac indutus cilicio *noluit consolationem accipere.*

Judas & Levi uxores ducunt. G. c. 38. à v. 1. ad 6.

Non diu post Judas Chananzam conjugem Sue nomine duxit. Ex qua ei nati sunt tres filii, Her, Onan & Sela. Levi quoque accepta uxore genuit Gerson, Merari, & Caath, futurum Amrami Patrem, Moïsi verò & Aaronis Avum.

Joseph mittitur in carcerem. Gen. c. 39. à v. 6. & c. 40.

In Ægypto Joseph cum non solum apud Dominum suum gratia valeret, sed & ab hujus uxore ut filius diligeretur, amore paulatim depravato, primo adhibebat blanditias, postea autem veste apprehensum ad facinus tantum non compellebat, quod cum, relicto etiam in manu mulieris pallio, detrectasset, illa amorem in odium convertit, eumque apud Maritum attentati adulterii accusat, ac in fidei argumentum pallium ostendit; quibus auditis Putiphar nimium credulus Josephum coniecit in carcerem. Post unum ferè annum in eundem carcerem missi fuerant duo ex aula Regis unus Pincernarum, alter Pistorum Praefectus. Contigit, ut Joseph ambos solito tristiores animadverteret. Causam rogati, ob somnia, quae praeiterita nocte habuissent, se tristes & rerum expectatione suspensos esse fassi sunt; quae cum narraissent, Joseph utriusque somnium, indicante Deo, feliciter dissolvit. Pincernae praedixit fore, ut post tres dies restitueretur in gratiam, porrigatque rursus calicem Pharaoni: Alteri, post tres dies educendum e carcere, ac in cruce suspensum volucris praedam fore; dieque tertio ita contigit. Rogaverat quidem Joseph, ut Pincerna sui apud Pharaonem memor esset: sed ingratus Interpretis sui oblitus est.

Joseph carcere eductus Pharaoni somnium explicat, & fit Prorex. c. 41.

Post duos annos, quam Pincerna carcere solutus erat, ipse Pharao quadam nocte somniabat, se juxta Nilum stare; ex quo emergerent septem vaccae pingues, ac pascerentur deinde in locis humentibus atque herbidis remotius à fluminis alveo. Post has totidem alias ascendere sed macie confectas, ac in ipsa ripa tenuem cibum carpere somniabat: demum pingues illas à macilentis fuisse devoratas. Expergefactus Pharao rursus dormivit, & vidit alterum somnium materia quidem diversum, significatione autem unum & idem de septem spicis plenis totidemque tenuibus & uredine percussis. Manè Pharao somniorum conjectoribus, quae ea nocte vidisset, indicat. At cum nullus esset, qui

qui somnia interpretaretur; demum Pincernarum Praefectus Regi Author est, ut jubeat vocari Josephum, narrans, quae sibi ante biennium ac socio accidissent. Confestim carcere eductus Regi sistitur; à quo cum somnia audivisset, utroque, aiebat, portendi, quae DEUS paulò post in Ægypto esset factururus. Futuros nempe septem magnae ubertatis annos; secuturos deinde totidem steriles, qui cunctam retrò abundantiam veluti absorbeant; geminum porro diversae materiae somnium indicare magnam fore tam copiam quam inopiam pecoris ac frumenti, quibus vita maximè sustentatur. Cùmque etiam consilium suggessisset, quò sterilibus septennii calamitati occurreretur; visum est Regi & Optimatibus ipsum Josephum rei frumentariae statim praeficere, ut abundantiae & sterilitatis annos rectè dispenseret. Insuper Rex Spiritu DEI plenum ac sapientià supra humanum fastigium publicè pronuntiavit, auxitque summis honoribus ac prima post suam in Regno dignitate. Denique ipsum honoravit conjugio filiae Sacerdotis Heliopolitae. Hæc in Ægypto.

In valle Hebron autem interea mortuus est Isaac 180. annorum senex & plenus dierum, sepultusque est à filiis Esau & Jacob. Qui cum jam ante quadraginta duos annos ita caligasset, ut Jacobum à fratre non nisi tactu discernere posset, hactenus in densis tenebris vixisse merito existimari potest, rerumque administratione filiis relicta uni DEO cum multa patientia vacasse.

Post mortem Parentis divisus cum Fratre bonis Esau recessit in montem seir, sive in terram Edom, ac Idumæam ab ipso dictam cum tota familia sua & cunctis, quae habere poterat in terra Chanaan. Divites enim erant valde, & simul habitare non poterant præ multitudinem gregum. Esau habebat jam tunc ex duabus uxoribus chanaanæis & ex tertiâ Ismaëlis filia, quinque filios. Inter quos primogenitus Eliphat genuit postea filium Amelec, Patrem deinde gentis Amalecitarum. Secundogenitus Esau erat Rahuel, qui postea genuit filium Zara Patrem Iobabi sive Jobi. Qui, uti & cæteri filii Esau atque nepotes facti sunt in terris illis Duces ac Principes. Imò Jobab seu Job mortuo primo in illis terris Rege Dela Horrao Rex fuit partâ fortassis Jure belli hæc dignitate. Porro Esau, Pater Idumæorum, incertum quâ ætate, multâ posteritate relicta piè, ut multi credunt, ibidem mortem obiit. Nam quod Malachias c. i. v. 3. dicat:

E 2

Jacob

Isaac 180. annorum
senex & plenus dierum
sepultusque est à filiis
Esau & Jacob.

An. 222. Isaac
ac moritur in
Hebron.
c. 35. v. 28.
& 29.

Esau in montem
Seir recessit
& moritur.
G. c. 36.

Jobab seu Job
mortuo primo in illis
terris Rege Dela Horrao
Rex fuit partâ fortassis
Jure belli hæc dignitate.

Jacob dilexi: Esau verò odio habui; ajunt, Prophetam agere de populis duobus non de personis singularibus; amorémque illum & odium ad bona maláque temporalia, non ad æterna referrí; nec esse sermonem de rejectione à salute æterna, sed à temporali benedictione paterna, & jure primogenituræ.

Judas genuit
Phares & Za-
sam de Tha-
mar. G. c, 38.
à. v. 6.

Mortuo Patre & in montem Seir digresso fratre solus Jacob habitavit in Hebron cum filiis ac nepotibus; inter quos Her primogenitus Judæ ubi primùm ad annos pubertatis pervenit, Pater ei Thamar insignis formæ puellam conjugem dedit. Sed quòd esset *nequam in conspectu Domini* impediendò generationem, ut sic frueretur diutius uxoris pulchritudine, quæ parturitionibus deflorescit, à DEO tertia nuptiarum nocte per Angelum occisus est. Dedit igitur Judas Thamarẽ filio secundò genito Onan, ut loco & nomine fratris gigneret liberos more tunc usitato & postea etiam lege sancito, ut sic familiarum perpetuitati & legitimæ hæreditatum successioni consulereetur. At Onan malebat fratris nomen extinguí filiorum defectu, seque suosque quos ex propria suscepisset uxore, in Primogeniti Jura succedere. Itaque quando ingressus est ad Thamar, nefariam libidinem sine tactu uxoris alias expl. vit. Unde & ipse per Angelum ultore Domino peremptus est. Thamar post occisos divinitus duos maritos cum à Juda tertium filium Sela, quod tamen ille promiserat, in virum obtinere non posset, amore prolis impulsus per fraudem ab ipso Juda, cujus uxor Sue tunc jam obierat, concepit. Nam cum judas quodam die egrederetur ad tendendas oves, Thamar assumpto cultiore habitu velatòque vultu, ne facile agnosci posset, confedit in bivio itineris: Transiens Judas credit esse meretricem, petitque, sibi faciat corporis potestatem, hædum mercedis loco promittens: Consensit illa, si interim pignus relinqueret sibi anulum, armillam, & baculum, quem manu teneret: Dedit improvidus. Post tres menses rumor ad Judam pervenit, Thamarẽ nurum suam uterum ferre. Indignatus comburendam pronuntiavit. At ubi missis pignorbús se vidit mulieris astutiã circumventum, absoluta est, & post 6. menses peperit gemellos Phares & Zaran, in cujus postremi manu erat coccinum.

Jacob mittit
filium in

Interea evoluti erant septem fertilitatis anni, & horrea Ægypti frugibús Authoritate & curã Josephi erant in singulis urbi-

urbibus inpleta; tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquarentur, & copia mensuram excederet *Gen. 40. v. 48. & 49.* Cum autem nunc sequerentur septem anni inopiæ, in universo orbe fames prævaluit. *Gen. 40. v. 54.* & ob sterilitatem toto orbe panis deerat, & oppræsserat fames terram, maxime autem terram *Ægypti & Chanaan.* *Gen. 47. v. 13.* In hac universali calamitate felices erant Provinciæ, quæ venire poterant in *Ægyptum* ut emerent escas & malum inopiæ superarent. Cumque etiam in Chanaanitide vulgaretur, triticum vendi in vicina *Ægypto*, misit illuc etiam Jacob decem filios suos cum pecuniis, solo Benjaminò domi retento, metuens, ne fortè in itinere quidquam patiatur mali. *Gen. 42. v. 4.* Admissi ad conspectum Joseph, cujus solius nutu frumentum populis vendebatur, eum, mutata facie, voce ac linguâ cultuque corporis *Ægyptium*, non agnoverunt. At ipse hos suos esse fratres statim advertit: veluti alienos tamen vultu ad severitatem composito per Interpretem allocutus est, rogavitque qui sint, unde veniant, quid petant? illi quidem ad singula responderunt humiliter, ipse autem se dictis ipsorum fidem non habere simulans velut exploratores in unum carcerem omnes conjecit. Post triduum liberos quidem reliquos in patriam redire permisit, retentò tamen tamdiu in vinculis Simeone, donec fratrem, quem dixissent, natu minimum adducerent, itaque se fide dignos probarent. Ergo faccis (quod Joseph seorsim mandaverat) triticò impletis se dant in viam metu ac inopinatæ rei eventu suspensi, præsertim cum etiam per viam in summitate sacci suam quisque pecuniam invenissent.

Domum appulsi anxie Patri certatim casus omnes referunt. Illud Senem maxime afflixit, quòd Prorex Benjaminum videre petiisset. Non tam Simeonis fortuna quàm fames coëgit, ut eum dimitteret. Jubet ergo parari munera ad placandum Proregem. Præter novam voluit quoque reportari illam pecuniam, quæ inventa fuerat in ore saccorum, veritus, ne id potius imprudentiâ famulorum, quàm Domini liberalitate contigisset. Illi magnis itineribus in *Ægyptum* perveniunt, & steterunt coram Joseph; quos cum obiter ac inter eos Benjaminum vidisset, dispensatori domus suæ in aurem dixit, eos in palatium suum deducat, parètque convivium, quoniam mecum, uti ajebat, sunt

Ægyptum
pro frumena-
to. c. 42.

Mittit eos se-
cundo cura
Benjaminò.
G. c. 42.

comesturi meridie. Illi ubi se rursus clausos viderunt, veriti, ne forte ob pecuniam cum tritico exportatam calumniam paterentur, sollicitè Dispensatori domus rem, prout gesta fuerat, aperunt; qui eos consolans ait: *Nolite timere, DEUS vester & DEUS Patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Ita nempe didicerat à Josepho respondendum esse, si quid hujusmodi ab eis referretur ad ipsum. Educto deinde Simeone monet, Dominum suum velle, ut cum ipso prandium sumant.

Paulò pòst ingredientem munera tenentes in manibus prono in terram corpore adoraverunt, somniorum veritatem abundè comprobantes. Ille clementer resalutatos interrogavit de Pattis sospitate, de natu inter eos minimo, quem dum in turba fratrum vidit, amoris teneritudine commotus ad lacrimas, in conclave interius festinanter se recepit, ut fieret remotis arbitris. At lotà facie brevi iterum egressus iussit cibos afferi, Joseph seorsim & solus in una mensa sedebat, in altera è Regione fratres; in tertia Ægyptii. Solutà mensà dum hospites se ad quierem recipiunt, Joseph præcepit Dispensatori impleri saccos frumentò, simul includi cujusque pecuniam, in summitate sacci Benjaminì insuper scyphum suum argenteum. Quod cum Dispensator magna fide & prudentià fecisset, orto manè dimissi sunt cum asinis suis, læti, quòd Simeonem recepissent, Benjaminum reducerent, ac Patrem incredibili gaudiò eumulaturi essent. At paululùm urbe egressi processerant, cum submissus à Josepho Dispensator eos cum armata manu persequitur; & quare, verbis Josephi inquit, *reddidistis malum pro bono? scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus.* Illi tam atroci atque inopinato nuntio perculsi accusationem humili oratione repellunt. At ubi Dispensator scrutatus singulorum saccos, scyphum denique invenit in sacco Benjaminì; tum verò scisis vestibus præ animi dolore & confusione probrosi criminis, in quo deprehensi videbantur, oneratis rursus asinis reversi sunt in oppidum.

In conspectum Pro-Regis admissi omnes in terram corruerunt ingentem animi consternationem ipsò silentiò demonstrantes. Ille quidem primò vultu ac voce ad severitatem composita eos increpavit dicens; *Cur sic agere voluistis?* at ubi Judas, qui cæteris constantior erat, atque animosior potenti oratione

Fratres à Josepho dimituntur, sed mox retrahuntur tanquam rei.
G. 43. à v. 26.
& G. 44. à v. 1. ad 14. c. 44.

Fratres denique Josephum agnoscunt.
G. 44. à v. 14. & G. 45. à v. 1. ad 16.

ione pro Beniamino locutus est, non se potuit ultra cohibere Joseph jussisque egredi Ægyptiis Hebræa voce & sine Interprete elevavit vocem cum fletu & dixit: *Ego sum Joseph; adhuc Pater meus vivit?* quæ vox cum attonitos & quasi stupore defixos redderet; ille ut timoris causam averteret: *Nolite, inquit, pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me. Pro salute enim vestrà misit me Dominus ante vos in Ægyptum.* Hoc ipsum eos Patri referre jussit, eumque hortari, ut, cum quinque adhuc anni famis restarent, secum universam familiam in Ægyptum transferret. Demum omnes amanter *amplexatur*: initio ducto à fratre uterino, *omnes osculatur & plorat super singulos*; simulque isto quasi pignore injuriarum oblivionem & veram reconciliationem confirmat. *Post quæ ausi sunt loqui ad eum.*

Res hæc cum in Regiam atque aures Pharaonis venisset, Rex cum universa aula magnoperè gavissus præcepit Josepho, ut omnia, quæ ad iter Patris & familiæ ejus in Ægyptum viderentur necessaria, curaret; quæ ipse diligenter executus est. Redeuntes ergo ex Ægypto venerunt in Hebron ad Patrem suum Jacob, eique nuntiârunt Joseph filium ejus vivere, & dominari in omni terra Ægypti. Verum licet id uno omnes ore affirmarent, non tamen credidit, veritus scilicet, ne ex composito ad se consolandum fabulam afferrent ex Ægypto. At ubi vidit adventantes currus & plaustra, & asinos cum muneribus, quæ famuli distabant, tum denique fidem adhibuit; & *revixit spiritus ejus* dixitque: *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit; vadam & videbo illum antequam moriar.*

Jacob iter cum universa familia ex Hebron Ægyptum versus ingreditur, ad quod eum etiam Dominus, in Hebron quidem interiùs, deinde verò, cum in Bersabée eidem Sacrificium offerret, apertè hortatus est, retenta tamen possessione terræ, quam ipse in Sichem, & quam Avus emerat in Hebron cum spelun. à duplici. Appropinquans Ægypto præmisit Judam, qui nuntiaret Josepho, venire Patrem; quem ubi vidit Joseph, *irruit super colulum ejus, & inter amplexus flevit.* Flevit & Senex ac inter lacrimas: *Jam letus, inquit, morior, quia vidi faciem tuam & superstitem te relinquo.* Tum Joseph fratres salutavit & amplexus est. A complexu ventum est ad colloquia, deinde ad convivium. Cum adeundus esset Rex, sollicitè Patrem & fratres

mo.

Joseph re-
mittit fratres
& invitat Pa-
trem in Æ-
gyptum. G.
45. à v. 16.

An. 2231.

Jacob Mi-
grat cum suis
in Ægyptum
Jacob. G. 46.

8. 47.

Jacob. G. 46.

8. 47.

Jacob. G. 46.

8. 47.

Jacob. G. 46.

8. 47.

Jacob. G. 46.

8. 47.

monuit, ut à Pharaone rogati responderent se Pastores esse, un-
que huic negotio operam dare, ut sic in terra Gessen seorsim ab
Ægyptiis habitare possent, qui Pastoras ovium detestantur. In-
troducitur ad Regem Jacob eidem plurimam imprecatum est feli-
citatem; à quo etiam benignè exceptus deque ætate interro-
gatus, post breve colloquium dimissus est. Joseph autem Patri
ejusque familiæ oppidum Ramesse & optimam, veluti à Rege in
mandatis acceperat, partem in terra Gessen dedit possidendam.

An. 2255.

Moritur in
Ægypto,
postquam be-
nedixit filiis.

G. c. 48. 49.

30.

Jacob cum in Ægypto annos septendecim exegisset, mortu-
us est anno ætatis 147. Funus magnificè curatum. Corpus aro-
matibus conditum, & uti vivens optaverat, in Majorum sepul-
chro conditum in speiunca duplici propè Hebron, quò Joseph
cum Fratribus & magno comitatu Magnatum Ægyptiorum lon-
go itinere venit. Priusquam moreretur, Manassen & Ephaim
filios Joseph in suos recepit, futuros duarum tribuum Patriarchas,
ipsi verò Joseph donavit terram quam olim emerat propè Sichem.
Deinde reliquis decem filiis benè precatus est. Porro benedi-
ctio omnium gravissima fuit, quam dedit Judæ. Huic enim præ-
dixit, sceptrum seu gubernandi authoritatem non auferendam de
tribu Judæ aut de gente Judæa, donec veniat Messias.

Levi,

Jobi calamita-
tes.

Lib. Job per
42. capita.

30.

Amram na-
scitur & Isra-
elita multi-
plicatur. c.
30. v. 21. &
22.

An. 2308.

Joseph mo-
ritur.

G. 30. à v. 23.

HOc ferè tempore Job, natus ex Zara nepote Esau in Idumæa
includente etiam terram Hus non longè à mari Galilææ ver-
sus Arabiam desertam, DEO permittente exercetur, & à Satanâ
cum domesticis calamitatibus ac liberorum clade miserandâ, tum
ulcere gravissimo ac variis incommodis afficitur in terra Hus,
ubi veluti Princeps erat; & inter tot calamitates, si Tornielli
computus valet, ultra ducentos annos vitam prorogavit.

Amram Mosis & Aaronis postea Pater nascitur Patre Caath
filio Patriarchæ Levi. Quo tempore florebat in Ægypto & ve-
hementer multiplicabantur Israëlita; eos tum divinâ providen-
tiâ tum Josephi Pro Regis potentiâ prudentiâque protegente.

Joseph postquam gessit Principatum octoginta annos, mo-
ritur convocatis prius ad se ex terra Gessen in urbem Regiam
fratribus; quibus prædixit afflictionem Israëlitarum brevi secu-
turam; simul reditum eorum in terram, quam Dominus jura-
verat

verat Abraham, Isaac & Jacob. Adjuravit quoque eos de transferendis ossibus suis ex Ægypto, quod postea Moses fideliter præstitit.

Non multò post ex hac vita migrarunt etiam reliqui fratres, ac primus Simeon, de quo extrat Patris accusatio verius quam benedictio ob eadem Sichimitarum. Nec sine causa hunc in vinculis tenuit Joseph, utpote invidiæ & voluntatis ipsum occidendi præcipuè reum. Secutus est Judas ordine nativitatis quartus, dignitate inter fratres primus. Hunc enim eximiis laudibus extulit moriens Pater, & à fratribus laudatum iri affirmavit. Deus ipse fratribus antetulit, dum ex ejus familia nasci voluit mundi servatorem & magnam partem Regum ac Principum, qui DEI populum gubernarunt. Tertius mortuus est Ruben; cujus cum uxore Patris facinus Jacob moriens severè damnavit. Quartus Isachar quintus Liæ filius. Quintus Zabulon sextus Liæ filius. Sextus Dan filius Balæ Ancillæ. Septimus Aser filius Zelphæ Ancillæ. Octavus Benjamin natu minimus Rachelis filius doloris. Nonus Nephtali filius Balæ Ancillæ. Decimus Gad filius Zelphæ Ancillæ. Hi omnes inter Josephum & Levi mortui sunt. Hebræi enim in suo Chronico habent non fuisse inter Patriarchas, qui minùs vixerit Josepho, neque ullum, qui Levi vivendo superaverit.

Levi tertius ex Lia natus moritur. In hunc quoque severa fuit Patris benedictio propter eadem Principis Sichem, cujus ipse in primis particeps ac patratore fuit. Ejus familia postea nec certò locò sedit ut reliquæ, nec numerò magna fuit, providente Domino, ne qui à reliquis tribubus sustentandi erant, nimia multitudine oneri essent. Hanc tamen tribum maximè honoravit Dominus, qui eam singulariter ad se colendum assumpsit, sibi que sanctificavit. Nam ex hac tribu omnes Sacerdotes summique Pontifices orti sunt, qui etiam multis sæculis Judæorum simul Rempublicam administrarunt, omnium Principes ac Authores Aaron, & filiis ejus. Non diu post defuncti etiam sunt Ephraim & Manasses filii Joseph ad dignitatem Patriarchatus ab Avo adsciti, nati que in Ægypto ab Ægyptia muliere nobili, & ad veri DEI cognitionem traducta.

Mortuus
reliqui Patri-
archæ.
Exodi r. v. 6.

Moritur Levi,
Ephraim &
Manasses ul-
timi ex Pa-
triarchis.

Amram.

An. 2348.
Incipit perse-
cutio Israeli-
tarum. Exodi
c. 1.

Mortuò Josephò & ejus fratribus surrexit Rex novus Ame-
nophis, qui ignoravit Joseph vel potius Josephi beneficio-
rum memoriam obliteravit, quique iniquioribus oculis Israëlita-
tas cœpit intueri primò, deinde etiam formidare, ac demum at-
terere atque vexare; nam, ut ait Moses, *creverunt & quasi ger-
minantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt ter-
ram.* Igitur Pharaò eis præfecit tributorum exactores, à quibus
supra modum gravabantur, cum vivente Josepho ab iis fuissent
exempti. Accessere etiam corporis vexationes; cum enim Rex
per ea tempora arces, ingentes Pyramides, vastasque urbium mo-
les moliretur, Hebræi potissimum operam conferre cogebantur,
& quidem sine ulla mercede mancipiorum instar. Si quid pec-
cassent, aut diurnum pensum non persolverent, flagellis servilem
in modum accipiebantur, ut sic ab imbellibus non tam operam,
quam vitam extorquerent. Neque flagri poenam infamæ solum
plebi inferebant, sed iis etiam, qui operibus filiorum Israël præ-
rant, præcipuis scilicet Hebræorum, qui quasi proletarii ad hanc
militiam dirumque tyrocinium trahebantur; Cum autem sævi-
tia hæc procreationem nihil impediret, sed potius quanto oppri-
mebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant, præter
hanc aliam adhuc viam excogitavit Hebræos extinguendi. He-
bræorum obstetricibus, quæ erant Ægyptiæ, clam imperavit, ut
sub tempus partus Hebræarum infantes masculos suffocarent; at
illa timuerunt DEUM, & non fecerunt juxta præceptum Regis.

Aaron nasci-
tur. Ex. c. 2.
v. 1. & 2. &
c. 6. v. 20.

Tempore persecutionis nascitur Amramo filius Aaron sum-
mo Hebræorum Pontificatui divinitus destinatus. Septimus ab
Abrahamo; Patrem enim habuit Amram, Avum Caath, Proa-
vum Levi, Abavum Jacob, Atavum Isaac, Tritavum Abraha-
mum. Irritò rursus priori consilio præcepit Rex Ægyptiis, ut
natos Hebræarum masculos omnes projicerent in Nilum. Sed
& hoc impium edictum ingeniosâ mulierum misericordiâ sapè
fuit elusum & post quinque ferè annos cum Tyranni morte omni-
no antiquatum.

An. 2373.
Nascitur Mo-
ses & à filia

Vigente adhuc inhumano edicto Moses frater Aaronis Am-
ramo nascitur ad opera mirabilia singulariter à DEO conserva-
tus

tus atque educatus. Cùm esset puer elegans, Parentes infantem tribùs mensibùs absconderunt; Quòd verò eundem sine gravissimo totius domùs periculo, Ægyptùs tertio quovis mense domos scrutantibùs, ampliùs servare non possent, aptarunt arculam junceam bitumine ac pice illitam, ut sic levis materia innataret aquis, neque tamen aqua interiora penetraret. Huic infantem includunt dantque filia suæ, quæ eum exponat in carecto ripæ fluminis. Ubi dum natat arcula Maria infantuli Sorore ad oram fluminis procul stante & rei exitum spectante, ecce descendit filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine. Quæ eùm vidisset narrantem inter frutices arculam, misit unam è famulatu, & allatam aperiens cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ait: *De infantibus Hebræorum est hic.* Et quia non videbatur tutum jam nunc eum in Regiam accipere, & interim nutrice opus habebat, accessit, & cogitanti supervenit Maria Soror pueri, & edocta à Matre sua: *Vis, inquit ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?* Respondit Pharaonis filia: *vade.* Perrexit puella & vocavit Matrem suam. Cui illa, *accipe puerum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam.* Nutrivit itaque Jochabeta *Exod. 6. v. 20.* gaudiò plena filium suum, donec post tertium annum à lacte amotum filia Pharaonis redderet, quæ eum in filium adoptavit, ejusque nomen Moles vocavit. Mortuo Amenophi Orus Rex sufficitur; quem in Hebræos mitiorem fuisse ex eo intelligi datur, quòd edictum de projiciendis in flumen infantibus non urgeret.

Interea Mòses eruditus est in omni sapientia Ægyptiorum juxta sanctum Stephanum; juxta Philonem etiam in Chaldaicâ de Cœlis scientia, aliisque literis, ad quas docendas incolæ terræ Gessen injussi sese & sponte suâ offerebant. Et fortassis ipse Amramus Mosis Pater unus inter ejus Præceptores fuerat, non ætate solùm, sed etiam scientiâ, quod Levitam decebat, venerabilis, ut ita suavi divinæ Providentiæ dispositione simul cum literis veram à teneris pietatem animò imbiberet.

Hoc ferè tempore Cecrops ex Ægypto coloniam transmisit in Græciam, & Atheniensium Regno initium dedit, eoque Deos, quos Ægyptus colit & adorat, introduxit. Cùm jam diu antè Argivorum primus Rex Inachus fuisset. Non multè post accidit in Thessalia, ubi Deucalion regnabat, diluvium, quod

Pharaonis
educatur. *Ex.*
c. 2. à v. 1.
ad 11.

Moses erudi-
tur in omni
sapientia.
Act. 7. v. 22.

Græcia fit
emporium
variorum fal-
sorum Deo-
rum.

postea Græci Scriptores confundebant cum dilavio universali. Cadmus quoque è Phœnicia transtulit colonias in Græciam, fundavitque Thebas in Bœotia, simulque illuc etiam intrarunt Dii Phœnicis, & Syriæ, adeò ut demum Græcia fieret omnium Deorum Dearumque emporium.

An. 2415.

Moses ex Ægypto fugit, & greges, pascit. Ex. 2. a v. 11.

Moses jam annos quadraginta natus cum antea occultè Parentes suos ac fratres partim habitantes in terra Gessen, partim in aliis Ægypti locis laboriosi operis causâ dispersos invisisset, hòc annò apertè & in omnium oculis illos adit, sèque filium filiz Pharaonis negat, & Hebraum profiteretur. Contigit, ut Ægyptius Hebræum in oculis Mosis verberibus pulsaret, quam fratris injuriam ulturus accurrit Ægyptiùmque occidit, & ne proderetur, occisum tabulò abscondit. Cum nihilominus cædes manaret in vulgus atque adeò ad Regem ipsum deferretur; metuens Pharaonem, in vicinam Arabiam ad Madianitas profugit, & apud Jethro Sacerdotem divertit, ubi tutus esset; & si occasio daretur, oppresso populo suo auxilium ferre posset. In eà solitudine vir tantus non dubitavit totos quadraginta annos Soceri (nam Sacerdotis filiam Sephoram uxorem duxerat) sui greges pascere; dum Dominus negotium de populo à servitute eximendo maturaret. Interea Orus mortuus est, eique in Regno Ægypti successit Acenchris, qui traditur omnium mortalium primus Elephantia periisse, eò quòd jusserit Judæos omnes vestibus ex sindone indui, usu laneæ vestis ipsis prohibito, quò certius in eos hoc ab Ægyptiis cultu distinctos favere posset, qui antea passim sub vestium similitudine latebant. Post Acenchrem regnavit Achor Pharaos.

Amram mortuatur Exod. 2. v. 25.

Amram Mosis & Aaronis Pater moritur in Ægypto, cum annum vitæ ageret 137. post quem in Sacris Literis nullus legitur amplius ad tantam ætatem pervenisse. Mortuus est quoque Rex Achor; & regnare cepit Cenchres, de quo Eusebius: *Iste est Pharaos Cenchres, qui contradixit per Mosen DEO, atque in mari rubro obrutus est.*

Moses, Dux.

Ab An. 2452.

Moses remittit

Post completos à vocatione Abraham è Mesopotamia in Chanaanitidem 430. annos Moses sub annum ætatis octogesimo

muram

num dum ad montem Horeb, qui & Sinai, greges pascit, ardentem rubum cum admiratione conspexit; ex quo cum ab Angelo DEI Majestatem referente legationis mandatum ad Pharaonem simulque necessariam in tanto educendi è servitute populi sui negotio instructionem accepisset, cum bona Soceri venia iter in Ægyptum aggressus est. Monitus quoque à Domino Aaron frater à terra Gessen ipsi in via occurrit. Communicatis inter se consiliis Ægyptum ingressi Senioribus populi clam convocatis indicant oraculum: DEI miseratione instare libertatem & migrationem ad sedes meliores; DEum istud polliceri, seque itineris Ducem offerre. Id Moses in conspectu totius populi confirmavit duobus prodigiis: uno; dum virgam suam convertit in colubrum, & rursus in virgam. Altero, dum manum leprâ infectam mox sanitati restituit. Filii Israël igitur fide ac spe pleni DEum curavato corpore adorârunt, Mosémque & Aaronem ejus Legatos legitima authoritate præditos agnoverunt, atque amplexi sunt sese in eorum potestate fore pollicentes.

Rebûs domi cum populo benè constitutis Legati cum Senioribus Pharaonem adeunt, & mandata DEI Domini ei denuntiant: dimittat populum suum in desertum, ut festum ibi diem Sacrificiis celebrandis agant. At Rex: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Mox rejicit à se Legatos, jubetque populum asperius quàm antea tractari. Legati videntes, nihil se verbis proficere, signis adoriuntur Regem, projicitque Aaron virgam suam, quæ coram Rege & universa aula versa est in colubrum. At cum idem fecissent vocati in Regiam Magi Jannes & Jambres, Legatorum & verba & signa contempsit.

Ventum igitur est ad verbera. Cùm quodam die Pharaom matutinis horis obambulare ad ripam fluminis, adsunt quoque Legati, atque ut demum Dominum agnosceret; Moses aquam Nili virgâ percussam vertit in sanguinem malò ad omnes Ægypti aquas propagatò, præterquàm quas Hebræi bibebant. Tenuit plaga septiduum, nec tamen Regem, ut obediret Domino, permovit.

Rursus Regem adeunt cum gravioris mali comminatione; quâ cum nihil commoveretur, extendit Aaron virgam super aquas Ægypti, ranæque ascendentes operuerunt terram Ægypti,

titur in Ægyptum ad educendum è servitute populum.

Ex. c. 2. & 4.

Moses & Aaron Legati adeunt Pharaonem. Ex. c. 5. & 7.

Venitur ad plagas. c. 7. à v. 14. Prima Sanguinis. c. 7. à v. 20.

Secunda Ranarum. c. 8. à v. 1. ad 16.

molestissima sanè plaga, lutulenta bestiarum lue vias omnes domos ac penetralia pervadente inque homines certatim insiliente turpique limo omnia fœdante, donec vocatis ad se Legatis promiserit Rex, se dimissurum Israëlitas. At non stetit promissis.

Quare Aaron sine præviâ denuntiatione percussit virgâ pulverem terræ. Et ecce omnis pulvis terræ versus est in ciniphes per totam Ægyptum, quàm minutum tam molestum animalculum per aures narésque penetrans, & corpora stimulo acerbissimo terebrans. Magi antea colubros & sanguinem & ranas coram Rege produserant. At nunc arte sua divinitus impedita coguntur dicere ad Pharaonem: *Digitus DEI est hic.* Neque tamen respuit Rex.

Ut graviori adhuc plagâ urgeretur ad obedientiam, manè ad aquas egredienti Regi comminatur Moses omne genus muscarum, dièque crastina infinita muscarum omnis generis examina quasi auxiliares ciniphibus legiones adfuerunt, quæ per Ægyptum effusa, incredibile dictu est, quantum molestiæ & doloris hominibus & jumentis intulerint, adeo ut Pharaon tantis adactus malis Mosén & Aaronem ad se vocaret dicerétque: *Ite & sacrificate DEO vestro in terra hac,* putans sufficere ipsi debere facultatem hanc, quam hætenus in terra Gessen non habuissent. At ubi Moses ostendit, Domini præceptum impleri oportere in solitudine, annuit quidem tunc; postea tamen, ubi Mose Dominum orante muscæ ad unam omnes disparuerunt, rursus fefellit Legatos.

Ingravescente hoc modo corde Regis, ad alia ac nova flagella redeundum fuit. Imminentem tamen cladem Dominus ei per Mosén denuntiari voluit. Altero die repentina pestis totam Ægyptum pervasit, qua omnia, quæ in agro erant, animalia absumpta sunt. Sola terra Gessen, sicut à prioribus plagis, ita ab hac peste immunis fuit, veluti ipse Pharaon à nuntiis, quos hac de causâ illuc miserat, cognovit. Sed neque tunc dimisit populum.

Secuta est sexta & nova plaga. Moses coram Pharaone cinerem de camino plena manu sumptum sparsit in aëra, turgeréque cœperunt ulcera & vesicæ in corporibus hominum & jumentorum cum tam acri dolore, ut præ ulcerum & furunculo- rum acerbitate nec ambulare, nec stare, ne jacere quidem sine do-

Tertia Cini-
phum. c. 8. à
v. 16.

Quarta Mus-
scarum c. 8.
à v. 20.

Quinta Pests
animantium.
c. 9. à v. 1.
ad 6.

Sexta ulce-
rum. c. 9. à
v. 5.

dolore aut quiescere permitterentur. Quæ plaga, si ipsius Regis corpus non attigit, ex eo tamen mali gravitatem æstimare potuit, quòd malefici, qui Regi adstant, eò correpti non possent præ ulcerum dolore consistere. Perseveravit obstinatio Regis.

Ventum est ad plagam septimam. Manè jubetur Moses à Domino Regem accedere, eique cum gravi oburgatione horrendam grandinem cras hæc ipsa hora Cælo delapsuram denunciare, simul monere, ut tam Rex quam populus res suas imminenti cladi in tempore subducant; quod cum Rex ac plerique de populo facere neglexissent, crastino die prædicta hora extendit Moses virgam in Cælum; & Dominus dedit tonitrua & grandinem ac discurrentia fulgura super terram. Et percussit grando in omni terra Egypti cuncta, qua fuerunt in agris ab homine ad jumentum, cunctamque herbam agri percussit grando & omne lignum Regionis confregit. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israël, grando non cecidit. Moses à Pharaone rogatus, ex urbe quidem egressus est, & tetendit manus ad Dominum, & cessaverunt tonitrua & grando. Tamen Pharaon auxit peccatum, & ingravatam est cor ejus & servorum illius.

Accessit Moses cum Aarone denuò ad Regem, ac primò queritur, quòd tamdiu resisteret DEO Hebræorum, deinde novam plagam locustarum, seu uti est apud Davidem, bruchi & æruginis de antiat; cùmque videret se nihil agere, avertit se & egressus est à Pharaone. At Ministri Regis tot malis demum fessi suaserunt Pharaoni, ut eos tandem dimitteret, & usquequò, inquit, patimur hoc scandalum? nonne vides, quòd perierit Egyptus? Revocantur ergo Legati; at cùm Rex facultatem daret solis viris, Moses autem eam urgeret pro omnibus hominibus, ovibus & armentis, ejecti sunt de conspectu Pharaonis. Manè, Mose virgam extendente, ventus urens levavit locustas, quæ operuerunt universam superficiem terræ vastantes omnia. Falsus est Rex coram Mose & Aarone ad se vocatis: *Peccavi in Dominum DEum vestrum & in vos.* At ubi ad orationem Mosis ventus arreptam locustam projecit in mare rubrum, ad ingenium rediit. De quo iterum Scriptura suum illud quasi intercalare carmen occinit: & *induravit Dominus cor Pharaonis non datâ scilicet illi gratiâ, qua efficaciter moveretur ad standum promissis; nec enim dimisit filios Israël.*

Septima
grandinis.
c. 9. à v. 13

Octava locu-
starum, c. 10.
à v. 1.

Sed

Nona tene-
brarum. c.
10. à v. 21.

Sed nec Dominus flagellandi Ægyptum finem fecit. Post brevem moram extendit Moses manum in Cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Ubi-
cunque autem habitabant filii Israël, lux erat. Post tenebras DEI nutu ultrò dissipatas dedit Pharaon Legatis ad se vocatis potestatem ducendi in desertum populum etiam cum parvulis, quos tamen antea nolebat dimittere, eò tamen pacto, ut oves & armenta remaneant. Conditionem non acceperunt Moses dixitque: *Non remanebit ex eis ungula.* Qua loquendi libertate facile intellexit Rex, Hebræis statutum esse abire in desertum sine animo redeundi in Ægyptum. Id quod ipse quidem hactenus suspicabatur, at Legati semper dissimulaverant, petentes solum dimitti Sacrificii causâ, quò DEUS ipsorum coli vellet in deserto. Ad hæc cum novam insuper plagam Regi denuntiaret, mortem omnium Primogenitorum tum hominum tum jumentorum, adhuc commotior Rex adversus Mosén: *Recede, inquit, à me, & cave ne ultra videas faciem meam: quocunque die apparueris mihi, morieris.* Cui Mosés: *Ita fiet ut locutus es; non videbo ultra faciem tuam.* Jam enim audierat à Domino fore, ut post hanc ultimam plagam Rex & populus Israëlitas non solum dimittat, sed etiam exire compellat.

Moses popu-
lum se ad iter
parare jubet.
c. 11. & 12.

Itaque Regiâ ac urbe egressus venit in terram Gessen, nuntiavitque populo adesse demum profectionis tempus, proinde ad iter pararent se, & sequentia Domini mandata exactè observarent: primò petant ab amicis vasa argentea, & aurea & vestes, quo nomine etiam torques & monilia, panni pretiosi, peristromata, pelles, aliâque id genus continentur. Quæ deinde omnia Ægyptii liberaliter, Domino corda eorum movente, ad celebrandum in deserto solennius Sacrificium mutuò dederunt.

Secundò: Per singulas domos ac familias paretur Agnus assus igni, quem deinde decimo quarto die currentis mensis vespere exitum præcedente immolent, & ea adhuc nocte comedant, festinanter, jam ad iter accincti, & baculos tenentes in manibus.

Tertiò comedant agnum simul cum azymis panibus & lactucis agrestibus, & quidem per septem sequentes continuos dies non alto pane quàm azymo vescantur.

Quar-

Quartò ut hæc prima Agni Paschalis institutio ac celebri-
tas posthac quovis anno atque hoc mense ac die observetur in
æternam exitus ex Ægypto, duræque & amaræ servitutis memo-
riam.

Quintò ut sanguine illius occisi agnitingant fasciculum hyf-
sopi, eoque aspergant super liminaria domorum ac utrumque
possem, ut cum Angelus percitans Ægyptum omnes Primo-
genitos occiderit, ab Hebræorum domibus sanguine Agni signa-
tis abstineat.

Addidit demum, velle Dominum, ut posthac ab hoc mense
Nisan sive Martio, in quo vere ineunte Pascha essent celebraturi,
rationem totius anni ducant, sicque, cum nunc in populum libe-
rum coalescerent, deinceps suo Jure suisque mox legibus ac riti-
bus utentes etiam proprium anni ordinem ac modum ab alieni-
genis diversum habeant.

Cum ergo omnia ad iter necessaria parâssent, dièque deci-
mo quarto mensis ante medium noctis agnum ritu præscripto
comedisent; ecce in noctis illius medio percussit Dominus om-
nes primogenitos tum hominum tum jumentorum. *Surrexit-
que Pharo & omnes servi ejus cunctaque Ægyptus. Et ortus
est clamor magnus in Ægypto; neque enim erat domus, in qua
non jaceret mortuus.*

Omnes pri-
mogeniti in
Ægypto me-
dia nocte
moriuntur.
c. 12. à. v. 29

Hac demum clade expugnatus Pharo ea adhuc nocte misit
ad Mosén & Aaronem nuntios, qui nomine Regis ipsis dicerent:
*Ite, immolate Domino sicut dicitis. Quod cum audissent Ægyp-
tii, urgebant & ipsi, ut exirent velociter.*

Pharo de-
mum dimic-
tit populum.
c. 12. à. v. 31.
An. 2453.

Itaque Israëlitæ circa urbem Ramesen in suas turmas col-
lecti cum prima luce ductu atque auspiciis Mosés egressi sunt nu-
merò sexcenta millia virorum absque parvulis; vulgus autem
promiscuum innumerabile mulierum, ac servorum, ducentium
oves & armenta & animata diversi generis, quæ suppellectilem
& spolia Ægypti portarent. Viâ Ducem se præbuit ipse DEUS
per nubem in aère apparentem ac figuram grandis alicujus co-
lumnæ referentem; quam ita regebat Angelus, ut cum proceden-
dum esset, universum populum præcederet; cum quiescendum
aut in uno loco longius morandum, subsisteret, & per diem qui-
dem castra contra Solis ardores protegebat, per noctem verò
lucis fulgore eadem collustrabat. Porro Dominus noluit popu-

Mosés educit
populum
præeunte co-
lumna nobis.
c. 12. à. v. 37.
& c. 13. à. v.
17.

lum rectâ in terram promissionis viâ ducere, qua Jacob olim cum suis in Ægyptum venerat; sed per locum horroris & vastæ solitudinis. *reputans*, ut ait Moses, *ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum.* A quo consilio eos sic viæ ac reditus saltem difficultas deterreret. DEO igitur Duce ac Comite eo adhuc die venerunt in Socoth, & altero ibi subsisterunt. Tertiô inde migrantes castra metati sunt in Etham. Exinde jussus est Moses reverti, & proximè ad lictus maris rubri castra ponere.

Pharao eos
insequitur &
perit cum ex-
ercitu in ma-
ri rubro. c.
14. & 15.

Interim triduô jam elapsô quod solum Legati postulârunt, cum vidisset Pharao Israëlitæ de reditu non cogitare, collectio quantâ potuit celeritate omni exercitu eos persecutus est; quem cum appropinquantem, & haud procul jam collectum viderent Israëlitæ, habentes à fronte mare, à tergo hostem, ex utroque latere præruptos montes, ut conclusi undique fugere non possent, neque pugnare auderent, *timuerunt valde.* At Moses eos consolans *nolite*, inquit, *timere; stete & videte magnalia Domini, qua facturus est hodie.* Nocte ingruente Angelus inter utraque castra columnam nubis interponit, ex parte Ægyptiorum tenebrosam, ut recedentes videre non possent, ex parte autem Israëlitæ lucidam & radios ad initium castrorum usque evibrantem. Tum Moses virgâ percutiens mare iter sæculis omnibus inauditum aperuit; nam mare hinc & inde sese tam latè submovit, ut media via sicca ac tam ampla per maris profunda relinqueretur, quantam tanta hominum multitudo requirebat, quò intra noctis unius spatium in oppositum lictus evaderet. Itaque præeunte Mose Israëlitæ viam nullis unquam pedibûs tritam ingressi sunt columna nubis sequente & extremum agmen protegente. Hostes cum demum ex clamore & strepitu longiùs allato animadvertissent, Israëlitæ fugere, motis & ipsi castris festinant fugientes persequi, quâ clamor allabebatur, non discernentes in tenebris viam terræ, & sicci maris. Interim Israëlitæ certatim in adversum lictus evadunt, & prout paulatim hi mare deserebant, ita illi maris alveô recepti priora litora relinquebant. Illucescente die Ægyptii videntes eum horrore aquam quasi murum à dextris & à sinistris conclamârunt: *fugiamus Israëllem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* At serò nimis; nam Moses cum suis omnibus jam stans in littore jussu Domini virgam contra mare

mare extendit. Et ecce undique confluentes in pristinum locum occurrunt fugientibus aquæ, & Pharaonem cum curribus & equis, universòque exercitu obruunt, atque submergunt, ut ne unus quidem evaderet. Israëlitz, ut ob tam prodigiosam insperatamque sine sanguine victoriam meritas Domino gratias agerent, duos choros alterum virorum, alterum mulierum statuerunt in litore, cecineruntque, Mose viris præeunte, Maria verò Sorore mulieribus, carmen illud. *Cantemus Domino: Gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.*

Refectis deinde cibo somnòque septimo illo azymorum die corporibus columna populum rursus ad profectionem monet & antecedit, triduùmque sine castrorum metatione, non tamen sine ordinaria quiete ad cibum interdiu & somnum noctu capiendum deducit, itaque per desertum Sur venerunt in Mara. Toto trium dierum itinere nuspian invenerunt aquam, atque hîc non nisi amaram; quam tamen Moses immisso in eam ligno vertit in dulcem. Cùm aliquot dies ibi vires refecissent, perrexerunt in Elim locum irriguum & palmis constitum. Deinde tentoria fixerunt ad mare rubrum.

Octava mansio fuit in deserto Sin. Ubi post exactum ab egressione mensam farina demum & commeatus deficere cœpit, ideòque populus murmurare & in Ægyptum ad ollas carniū respicere. Quare & Dominus cœpit nunc & deinceps per sterilem solitudinem populo suo singulari providentiâ pretiosam ex pane & carne mensam præparare. Eodem enim ad huc vespere coturnices in castra illapsæ sunt in tanta copia, ut quisque capere tot aves posset, quæ in complures dies pro mensa sufficerent. Sequenti verò manè ac deinceps quotidie extra castra per circuitum de Cœlo manna seu ros in minuta grana concretus cecidit, ac per terræ superficiem acervatim jacuit, quem colligens populus molâ fregit aut in mortario trivit, ex eoque deinde tortulas sive placentas optimi saporis coxit. Colligebatur porrò quotidie certa in singula capita mensura. Nefas erat aliquid mannæ in sequentem diem servare, ut sic omnes à quotidiana DEI providentiâ penderent. Sexto die duplex portio colligebatur, ne quies Sabbathi violaretur; imò eodem die etiam parabatur, ut coctum Sabbatho edi posset. Unde dies sexta dicta est Parasceve. Nona mansio fuit in Daphca. Decima in Alus.

Israëlitz iter
prosequuntur
in Mara; in
Elim; deinde
rursus ad ma-
re rubrum.
c. 16.

In deserto Sin
coturnices
primò illap-
sæ, & manna
de Cœlo ce-
cidit. c. 16. à
v. 13.

Petra Horeb
virgâ Moſis
percuſſa co-
pioſam po-
pulo aquam
profundit.
c. 17. à v. 1.
n. 8.

Undecima in Raphidim. Ubi cum non eſſet aqua, rurſum popolare murmur exortum eſt, ita ut Moſes timeret, ne lapidaretur. At brevi ſopitum eſt; nam Moſes juſſu Domini ad petram Horeb aſcendit eamque virgâ percuſſit, quæ mox profudit aquas copioſiſſimas verſus caſtra ad uſum totius populi & jumentorum pleno flumine decurrentes. Dehâc petrâ tradunt Hebræi, ex ea totis deinceps quadraginta annis fluvium per omnes manſiones profluxiſſe juxta illud Apoſtoli: *Bibebant de conſequenti eos petra*, ſcilicet de aquâ petræ, quæ eos ſequetur quocunque demigrarent, ut hydrias, replere, uti hætenus, & circumferre non eſſet opus.

Orante Moſe
Amalecitæ
vincuntur. c.
17. à v. 8.

Hinc tranſeundum erat per terram Amalecitarum, qui ab Amalec nepote Eſau dependentes, per Arabiam petræam diſperſi habitabant. Rex illorum tranſitu Iſraëlitæ prohibitorum cum exercitu contra hos progreditur. Re cognita Moſes Duceſem Joſue cum delecto milite hoſti occurrere jubet. Ipſe interea cum Aarone & Hur Mariæ Sororis ſuæ marito verticem colliſ ad montem Horeb pertinentis aſcendit, ibique orat, dum Joſue conſigit. Factumque eſt, ut cum Moſes manus ad Cælum levaret, vinceret Iſraël, ſi remitteret, Amalec ſuperaret; donec Aarone & Hur manus ejus uſque ad Solis occaſum ſuſtentantibus Joſue plenâ victoriâ potius Regem cum reliquis in fugam compelleret.

Venitur ad
montem Si-
nai, c. 19.

Motiſ inde caſtris venerunt ad montem Sinai; quæ fuit manſio duodecima rebûs geſtîs celeberrima. Hic enim DEUS composuit formavitque Eccleſiam & Rempublicam Hebræorum. Præceſſerat Moſes ſeſtinabatque adire Dominum, veluti juſſus erat, in monte Sinai, dum populus paulatim ſubſequeretur. Igitur in mandatis accipit, diceret Iſraëlitis, viſiſſe eos, quæ feciſſet Ægyptiis, quanta ipſis; fore eos deinceps quoque ſibi populum præ cunctis aliis dilectum, ſi ſponderent obedientiam, vellentque à ſe Domino legem vitæ, vivendique rationem accipere. Moſes convocatis ſtatim Majoribus natu exponit, quæ ſibi mandata eſſent, reſponditque omnis populus: *Cuncta quæ locutus fuerit Dominus, faciemus*. Quod cum Moſes in montem retuliſſet, eum mox Dominus remittit, jubetque in diem tertium paratos eſſe ad audiendam legem.

DEus prace-

Illaceſcente tertio die cœperunt ſonare tonitrua, micare ful-

fulgura, clangere buccinæ, mons densissimâ nûbe opertus contremiscere & fumare. Moses igitur populum omnem è castris in occursum DEI educit; qui dum attoniti stant ad radices montis, Dominus igneo splendore circumdatus augustâ & Majestatis plenâ voce toto audiente populo Decalogi præcepta detonuit ac promulgavit; id quod factum est cum tanto terrore populi, ut à monte versus castra mox recederet, veritus ne DEUS iterum simili modo loqueretur, rogarétque Mosen: *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quæ verba cum Moses statim ad Dominum adhuc in caligine stantem retulisset, probavit, seque posthac Mose Inter-nuntio usurum populo adhuc ante tentoria stanti referri iussit.

Igitur Dominus in posterum cum solo Mose egit, eique eo adhuc die varia multaque Præcepta Judicialia cum quibusdam legibus cæremonialibus ad populum referenda ab eoque observanda tradidit. Moses verò eadem adhuc vespërâ reversus in castra narravit omnia, quæ audierat à DEO. Responditque populus una voce: *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Et ut ad memoriam Posteritatis sempiternam propagaretur obligatio, quam Patres pro se suisque Posteris suscepissent de prædictis legibus, judiciisque servandis, universos Domini sermones in publicas tabulas reculit, scriptoque mandata coram universo populo legit; qui cum iteratò obedientiam spondisset, initum inter DEUM ac duodecim tribus fœdus solemnè ritu, erectò ad radices montis Sinai altari, oblatisque holocaustis & immolatis victimis confirmatum est.

His ita constitutis Moses cum Josue Ministro suo montem ad diuturniorem moram adiit, monitò populò, ut si quid interea quæstionis nasceretur, ad Aaronem & Hur referretur. Hoc in congressu jubet Dominus Sanctuarium sibi construi, quod sit instar templi ejusdem mobilis, in quo ipse habitet & à populo suo colatur. Simul designat ipsi Ideam totius operis, monens iterum iterumque: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Inter idoneos hujus operis Magistros præcipuum nominat c. 31. v. 2. & 3. Beseleel de tribu Juda. Necessariam ad id materiam donaque pretiosa populus veluti Primitias sponte offerat. A Sanctuario descendit ad illius Mini-

pta Decalogi populo promulgat. c. 19. à v. 16. & c. 20.

Moses alia variâque præcepta accepit. c. 21. 22. 23. 24.

Moses quadraginta dies cum Domino moratur. c. 24. à v. 13. & c. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 31.

stros, atque inprimis Aaronem ejusque filios vocat ad Sacerdotium. Deinde describit vestes mysteriis plenas Summi Pontificis Aaronis aliorumque Sacerdotum. Docet quo ritu Aaronem & Sacerdotes consecrari oporteat, uti & altare; quæ sint functiones tum Sacerdotum, tum Levitarum. Demum Dominus Mosi in manus dat duas tabulas lapideas, in quibus scripserrat manu propria decem illa præcepta, quæ nuper ore de monte promulgaverat.

Interim populus aureum vitulum erigit & adorat. c. 32. à v. 1. ad 7.

Interim expectato frustra ultra triginta jam dies Mosi in castra reditu Israëlitarum longioris moræ impatientes Aaronem ad-eunt, & *fac nobis*, inquit, *Deos, qui nos præcedant*. *Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit*. Aaron diu cunctatus tandem armatis precibus victus iniquæ postulationi cessit, & vitulum aureum ad imitationem Juvenci, quem Hebræi in Ægypto sub nomine Apidis, Serapidis, & Osiridis coli viderant, confari ex comportatis liberaliter inauribus permisit. Illi verò erecto mox altari vitulo vitulos offerunt, *sedent manducare & bibere, & surrexerunt ludere & choreas circa Idolum ducere, clamareque: Hi sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti: insigni in Deum calumniâ.*

Abjectis tabulis Idololatrias morte punit. Ex. 32. à v. 7. Deut. 9. v. 12. 20. & 21.

Moses rem totam cum ingenti dolore intelligit à Domino, jubeturque in castra descendere. At ipse timens, ne Dominus ad unum omnes deleteret, non prius recessit, quam argumentis & precibus suis animadverteret utcunque placatum. Tum verò cum Josue quadragesimo demum die descendit. Vicinus castris ipse oculis suis videt vitulum & choros. Rem indignissimam non ferens projecit tabulas, easque ad radices montis confregit sicut alias laceratione vestium, ita tunc confractioe tabularum injuriam in divinam Majestatem publicè & quasi solenni ritu contestatus; accurrensque vitulum contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquas, ne ullæ Idoli reliquæ superessent. Reprehenso deinde Aarone stans in ingressu castrorum, *si quis*, inquit, *Domini est, jungatur mihi*: quâ voce exciti filii Levi omnes accurrerunt strictisque gladiis Ducem Mosén sequentes, quasi viginti tria millia Idololatrarum inauribus carentium conciderunt.

Moses placat

Alterò die repetit montem populi sui causam acturus, jacult-

cuitque totis quadraginta diebus atque noctibus coram Domino vehementer orans, ne, uti comminatus fuerat, populum deiret. Cum diu nihil proficeret, tandem verba illa, quæ stuporem omnibus sæculis attulerunt, effudit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Tantis precibus commotus denique se nunc quidem pœnam differre, aiebat; duceret porro populum in terram, quam se daturum jurasset Abraham, Isaac & Jacob, adfore Angelum, qui præcedat. At Moses orare non destitit, donec promitteret, seipsum, uti antea, præcessurum, *e. 33. v. 17.* Promisit demum & istud, iussitque eum parare duas alias tabulas easque ad se afferre. *e. 34. v. 1.*

Moses ubi in castra venit, ut populum bono aliquo nuntio recrearet, simul tamen pœnitentiâ & luctu ad novas tabulas accipiendas præpararet, docuit meliore quidem loco res suas esse apud Dominum, dixisse tamen, non ascensurum cum eo, sed Angelum, dissimulans, Dominum denique etiam istud promississe; quo nuntio percussus *deposuerunt ornatum suum, & vestem lugubrem induerunt.* Moses verò cum paratis novis tabulis in montem Sinai ascendit.

Hoc congressu Dominus servum suum singulari gratiâ beavit. Hactenus enim cum Domino, vel potius cum Angelo DEI Legato nube interpositâ egerat, tunc autem Angelus formam corpoream indutus ac eximio fulgore radians amotâ nube sese videndum in montis vertice eidem indulgit. Intra quadraginta dies, quos totos sine cibo & potu cum Domino in monte transegit, varia rursus præcepta accepit de primogenitis, Sabbatho, azymis, cœterisque festis, prohibitiones de gentium societate, connubiis, de Idololatriâ &c. Demum cum duabus novis tabulis digito DEI scriptis in castra reversus est; quem dum populus venientem vidit, vestimenta luctus deposuit lætusque Mosi diu expectato occurrit. Timuit tamen propius accedere; nam ex fulgore visi Angeli faciem Moses retulerat fulgurantem & intensioris lucis radios quasi cornua ex utroque frontis angulo emittentem. Unde deinceps vultui suo velamen obtendit, cum loqueretur ad populum; cum verò rediret ad colloquium cum DEO, deposuit.

Domini.
Ex. 32. v. 30.
Deut. c. 9. v.
18.

Populus pœ-
nitentiâ a-
git. Ex. c. 33.
& 34.

Moses è
monte refert
duas alias ta-
bularum digito
DEI scriptas,
Ex. c. 34. v. 29.

Re-

Sanctuarium
construitur.
Ex. c. 35. 36.
37. 38. 39.

Restitutis hoc modo rebûs, quas vitulus aureus turbaverat, Moses curas suas ad constructionem Sanctuarii convertit, Incauitque universæ multitudinis animus ad largiendum omnia, quæ ad sanctum opus necessaria forent. Præter æs & argentum ingens vis auri ex armillis, inauribus, annulis, vasis &c collata est. Accessit his plurima lanæ, lineæ lignæque materies, plurimus pellium, gemmarum & pretiosorum lapidum apparatus, in quibus dum artifices non pauci magno studio laborant, quinque ferè menses abierunt.

Moses gubernationis adiutores assumit. Ex. c. 18.

Interea Moses boni Principis munus in regendo populo ejûsque controversiis componendis exequitur. Nam in tam diuturna ejus absentia multa quotidie in tanta populi multitudine exorta sunt dubia, quæ ad reditum Moysi rejecta fuerant, ab ordinariis Judicibus. Dum in his multus est, venit ad ipsum ex vicina Madianitide Jethro cognatus ejus sacerdos uxorem Moysi Sephoram cum duobus ejus filiis adducens; qui postquam Moysi varia pro gubernando tam numeroso populo consilia dedisset, reversus est in terram suam; Moses verò secutus ejus monita de Tribubus viros sapientes & nobiles assumpsit, quibuscum gubernationis curas divisit, ita ut ipsi minores causas judicarent, graviores ad se referrent.

Sanctuarium erigitur & describitur, imprimis arca. Ex. 37. à v. 1. ad 10. & c. 25. à v. 10. ad 23.

Perfecto toto Sanctuarii opere Moses illud erexit juxta ordinem à Domino præscriptum. Nobilissima illius pars fuit arca, in qua lex tabulis lapideis digito DEI inscripta servabatur. Fuit quadrata ex ligno Setim, quod ligni genus crevit in eo deserto durum, & penè corruptionis expertus. Longatres pedes totidémque quadrantes: duos pedes cum quadrante tum lata tum alta: intus & foris obducta lamellis aureis. In parte superiori corona seu limbus aureus prominens totam arcam cingebat. Operculum ex solido constabat auro, dictum *Propitiatorium*, quoddam DEUS, cujus illud quasi sedes erat & thronus, inde se propitium exhiberet respondendo Moysi vel Sacerdoti se consulenti; unde & *Oraculum* dicebatur. Ex utroque latere Cherubini aurei formâ juvenum stantes super basin, cui arca insidebat, Propitiatorium sustentabant, aliisque & brachiis totiusque corporis compositione se DEO quasi Regi in throno sedenti humillimum obsequium exhibere videbantur. Ad breviora arcæ latera aurei circuli affixi erant, in quos vestes aureis obvoluti bracteâs immittebantur, ut à quaternis Levitis gestari posset.

Alterâ

Altera Sanctuarii pars fuit mensa, in qua proponebantur panes coram Domino, dicti propterea *panes propositionis*; ex eodem ligno Setim facta, & undique laminis aureis tecta: longa duobus cubitis, uno lata, unòque alta & semisse: cincta limbo aureo quatuor digitos alto, ut impositos panes contineret & à lapsu prohiberet. Nitebatur 4. pedibus in quatuor angulis, habentibus simul 4. aureos circulos ad eam, cum opus foret, vestibus circumferendam. Porro mensæ imponebantur inprimis panes propositionis azymi duodecim, singuli à singulis tribubus oblatis, duobus ordinibus distincti, seni & seni, Sabbatho quovis remotis veteribus recentes; quò Tribus ita publicè significarent, se à DEO continuò ali, & gratitudinis ergò quasi perpetuum illi Sacrificium offerre. Imponebantur quoque acetabula, phialæ, crateres & cyathi ad libandum vinum, ut adeò mensa convivii speciem referret.

Mensa, c. 25.
à v. 23. c. 37.
à v. 10.

Tertia pars candelabrum ex talento seu centum viginti quinque libris auri confectum. Ex ejus stipite tres utrinque surgebant rami triplici ordine scyphorum, sphaularum, & liliorum ornati; stipes verò rectus quadruplici eorundem serie ornabatur. In apice septem lucernæ nocte, per diem verò, extinctis manè quatuor, tres solùm ardebant.

Candelabrum, c. 37.
à v. 17. & c.
25. à v. 31.

Quarta pars fuit altare thymiamatis, duobus cubitis altum, uno longum, unòque latum, ex ligno Setim, sed undique aureis laminis opertum. Ad quatuor angulos erecta erant totidem stigilla, quæ in imò pedum officio fungebantur, in summo in cylindri formam acuebantur, dicta altaris cornua. Inter hæc erat craticula ad prunas excipiendas, imponendumque thymia. Per gyrum altaris corona aurea formâ quadratâ circumducebatur. Habebat & hoc altare suos aureos annulos, ut vestibus portari posset. In hoc alteri bis quotidie adolebatur incensum manè sub auroram, cum lucernæ extinguebantur, & rursus vespere, quando accendebantur.

Altare thymiamatis, c. 30. à v. 1. & c. 37. à v. 25.

Quinta pars altare holocaustorum itidem erat ex lignis Setim, sed ære undique vestitum contra vim ignis & aëris injurias. Et ne ipsa etiam æreæ laminæ perpetuo igne liquecerent, intra altaris latera parietes è terra argillosa vel impositis lapidibus extructi erant. Tribus cubitis assurgebat è terra: longum fuit cubitis quinque totidem latum. In quatuor angulis

Altare holocaustorum, c. 38. à v. 1. ad 8. & c. 27. à v. 1.

Sacra Veterum Temp. Histor.

H

ascen-

ascendebant quatuor tigilla, dicta cornua altaris. Medium altaris occupavit craticula cum æneo reti ita constructa, ut victimæ imponi, & ab igne subjecto cremari, cineres autem & prunæ minores in terram decidere possent. Habebat & craticula suos, & reliquum altare suos annulos & vectes, ut cum necesse esset, seorsim moveri & devehiri possent.

Erat præterea, ut vasa minora mittamus, labrum æneum seu concha, ex quâ per fistulas defluente aqua lavabant Sacerdotes intestina animalium, ac etiam manus ac pedes suos; nam reverentiæ causâ nudis pedibus in tabernaculo ministrabant.

Labrum
æneum. c. 10.
v. 12. & c. 38.
à v. 8.

Tabernaculum. c. 26.

Jam ipsum tabernaculum erectum ex tabulis Setinis longitudine habebat cubitos triginta, latitudine decem, totidem altitudine. Hæ tabulæ commissuris aptè inter se junctæ intus erant inauratæ. Earum quævis lata erat cubitum & semis, alta cubitos decem, crassa digitos quatuor, & duabus argenteis basibus terræ affigebatur. Erant igitur in latere meridionali viginti ejusmodi tabulæ, totidem in septentrionali, in occidentali octo. In parte orientali ubi ingressus erat in tabernaculum, locò tabularum stabant quinque columnæ Setinæ inauratæ ita dispositæ, ut quatuor aditus in Sancta Sacerdotibus præberent. Ut tabernaculum firmius stabiliusque consisteret intus vectes inaurati in circulos aureos immissi tabulas continebant. Tabulæ & columnæ ita undique compactæ regebantur quaternis ingentibus velis. Primum erat pulcherrimè & pretiosissimè contextum ex bysso, lini genere subtilissimo, aliisque filis hyacinthinis, cœruleo scilicet ac cœlesti colore tinctis; coccineis, grano certi fruticis; purpureis, succo seu sanguine ostreæ imbutis filis; non simplicibus sed retortis & inter se ad firmitatem convolutis; quod velum ad modum tentorii distendebatur & pro Cœlo seu testudine erat. Huic superinductum fuit aliud velum cilicinum ex pilis caprarum textum, & huic tertium ex pellibus arietum rubro colore tinctis. Demum quartum violacei coloris, itidem ex pellibus, sed crassioribus, erat postremum totius tabernaculi operimentum adversus omnes Cœli injurias.

Sanctum, &
Sanctum
Sanctorum.
Ex. c. 26. à v.
81.

Tabernaculum ita constructum in duas dividebatur partes. Anterior viginti cubitos longa dicebatur *Sanctum*. Posterior & interior 10. cubitos longa, totidemque lata vocabatur *Sanctum Sanctorum*, id est, 2^a pars tabernaculi, eratque quasi chorus Sa-

Sacelli. Sanctum Sanctorum dividebatur à Sancto velò byssinò, pendente è quatuor columnis Setinis, quarum capitella erant aurea, corpus inauratum, bases argenteæ, columnæ verò ita dispositæ, ut per earum intervallum Pontifex oraculum ingredi posset. In Sancto Sanctorum non erat nisi arca, & in ea tabulæ legis. In Sancto stabat mensa propositionis ad latus Aquilonare: ad meridionale candelabrum septifidum. In medio altare thymiamatis obversum arcæ, ut eò fumus ascenderet.

Tabernaculum ambiabat quadrangulare atrium habens in longitudine cubitos centum, quinquaginta in latitudine. Tergum & latera atrii distabant æquali spatio à tabernaculo nempe viginti cubitis; quod verò spatium circa vestibulum erat reliquum, amplius patebat per integros quinquaginta cubitos; hoc enim spatium deputatum erat Sacrificiis. Unde in medio illius erat altare holocaustorum ante fontem tabernaculi; & ante illud labrum æneum seu ingens illud lavatorium. Tota hæc arca claudebatur sexaginta columnis æneis, quarum quævis ab altera quinque cubitis distabat. Ex iis cortinæ dependebant & instar murorum sepiebant & claudebant atrium, in quatuor lateribus ad trecentos cubitos extensæ, altæ 5. solum cubitis, ut populus tabernaculum, quod erat duplò altius, aliquo modo videre posset; nam in ipsum atrium solis Sacerdotibus & Levitis ingredi licebat. Porrò columnæ erant argenteis flosculis, ramis atque emblematis undique vestitæ. Omnes cortinæ erant ex bysso, lino scilicet candidissimo è terra nato, non serico, quod vermes progigunt; & quidem ex bysso retorta, duplicatò nimirum aut triplicato & in se reflexò filò; cortinæ tamen lateris orientalis erant variis coloribus, coccineo, purpureo, & hyacinthino, plurimòque artificio opere phrygio illusæ, sicut velum primum tabernaculi.

Nunc igitur soli adhuc deerant idonei Ministri, qui sacra tractarent, ac DEum totius populi nomine ac loco peculiaribus cæremoniis ac ritibus colerent. Et poterat quidem Dominus sibi assumere, utpote quos peculiari titulo suos fecerat, quando his parcendo Primogenitos Ægyptiorum ultimâ nocte omnes per Angelum peremit, & Israëlitas eorum morte è servitute liberavit. Noluit tamen omnes domos ac familias suis spoliare Pri-

Structura ta-
bernaculi.
Ex. 27. 28. 9.
Ex. 38. 2 v. 9.
ad 21.
Ex. c. 40.

MinistriSan-
ctuarii con-
stituuntur.
Ex. c. 28. &
29. Num. c.
3. à v. 11.
1. Paral. c. 28.

mogenitis; sed eorum loco integram Tribum Levi elegit, quam cultui suo addiceret, ex reliquis Tribubus minùs numerosam, adeoque iis ob sustentationem minùs onerosam. Et quidem Aaronem ejùsque posteritatem ad Pontificatum & Sacerdotium vocavit, reliquas familias à Patriarcha Levi descendentes ad inferiora Ministeria simplicium Levitarum, Cantorum, Janitorum &c.

Consecratio
Pontificis &
Sacerdotum.
Ex. 29.
Ex. 40. v. 9.
ad 14.
Lev. c. 8.

Igitur primo die mensis primi egressionis ex Ægypto anni secundi, cum columna nubis supra tabernaculum constitisset, splendorque suo significasset, Majestatem divinam adesse præsentem, Moses Aaronem summum Pontificem & quatuor ejus filios Nadab, Abiu, Eleazar & Ithamar ad tabernaculum adductos coram omni populo Sacerdotes initiavit his ritibus: primò eos lavit: secundò sacris vestibus induit: tertio dedit eis in manus vitulum ac duos arietes certis cæremoniis immolandos, quæ in oblatione maximè posita erat Sacerdotis consecratio: quarto unxit per septem continuos dies aspergens tam illos quàm vestes eorum quotidie oleo mixto sanguine arietis: ungebat autem aurem illorum dexteram, & pollicem manùs & pedis dexteri. Quintò debebant hoc consecrationis tempore noctes diesque excubare in atrio tabernaculi. Consecrationi summi Sacerdotis istud peculiare erat, quòd totum ipsius caput ungeretur.

Vestes Sacer-
dotum.
Ex. c. 28. c. 39.

Vestes, quibus induebantur Sacerdotes, & ferè etiam Levitæ, hæ erant: femoralia linea: tunica talaris byssina ex telà duplicatâ contexta sine laxitate aut fluxu superfluæ materiæ: balthæus seu zóna lata digitos quatuor ex floribus purpureis, hyacinthinis & byssinis contexta & picta, quæ tunica talaris adstringebatur: Pileus Sacerdotalis Mitra, Cidaris, & Tiara dictus è materia byssina rotundus instar sphæræ mediæ. Cum autem nulla mentio fiat tibialium, apparet nudis pedibus in atrio ministrare solitos, quanquam fortassis non sine soleis sive sandaliis.

Cultus summi
Pontificis.
Ex. c. 28 &
39.

Præter has vestes Sacerdotibus omnibus communes Summus Pontifex gerebat alteram tunicam talarem interiori tunicæ superinductam, hyacinthinam cum manicis utroque in latere assutis. In extrema tunica circum pendebant duo & septuaginta tintinabula aurea, totidem Malogranatis opere textili con-

fectis

fectis, coloréque hyacinthino, coccineo & purpureo variatis, alternatim dependentibus. Hanc tunicam zona altera prioréque nobilior adstringebat. Præterea habebat superhumeralé, Hebraicè Ephod, cujus una pars humeros, altera pectus usque ad cingulum tegebat, jungebaturque una alteri in summitate humeri per duos lapides onychinos miræ pulchritudinis & magnitudinis, ita ut in singulis sena Patriarcharum nomina sculpi possent. Materia hujus Ephod seu pallioli erat pretiosissima ex filis tum aureis tum sericis hyacinthi, cocci bis tincti & purpuræ variata. Extra ordinem quidem Ephod etiam reliqui Sacerdotes portarunt, sed tantum lineum, uti habetur *1. Reg. 22. v. 18.* Huic superhumerali summi Pontificis ad pectus per aureas catenulas & uncinos adnexum erat aliud longè pretiosius ornamentum dictum Rationale, quadratum, palmo longum & altum. Huic per quatuor ordines intexti erant duodecim lapides miræ magnitudinis ac pretii, insculpta ferentes duodecim filiorum Jacob nomina: Sardius Ruben, Topasius Simeon, Smaragdus Levi. In secundo ordine Carbunculus Judam, Saphirus Dan, Jaspis Nephthalim. In tertio Lyncurius Gad, Achates Aser, Amethystus Issachar. In quarto Chrysolithus Zabulon, Onychinus Joseph, Beryllus Benjamin. Præterea ad latera Rationalis scripta erant hæc verba *Urim*, & *Thummim*, latinè *Doctrina* & *Veritas*. Hoc Ephod ac Rationale indutus Pontifex si vel suo vel alio nomine consulebat Dominum, futura prædixit vel ad interrogata voce interna aut externa respondit, *1. Reg. 30. à v. 7.* quanquam non semper. Uti constat ex *1. Reg. 28. v. 6.* Demum Tiaræ Pontificiæ lamina aurea in fronte affixa erat cum insculpto Nomine DEI Jehova.

Eodem simul tempore Moses septenâ unctione consecravit altaria thymiamatis & holocausti totumque tabernaculum cum omnibus vasis, & suppellectile sua, ingenti ad id copia unguenti usus, cum res non leviter aspergerentur, sed omnino perfunderentur.

Levitæ à 25. annis ad ministerium tabernali assumpti his ritibus consecrabantur. Primò aspergebantur hysopo, aquâ lustrali, cineribus vaccæ rufæ combustæ affusâ, tincto. Secundò radebantur eorum pili. Tertio lavabantur vestimenta. Quarto imponebant manum duobus bobus, & Sacerdotibus immolan-

H 3

dos

Consecratio
totius taber-
naculi.

Ev. 30. à v. 23.

Ex. 40. à v. 9.

Lev. 8. à v. 10.

Consecratio

Levitarum.

Num. 8. à v. 6.

dos præbebant, unum in holocaustum, alterum in expiationem peccati. Quintò Principes populi totius nomine ante tabernaculum posuere manus super Levitas hoc ritu transferentes ac donantes eos in perpetuum DEI obsequium. Sextò Moses & Aaron illos nunc de medio filiorum Israël separatos ac Domino oblatos DEO ejusque Ministerio addixere.

Officium Sa-
cerdotum.
Ex. 30. v. 7.
& 8.
Lev. 1.
N. 18. à v. 1.

Porro officium Sacerdotum erat pelles victimis detrahere, hostias in frustra concidere, membra cæsa super altare ordinare, sanguinem per circuitum altaris spargere, ignem in altari subjicere, struem lignorum componere, sacrificia tum quotidiana, tum alia extra ordinem offerre: lucernas accendere, extinguere, componere manè & vesperi: olea conservare, vasa tabernaculi inspicere: panes propositionis in mensa ponere: in altari thymiamatis incensum offerre &c

Officium Le-
vitarum.
N. 1. à v. 50.
N. 4.
N. 18. à v. 2.

Simplices Levitæ debebant omnia Sacerdotum jussu præparare, hostias, panes, oleum, thymiamata aliæque id genus: excubare ante tabernaculum illudque ac ejus vasa custodire; & fortassis inter excubandum partitis inter se quatuor noctis vigiliis DEO laudes canere, & orare pro universo populo. Cùm verò migrandum aliò fuit, ii, qui intra trigessimum & quinquagesimum annum erant, res sacras portabant: & Caathitæ quidem arcam triplici velamento prius à Sacerdotibus involutam, mensam, candelabrum, altare aureum, altare holocaustorum, & omnia Sanctuarii vasa prius pellibus janthinis, palliis hyacinthinis, aut purpureis benè tecta & involuta. Gersonitæ gestabant cortinas tum tabernaculi, tum atrii, tectum tabernaculi, tentorium, vela, funiculos, omnia vasa Ministerii janthinis velis benè involuta; Meraritæ ferebant tabernaculi tabulas, vectes, columnas, ac bases: columnas quoque atrii cum basibus, paxillis & funibus suis; omnia denique reliqua vasa ac suppellectilem.

Primitiæ Aa-
ronis, Lev. 9.
& 19. v. 1. & 2.

Post finitos septem consecrationis dies Aaron Primitias suas celebravit, cæpitque fungi ministerio Pontificatus sui, ac certa Sacrificia præparavit. Et ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum & adipem, qui erant super altare, tum ad honorandum Aaronem, tum ad approbanda eorum toto populo oblata ac deinceps offerenda Sacrificia. Quâ autem re conturbati duo filii Aaronis Nadab & Abiu dum altare holocaustorum

rum non ausi accedere profanum ignem aliunde ad coquendas carnes contra divinum præceptum sumunt, divinitus occisi sunt ac deinde extra castra sepulti toto populo lugente. Itaque soli duo filii reliqui Eleazar & Ithamar Pontificum & Sacerdotum progeniem deinceps propagarunt

Interea ab egressu ex Ægypto annus fluxerat. Itaque universus populus secundum Pascha ac anniversarium libertatis suæ diem cum gaudio celebravit, cumque paulò post hinc à monte Sina migrandum esset, voluit Dominus populum iterum numerari, & in sua quemque familia tribuque censerì. Et re-
perta sunt virorum, qui à vigesimo anno poterant ad bellum procedere sexcenta & tria millia quingenti & quinquaginta: nempe de tribu Ruben quadraginta sex millia quingenti: de tribu Simeon quinquaginta novem millia trecenti: de tribu Gad quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta: de tribu Juda septuaginta quatuor millia sexcenti: de tribu Isachar quinquaginta quatuor millia quadringenti: de tribu Zabulon quinquaginta septem millia quadringenti: de tribu Ephraim quadraginta millia quingenti: de tribu Manasse triginta duo millia ducenti: de tribu Benjamin triginta quinque millia quadringenti: de tribu Dan sexaginta duo millia septingenti: de tribu Aser quadraginta millia, & mille quingenti: de tribu Nephtali quinquaginta tria millia quadringenti. Tribum Levitarum noluit Dominus sub ejusmodi censum venire, sed bellicorum onerum aliorumque immunes suo tantum cultui mancipari. Nihilominus hæc occasione etiam Levitæ numerati sunt, & ex familia Gerson, Caath, & Merari à mense uno & supra in genere masculino fuerunt viginti duo millia. Qui verò ex his apti essent ad ministerium in tabernaculo fœderis & ad onera portanda à triginta annis usque ad quinquagesimum, fuerunt octo millia quingenti octoginta.

Demum ordinavit Dominus, quò quæque tribus loco constitueret, cum castra metarentur; voluitque ut tribus Juda, Isachar & Zabulon occuparent partem tabernaculi orientalem, vocarenturque ob Principatum Judæ *castra Juda*; utque hæ tres Tribus primæ ingrederentur, ac ducerent agmen, cum proficiscendum esset. Ruben, Simeon & Gad Sanctuarii latus meridiana clauderent, vocarenturque *castra Ruben*, & secundò loco

Celebratur secundum Pascha & populus numeratur.

N. 9. v. 4. & 5.

N. 2. v. 32.

N. 1. à v. 20.

N. 4.

Ordinantur castra N. 2.

locò se darent in viam. Ad occidentem castra figerent Ephraim, Benjamin & Manasse, dicerenturque *castra Ephraim*, & teritiò locò procederent. Quartum latus ex parte Aquilonis stiparent, Dan, Aser, & Nephtali, *castraque Dan* nominarentur, & totum agmen clauderent. Levitis assignatus est locus, in medio duodecim tribuum, sic ut proximi essent Sanctuario. Et Mosi quidem & Aaroni pars orientalis, quâ aditus erat ad Sanctuarium, attributa est.

Israelitæ se
xursum in vi-
am dant. N.
10.

Exacto ad montem Sinai integrò ferè annò columna nubis moveri cœpit, populùsque universus colligere sarcinas, plaustra jumentaque onerare ac se ad iter accingere. Datò deinde tubà argenteà per Sacerdotes signò arca sub columna nubis à Levitis portata comitante Mose & Aarone præcessit. Secuta sunt castra Judæ, Ruben, Ephraim, ac Dan cum sociis per suas turmas quæque. Post tres primas tribus Gersonitæ & Meraritæ Levitæ tabernaculi suppellectilem ejusdemque structuram partim devehebant plaustris, partim humeris portabant. In medio duodecim tribuum Caathitæ deferebant res Sanctuarii, mensam, candelabrum, altare incensi &c. ut sic erecto jam à præcedentibus tabernaculò hi seriùs adventantes sacram suppellectilem in paratam jam sanctam ædem immitterent.

Murmuran-
tes puniun-
tur. N. 11.
Deut. 9. v. 22.

In via ob paulò longius iter ortum est murmur contra Dominum. At ipse injustas ejusmodi querelas haud ampliùs ferens ignem è terra excitavit, qui extremam devoravit partem castrorum, eos scilicet, qui tædiò itineris è variis tribubus remanserant. Post tridui iter substitit columna nubis & ex fronte in medium agmen cum arca recessit, & signum populo castra metandi dedit in solitudine Pharan locò, qui ab eventu postea sepulchra concupiscentiæ dictus est. Vix enim fixerunt castra, cum ad solita obtrectationem arma conversi sunt. Desiderio carniùm primò murmurare cœpit promiscuum Ægyptiorum vulgus, quod cum Israëlitis de Ægypto ascenderat. Malum illicò serpebat in populum, ita ut etiam manna contemnerent præalliorum, porrorum, cucumerum, peponùmque fructibus, quos in Ægypto gratis, uti aiebant, comedissent. Dominus licèt iratus esset valde, distulit tamen pœnam, atque ad preces Mosi demisit coturnices in castra, ac per circuitum eorum, in tanta copia, ut populo per integrum mensem sufficerent. At cum ii præcipuè,

cipue, qui carnes nuper seditiosè flagitaverant, diu lautè epulati essent, demum versæ sunt in nauseam, ac plerique, dum adhuc carnes erant in dentibus eorum, perièrunt, Domino intempestivum carniùm desiderium strage plurimorum multante. Sed & Mariam, Mosi Sororem ibi leprâ Dominus percussit, quòd cum Sephora rixans Mosi auctoritatem Aaronè etiam probante, elevare ausa esset, diceretque: *Num per solum Mosen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?* N. 12.

Integrum hîc mensem quieverant. Tum verò Duce columnâ iter rursùm ingressi quarto die in Haseroth pervenerunt, ibique manserunt, donec Maria post septem dies à lepra sanata est. Ex Aseroth post quatuor dies venerunt in Cadesbarne quæ fuit mansio decima quinta. Hic Moles terram promissam, ad quam hinc jucundissimè prospectus erat, avidè confluenti populo ostendit, dixitque ex voluntate Domini: *Vide terram, quam Dominus DEUS tuus dat tibi, ascende & posside eam*: non dubitans, omnes, sine mora duceret, conclamatuos. At populus priùs mittendos putavit, *qui considerent terram*, & renuntient, per quod iter oporteat ascendere. Inexpectatum responsum Moses retulit ad Dominum, eòque consultò assensus est. Missi sunt ergo exploratores duodecim, ex quavis Tribu unus; inter quos Josue Minister Mosi de Tribu Ephraim, & Caleb de Tribu Juda. Mandatis instructi peragrârunt totam ferè Chanaanitidè tempore vindemiæ, veneruntque etiam in Hebron, ubi inter cives erant quidam proceræ staturæ homines de posteritate alicujus gigantis, Enac nomine. Ubi post 40. dies in castra redierunt, Josue & Caleb bona omnia nuntiârunt, terram verè lacte & melle fluere; utque populo fidem facerent, ostenderunt palmitem cum sua uva, quem asportaverant in vecte: hortabanturque populum: *Ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam*. Cœteri contra: *Nequaquam, inquit, ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est*. Deinde terrificè referebant, quæ populum ab ingressu deterrèrent, ac inter alia, homines se vidisse tam proceræ staturæ, quibus comparati quasi locustæ viderentur. Itaque reclamantibus frustra Josue & Caleb factum est, ut murmur ingens & seditio oriretur contra Mosè & Aaronem. Josue quoque & Caleb in periculo erant, ne lapidibus obruerentur, passimque

Mittuntur,
qui terram
promissam
explorent.
N. c. 13. &
14. Deut. 1;
à v. 20.

in circulis audiebantur seditiosorum voces : *Nōne melius est reverti in Ægyptum?*

Israëlitz da-
minantur
quadraginta
annorum
exiliō. N. 14.
à v. 5.

Interea Moses, & Aaron in terram prostrati jacebant coram tabernaculo timentes, ne Dominus iratus ita detrahentem sibi ac promissæ terræ populum omnem perderet, ac pestilentiam, veluti minabatur, consumeret. Et profectō ægrè ab omnium internecone prohibitus DEI furor in eo tamen constitit, ut latâ sententiâ omnes damnaret longô quadraginta annorum juxta quadraginta dies, quibûs terram explorari voluissent, per desertum exiliō, eos verò, qui tunc, cùm ex Ægypto egréderentur, jam vigesimum egissent annum, hâc insuper poenâ, ut nullus terram promissam intraret, sed præter Calebum & Josue omnes paulatim extinguerentur, quandoquidem ipsis ea terra displicuisset. Rebellionis verò auctores decem illi ad reliquorum terrorem atque exemplum tunc statim in conspectu omnium subitâ morte sublati sunt.

A conspectu
terræ promissæ
recedunt
mœsti in de-
sertum. N.
23. v. 19.

Brevi post elevans se columna nubis signum profectionis dedit. Itaque pleni mœstitiâ à terra tot tantisque laboribus quæsitâ, tot laudibus ab ipso DEO celebratâ, tot promissis antiquis retro Patribus confirmata, & sub ipsum in eam ingressum quasi factō in portu naufragio infeliciter amissa recedunt, ac in solitudinem regressi castra metati sunt in Remmophares decimâ sextâ mansione. Decima septima mansio fuit in Lebna v. 20. Decima octava in Resa. v. 21.

Core & So-
ciorum inte-
ritus. N. c. 16.

Decima nona in Ceelatha, v. 22. ubi contigisse videtur seditio atque interitus Core & Sociorum ejus. Erat Core ex Tribu Levitica fratruelis Mosi & Aaronis, quorum dignitati ambitione stimulante invidens, res novas moliri cœpit, ut Aaron de summa dignitate dejecto, Pontificatum invaderet; quod quia difficile fore videbatur Mosè rerum potente, hunc quoque de Principatu deturbare statuit operâ quorundam, qui sibi ad eum gradum spem facere poterant. Quare ad partes suas & consiliorum Societatem traxit Dathan & Abiron de Tribu Ruben primarios viros. Hi ducentos & quinquaginta alios sibi adjungunt, qui variis motibus in populo concitatis insurgentes his verbis Mosi & Aaronem adoriuntur: *Cur elevamini super populum Domini?* Facile intellexit Moses, quid hæc sibi vellent. Quare continuo cecidit in faciem suam & ad solita orationis
præ-

præsidia confugit. Surgens deinde, *manè* inquit ad Core & ad omnem ei suffragantem multitudinem, *notum faciet Dominus quos elegerit.* Postero die omnibus expectatione rei suspensis, Moses monuit circumfusum populum, ut à tabernaculis Core Dathan & Abiron procul recederet; dùmque nefariæ defectio- nis aathores stant in introitu papilionum suorum, subito dehi- scens terra eos cum tota cujusque familia absorbit. Levitas verò numero 250. Core adhaerentes dum prunas thuribus suis imponunt, erumpens ex altari holocaustorum undique ignis omnes momento citius ita consumpsit, ut ne cadaverum qui- dem reliquæ apparent: atque ita sumpta divinitus ultio est de ambitiosis tum Sacerdotii tum Principatus Candidatis. Ec- ce autem novum & populare murmur. Postero die rejiciunt culpam hesterne cladis in Mosen & Aaron, itaque increvit tu- multus atque seditio, ut vitæ suæ consulentes illi duo fugerent ad tabernaculum fœderis; quos cum seditiosi insequerentur usque in atrium, ab irato Domino percussi sunt atque consumpti, ad quatuordecim hominum millia & septingenti.

Ut verò electio Aaronis ad Sacerdotium, quod huic sedi- tioni ansam dederat, apud omnes esset indubitata, jussit Domi- nus per Mosen à Principibus Tribuum duodecim suas virgas af- ferri & reponi in tabernaculo. Altero die Moses invenit vir- gam Aaronis germinasse, & turgentibus gemmis erupisse in flo- res. Ergo protulit Moses omnes virgas ad cunctos filios Israëli, qui cum viderent solius Aaronis virgam virere, acquieverunt divinæ electioni tantò miraculò confirmatæ. Virga Aaronis deinde jussu Domini in arcam relata est, ubi perpetuò virens esset perpetua probatio electionis familiæ Aaronis ad Sacerdo- tium, neque unquam à posteris in dubium revocari posset.

Quid deinceps per quinque & triginta circiter annos di- gnium memoriâ in populo Israëlitico contigerit, nihil scriptum reliquit Moses. Illud solùm constat, columnam nubis per di- em, & columnam ignis per noctem semper præsentem habuisse. Aquam ex monte Horeb castra semper secutam; & manna per castrorum circuitum quotidie depluisse, vestimenta po- puli nequaquam vetustate defecisse, nec calceos detritos. *Deut. 8. v. 4.* Nullos toto itinere fuisse infirmos. *Pf. 104. v. 37.* universos, qui ex Ægypto jam viginti annos nati & bel-

Sacerdotium
Aaronis mi-
raculò con-
firmatur. N.
c. 17.

Mansiones
reliquæ. N.
c. 33. à v. 29.

latores egressi erant, præter Josue & Caleb consumptos fuisse Deut. 2. v. 14. aliisque terra absorptos, alios igne, alios morfu serpentum, alios inimico, alios Justitiæ gladio, alios lapidatione, alios suspendio, alios percussione Domini periisse. Deut. 1. v. 35. Num. 14. v. 23. Mansionem denique interea temporis decies ter mutasse. Fuitque mansio 20 ad montem Sopher. 21. in Arada. 22. in Maceloth. 23. in Thaath. 24. in Thare. 25. in Methca. 26. in Elmona. 27. in Moseroth. 28. in Beneiachan. 29. ad montem Gadgad. 30. in Ictabata. 31. in Hebrona. 32. in Asiongaber ad mare rubrum. 33. in Cades.

Aqua contradictionis,
N. c. 20.

Ab egressu ex Ægypto quadragesimo ineunte venit Israël in desertum Zin in Cades. Ubi Maria moritur annum agens 126. Elata est magnificè, inque vicino monte sepulta. Hic aqua, quæ hætenus de petra Horeb Israelitas per omnes mansiones fluxu suo secuta erat, defecit. Igitur ad Moysen & Aaronem quare inquirunt, ascendere nos fecistis de Ægypto? & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec Malo granata: insuper & aquam non habet ad bibendum? Clamavit igitur Moyses & Aron ad Dominum, qui respondit: Tolle virgam & congrega populum tuum & Aaron fratrem tuum & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Igitur Moyses accedens ad petram coram universo populo dixit: Audite rebelles & increduli, num de petra hæc vobis aquam poterimus ejicere? virgaque bis silicem percussit; & egressæ sunt aqua largissima, ita ut populus biberet & jumenta. Interim ibi ambo offenderunt apud Dominum, quod coram populo diffiderent, an rupes datura esset aquas rebellibus & incredulis. Moyses quoque non allocutus est petram, quod tamen Dominus jusserat; & percussit petram, quod ille non jusserat. Unde mox audierunt: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Quæ poenâ vehementer afflictus Moyses sæpè Dominum precibus sollicitabat, eique quodammodo blandiebatur; at semper ac demum hanc repulsam tulit: Nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.

Moyses transitum per Idumæam petit,

Neque tamen propterea cessavit Moyses publica negotia pari studio curare, ac si ipse populum introducturus esset in Chanaanitidem, misitque legationem ad Regem Idumæorum petens tran-

tran-

transitum per terram illius, addens: *Non bibemus per agros, neque per vineas, non bibemus aquam de puteis suis, sed gradimur viâ publicâ, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes.* Rex tamen veritus, ne specie transitus occuparet Regionem suam: *Non transibitis, inquit per me, alioquin armatus occurram tibi.*

Itaque Israëlita, cum Dominus prohibuerit, *Deut. c. 2. v. 4. & 5.* ne vi sibi transitum aperirent per terminos fratrum suorum filiorum Esau, iter reflectunt ad montem Hor in extremis finibus Idumææ situm, quæ fuit mansio 34. Hic dum morantur, jubente Domino Moses, Aaron & Eleazarus hujus filius montem ascendunt; Aaron Pontificio ornato exutus moritur; ac eo filius induitur; cum quo novo Pontifice dum Moses descendit, populus videns Aaronem mortuum fleuit super eum 30. diebus.

In medio luctu dum sunt, Rex Arad Chananæus peregrinantibus vicinior commodam, ut putabat, nactus occasionem Israëlitas aggressus est. At facile victus relictaque multâ prædâ fugatus est. Post justa Aaroni persoluta profecti sunt de monte Hor per fines Idumæorum & Moabitarum, veneruntque in Salmona, quæ fuit mansio 35.

Inde progressi sunt in Phunon, quæ fuit mansio 36. Hic rursus tædere coepit populum itineris & laboris. Acerbum enim erat terram per annos 40. quæsitam habere ante oculos, nec tamen ingressum permitti. Obloquuntur igitur contra DEum & Mosén & solitam de cibo & potu querelam redintegrant. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos, in modum ignis scilicet rutilantes, aut morsu suo æstum inducentes ac veluti adurentes, serpentes, quibus icti quamplurimi perierunt, donec Moses in pertica seu furca serpentem æneum suspendit, quem conspicientes ægri sanabantur.

Ex Phunon profecti in Oboth castra metati sunt; deinde in Joabarim; in Bibongad, ac demum in Helmon Deblathaim ad torrentem Arnon, qui dividit Moabitas & Amorrhæos, quorum duo Regna, trans Jordanem sita, jam erant pars terræ Israëlitis promissæ; pro quâ proin pugnandum fuit contra septem populos: Hethæos, Gergezæos, Amorrhæos, Chananæos, Pherzeæos, Hevæos, Jebusæos. Primus occurrit Seon Rex cum

at non impetrat. N. 20. a v. 14.

Aaron moritur. Succedit Eleazar. N. 33. v. 38. & 39. & N. 20. 2. v. 25.

Rex Arad fugatur. N. 21. a v. 1. ad 5.

DEus in murmurantes mittit ignitos serpentes. N. c. 21. a v. 4.

Moses duo Regna terræ promissæ occupat. N. 21. a v. 10. Deut. 2. a v. 26. Deut. 3. a v. 1.

numeroſo exercitu; quò cæſò capta eſt urbs Regia Heſebon cum omnibus reliquis Regni urbibus, ſine ſexùs aut ætatis diſcrimine interfectis ubique habitatoribus. Alter qui ſe oppoſuit, & reliquam ſeptentrionalem Regionem trans Jordanem poſſedit, fuit Reg Og unus de ſtirpe Gigantum duodecim pedes longus. Hic quoque ad internecionem cum omni populo deletus eſt. Erant in ejus Regno Baſan ſexaginta urbes munitæ, quæ omnes captæ ſunt præter innumera oppida.

Redactis in poteſtatem duobùs Regnùs, Moſes munitioribus locis præſidia impoſuit, & caſtra ad montes Abraim fixit. Subjecta hiſ montibus Regio, quæ ab oriente habet eodem montes, ab occidente verò Jordanem, dicuntur campeſtria Moab. Ubi deinde motis caſtris propiùs Jordanem acceſſit, & manſionem quadrageſimam ſecundam ac ultimam habuit.

Balaam Rex Moabitarum veritus ne tertius eſſet, qui Iſræ-
litarum armis opprimeretur, miſit Legatos in Meſopotamiam, qui Balaam vaticiniùs celebrem virum adducerent ad maledicendum populo Hebræo, ut ſic eos vel delere poſſet, vel procul à ſe repellere. Hic promiſſis & muneribus denique victus ſtratâ aſinâ ſe dat in viam. At ecce in quodam loco, ubi via anguſtior erat, occurrit Angelus ſtriçtoque gladio aſinam pergere prohibet. Balaam quantis potuit içtibùs jumentum urget, ut denique ſub pedibus ſedentis concidens ei ſævitiâ, Angelo in ejus ore verba formante, exprobraret, dicerétque: *Cur percutis me ecce jam tertio?* Demum, ubi ipſe etiam Angelum vidit, factum excuſans ſe reverti paratum oſtendit. Permiſſus tamen eſt cceptum iter proſequi; caveret autem ne aliud loqueretur, quàm ipſe præcepſſet. Adventanti occurrit Rex ipſe duxitque in montem, unde ad caſtra Iſrælitarum proſpectus erat. Ibi dum ad maledicendum Prophetam urget, hic fauſta omnia ſuggerente Domino Hebræis tertio precatuſ eſt, ita, ut Rex iratus comploſtis manibus eum à ſe repelleret, & unde venerat reverti juberet.

Revertitur. At improbus tum primùm maximam cladem tum animorum, tum corporum Hebræis attulit. Erat Moabitis vicina Madianitarum Regio, alia ab eâ, in quam olim Moſes ex Ægypto profugerat; qui junctis cum Rege Moabitarum conſiliis & ipſi Iſrælitæ à finibus ſuis procul abeſſe optabant. Igitur dum

Caſtra meta-
tur in cam-
peſtribus Mo-
ab propè Jor-
danem. N.
22. v. 1.

Balaam con-
tra quàm Rex
Balac opta-
bat, fauſta
omnia preca-
tur Iſrælitis.
N. 22. 23. &
24.

Hebræi Juve-
nes à feminis
Madianitiſ
ſeducti puni-
untur. N. 25.

dum Balaam rediturus in Mesopotamiam in Madianitide apud amicos subsistit, suavit utriusque genti, contra Hebræos non aliis armis quam mulierum suarum formâ atque blanditiis pugnarent, Israëllem nulla recertius everti posse. Successit stratagemâ. Castra Hebræorum protendebantur usque Setim. Huc dum frequentes ac comptæ quasi castra videndi causâ veniunt, eas Juvenes Hebræi ita adamârunt, ut cum iis fornicantes etiam Beelphegor, alio nomine Priapum, earum DEum venerarentur. Zambri verò Dux de Tribu Simeon non contentus cum mulierculis extra castra versari, unam earum nobilem Madianitidem in tentorium deducere ausus est in omnium oculis, qui cum Mosecoram tabernaculo fiebant tum peccata populi tum pestem ob ea per castra grassantem. At mox scelus luit; nam Phinees Eleazari Summi Sacerdotis filius stricto cum pugione lupanar ingressus fornicantes confodit. Quò factò pœna post viginti quatuor millia de plebe jam absumpta, & Principes non paucos, qui primi sceleris Authores fuerant, contra Solem suspensos, cessavit, DEO ob zelum Phinees placatò.

Purgatis ab Idololatria castris, numeratus est populus, eorumque numerus absque Levitis, quorum erant viginti tria millia, ascendit ad sexcenta millia, mille septingentos triginta, iis omnibus præter Calebum & Josue jam extinctis, qui alias sub ejusmodi censum venerant.

Posteâ jussu Domini bellum contra Madianitas, qui populum in fraudem ac flagitium induxerant, susceptum est. Moabitis uti & vicinis Amonitis in gratiam Loti Pogenitoris paritum. Misit ergo Moses duodecim millia virorum ex singulis Tribubus mille, qui tam feliciter pugnârunt, ut ne quidem unus desideraretur. Ex hostibus cum proditore Balaam, & quinque gentis Principibus cæsi sunt omnes viri, parvuli ac fœminæ virum expertæ, servatis solis virginibus & puellis in ancillas aut etiam inferioris notæ conjuges. Urbes & castella flammis consumpta; non enim Provincia hæc erat habitationi Israëlitarum destinata. Sumptâ de Madianitis ultione, reversi sunt in castra cum ingenti præda. Nam præter universam supellectilem adduxerunt ovium sexcenta septuaginta quinque millia: boum septuaginta duo millia: asinarum sexaginta millia, Puellarum triginta duo millia. Aurum omne fuit à militibus Domino oblatum. Præda tam de

Rursum numeratur populus, à viginti annis & supra. N. c. 26.

Ultio in Madianitas. N. c. 31.

pecoribus quàm de hominibus fuit juxta Domini præscriptum distributa. Reliqua fuit illius, qui rapuit.

Moses Successorem suum Josue designat.

Sub hoc tempus prænuntiavit Dominus Mosi mortem, quam in monte Abarim obiturus erat, jussitque rebus prius compositis conscendere montem, indèque promissam Israëlitis terram oculis saltem à longè usurpare, quam adire non liceret ob culpam ad aquas contradictionis admissam. Igitur Josue coram Eleazaro & omni populo sibi Successorem, imposita illi manu, designat. Ex quo *Spiritu Sapientie repletus est. Et obedierunt ei filii Israël.*

Terminos promissæ terræ describit. N. 32. 34. 35.

Tum terras devictorum Regum Og & Schon divisit inter Tribus Ruben & Gad, ita tamen, ut ea pars terræ, quæ Galaad dicebatur, dimidiæ Tribui Manassis cederet. Postea reliquæ terræ promissæ trans Jordanem terminos descripsit, videlicet à meridie desertum Sin & Idumæam; ab occidente mare mediterraneum: ab oriente mare mortuum & Jordanem: à septentrione montem Libanum.

Deuteronomium coram populo recitat. Deut. c. 1. v. 1. deinde per 31. capita.

Demum, ubi cætera ordinaverat, Deuteronomium coram populo recitavit; atque imprimis relegere cœpit casus & gesta 40. annorum per viam deserti. Deinde inter alia inculcat præceptum diligendi DEUM ex toto corde: jubet stirpibus excindi Chanaanæos & Idola eorum, templaque everti: vetat iniri cum ipsis nuptias, aut alia fœdera: hortatur ad accuratam legis divinæ custodiam ob multiplicia à DEO beneficia tum accepta in deserto, tum accipienda in Chanaanitide: transgressoribus Legis excidium comminatur: jubet in loco ad id designando offerri DEO victimas, decimas & primitias, & non in montibus & lucis: jussit demum Deuteronomii librum poni in latere arcæ, ubi jam reposita erat urna aurea plena mannâ, & virga Aaronis, idque singulis septenniis in festo tabernaculorum in solenni populi concione legi.

An. 2493. Moritur. Deut. 32. 33. 34.

Jamjam ascensurus in montem intelligit à DEO, futurum, ut se mortuo populus Deos alienos, desertò Dominò, sequeretur. Quare postremò scripsit Canticum illud: *Audite Cæli que loquor &c.* ac coram Majoribus natu atque Doctoribus ad id convocatis recitavit; quod filii Israël memoriâ tenerent ac deinceps decantarent, suoque ore seipos arguerent. Demum ubi populo benedixit, cum Eleazaro & Josue super montem Nebo,

par-

partem montis Abarim, in verticem Phasga ascendit, & cum iis terram promissam undequaque contemplatus placidâ morte obdormivit; indeque divinitus in vallem terræ Moab translatus ac sepultus est. *Centum & viginti annorum erat, nec tamen caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Mortuum luxit populus triginta diebus.

Reliquit Moses quinque libros Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, in quibus per otium digessit totam Israëlitarum Historiam ab origine mundi usque ad tempus suæ mortis. In iis quoque complexus est totam legem, seu omnia, quæ tum ad mores, tum ad Judicia, tum ad DEI cultum & cæremonias pertinent. Nos omisissis morum ac Judiciorum præceptis quosdam Hebræorum ritus hoc loco referemus, qui ad sacram Historiam plenius intelligendam facere videntur, ut sunt Festa, Sacrificia, aliæque Oblationes.

Libri Moisis.

De Festis Hebræorum.

Festi dies sex præcepti erant Sabbathum, Pascha, Pentecoste, Festum Tubarum, Scenopegia seu Festum Tabernaculorum, Festum Expiationis. Hos celebrârunt non solum ab opere cessando, sed etiam offerendo, orando & interdum etiam animas affligendo sive jejunandò, lectioni vel auditioni legis in Synagogis operam dando, tantâ quidem curâ, ut plerique totam legem memoriâ tenerent. Porro dies Festos celebrabant à vespera ad vesperam.

Sabbathum, septimum hebdomadæ diem, summo honore coli jussit Dominus, ut Hebræi ne quidem ad parandos cibos accenderent; quod tamen aliis festis diebùs licebat.

Pascha & Azymorum Festum à primi mensis Nisan, sive Martii, decimâ quartâ diè, quâ sub noctem Agnum Paschalem comedebant, septem deinceps diebus celebrârunt; per quos non aliis vesci licebat, quàm panibus azymis, in memoriam afflictionis Ægyptiacæ inipidis; qui tamen ritus azymorum non pertinuit ad tempus peregrinationis in deserto, quando Manna eis loco panis fuit, & omnis obsonii. Quòd si ad montem Sinai in secundo Paschate hunc etiam ritum observârunt, ex vicinâ Madianitide farinam ad coquendos azymos panes habuerint.

Sacra Veterum Temp. Histor.

K

Alte-

G. 2. v. 2. & 3.
Ex. 20 v. 8. 9.
10. 11. Ex. 35.
v. 3. Deut. 5.
v. 14. 15.
Ex. 12. Lev.
23. à v. 5. N.
28. à v. 16.

Altero azymorum die falx semper primò in Segetes, quæ per Syriam mensè Martio maturefcere incipiunt, missa, lectusque novarum frugum manipulus, veluti primiciæ mellis, nomine totius populi Domino fuit oblatus, ut sanctificaretur futura messis. Atque is dies Primitiarum vocabatur, inde messe per quadraginta novem dies perfectâ.

Lev. 23. à v.
35.

Pentecostes Festum quinquagesimo die egerunt; quo singulæ familiæ duos fermentatos panes è novis frugibus Domino offerre debebant.

Lev. 23. v.
24. 25.

Festum Tubarum fuit prima die septimi mensis, quem Hebræi Tisirim, nos Septembrem vocamus. Sacerdotes quidem etiam cœtera Festa, uti & cujuscunque mensis primum diem seu novilunium, à quo Hebræi suos menses inchoabant, tubis inflatis solebant indicere. Peculiari tamen Tubarum clangore hunc diem voluit DEUS promulgari. Unde & Festum Tubarum appellatum ac in memoriam ejus diei, quo tubis clangentibus DEUS legem Mosi in Sina dedit, est celebratum.

Lev. 23. à v.
27. & Lev. 16,
à v. 29.

Festum expiationis incidebat in decimum ejusdem mensis septimi; quo solo anni die Jus erat Summo Pontifici intrare in Sanctum Sanctorum; idque cum multo Cæremoniarum apparatu, Sacrificiorum vestiùmque delectu. Fiebat autem tunc expiatio solennis omnium peccatorum, quæ per annum fuerant à populo commissa. Expiabatur quoque Sanctuarium ac ipsum Sanctum Sanctorum, quasi populi & Sacerdotum peccatis contaminatum. Ritus expiandi consistebat partim in immolatione victimarum; partim aspersione septena sanguinis victimarum; partim oratione Pontificis ac precibus ad DEUM; partim denique afflictione animarum, seu publico totius populi jejuniò usque ad vesperam ita, ut non tantùm à cibo, sed & à potu, à balneis, ab unguentis &c. abstinerent.

Lev. 23. à v.
24.

Festum Tabernaculorum, seu Scenopægiæ, à decimo quinto die ejusdem mensis protrahabatur per septem reliquos dies, quos extra domos foris in tentoriis expellibus, linteis, vel arborum ramis subito opere constructis transgebant Sacrificiis ac lætis conviviis in memoriam 40. annorum, quibus per desertum Patres eorum in tabernaculis habitaverant. A labore feriabantur tantùm primo die & ultimo, quo frequentes vel omnes conveniebant ad Sanctuarium ac templum gratias unanimiter actu-

acturi DEO, inprimis pro obtenta terra sancta, deinde pro frugibus eo anno collectis, demum pro Festo feliciter exacto.

Cœterum ex his præcipua festa erant Pascha, Pentecoste, & Tabernacula, quibus illi, qui vigesimum inter & sexagesimum ætatis annum erant, omnes ex omnibus Israël finibus ad Sanctuarium ac cum tempore Jerosolymam ad templum convenire debebant, ut Sacris interessent.

Ex. 23. à v.
14. 2. Par. 8.
v. 13.

Præter sex hæc Festa sive Sabbatha aut dies istos Sabbathicos erant etiam anni Sabbathici, septimus quique, ac annus septimus, seu quinquagesimus, qui & Jubilæus.

Voluit igitur DEUS quovis anno septimo esse Sabbathum terræ, ita ut Hebræis nec agros nec vineas colere eò anno liceret; messis verò ex decimo prioris anni grano nata, vindemiæ, olivæ pauperibus relinquerentur. Neque tamen propterea fundi Dominus damnum patiebatur, quia præcedens annus sextus duplam semper messem ac vindemiam ad duos annos suffecturam dederat. Præterea erat ille etiam remissionis annus, quò, qui ex Hebræis erant servi, liberi dimitti, & mutuuum, quod eò anno quis ob egestatem reddere non poterat, debebat remitti. Demum in Festo Tabernaculorum hujusmodi anni Sabbathici coram toto populo Deuteronomium legi consueverat.

Lev. c. 25. à v. 1. ad 8.
Deut. c. 15.

Alter annus Sabbathicus seu quinquagesimus ac Jubilæus præter privilegia septimi anni Sabbathici hoc insuper habuerat, ut terræ frugiferæ omnes cum domibus in agro sitis, licet hæc tunc sæpius venditæ ac alienatæ, tali anno redirent ad veterem ac primum possessorem nullò pretiò redditò; ut sic pauperes, si fortè urgente penuria vendidissent agellum, redire possent ad pristinam fortunam; quæ erat una causa legis conditæ in favorem pauperum. Altera causa fuit, ne Tribus & familiæ, quibus à principio possessiones distributæ fuerant, confunderentur. Porrò annus hic dictus est Jubilæus, quò eum Levitæ per tubas arietinas seu cornua, quæ Hebræis dicuntur Jobelim, convocato populo indicent.

Lev. 25. à v. 8.

De Sacrificiis Hebræorum.

Sacrificia fiebant in altari holocaustorum; quæ quòd quotidie offerrentur, ignis in eo diu noctuque fovendus erat, sacer
K 2 nimi-

Lev. 6. v. 12.
& 13.

nimirum ille, qui in primo Aaronis sacrificio de Coelo venerat; & quo solo ad sacrificia uti fas erat. Is, cum per desertum iter facerent, in vase quodam portabatur; cum subisterent, perpetuo fomento nutriebatur cura Sacerdotum usque ad tempus, quod Salomon templum dedicavit. Tum enim rursus ignis de Coelo ad victimas absumendas missus est, quem rursus conservarunt in altari usque ad eversionem templi & captivitatem Babylonicam. Sed ne tunc quidem neglecta fuit illius cura, dum à Sacerdotibus in sicco quodam puteo fuit absconditus; quem soluta captivitate ibi requirentes solum quidem crassam aquam loco ignis reppererunt; quæ tamen tempore Sacrificii in ignem reversa est, uti narratur 2. Machab. 1. quem proinde sacrum ignem ad Sacrificia deinceps quoque foverunt.

Lev. c. 1. Victimæ ex animantibus non aliæ assumebantur pro sacrificiis, quam bos & vitulus utriusque generis, aries, ovis, hœdus, agnus, hircus, capra, turtures & columbæ; quæ sola fortassis DEUS ex pluribus aliis etiam mundis elegit, eod quod sint in communiore hominum usu, & passim haberi possint.

Lev. c. 1. Victimæ macerantur Sacerdotes, detractaque pelle pro Sacrificiis juxta ritum præscriptum parant ac super altare posuerunt. Sanguinem phialâ excipientes nunc super aram fundebant, nunc eod limbum, nunc cornua altaris holocausti imbebant, nunc cornua altaris incensi illinebant.

Sacrificiorum genera tria potissimum erant præscripta: holocausta sive holocaustomata; hostiæ pacificæ; hostiæ pro peccato.

Lev. c. 1. Holocausta dicebantur ea Sacrificia, in quibus victimæ masculæ totæ DEO in suavitate odoris ejusque honorem cremabantur. Holocausta enim præcipue DEI honorem spectabant. Unde optimum sibi ex quoque genere merito postulabat.

Lev. c. 3. Hostiæ pacificæ, salutares ac Eucharisticæ erant, eum victimæ mares seu fœminæ vel ad impetrandum vel ad agendum gratias ita immolabantur, ut una pars, adeps scilicet, in altari cremaretur, altera, pectusculum scilicet & armus dexter cederet Sacerdotibus, tertia offerentibus relinqueretur in sacrum cibum, quo cum suis eodem vel altero die in atrio vel domi epularentur.

Lev. c. 4. 6. 7. Hostiæ pro peccato aut delicto vocabantur, eum in expiationem

tionem peccati victimæ offeriebantur; è quibus tamen nihil redibat ad offerentes, sed adipe cum renibus & sanguine DEO licatis, cætera omnia manebant Sacerdotibus in atrio sancto ab iis solis comedenda; atque ob id *Osea 4. v. 8.* dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi. Quando pro peccato Summi Sacerdotis aut totius populi sacrificium fiebat, totæ victimæ debebant extra castra comburi ad majorem horrorem ac detestationem peccati. Porro pro peccato Pontificis summi hostia erat vitulus pro peccato populi itidem vitulus, pro peccato Principis hircus: pro peccato plebei ovis vel capra.

In holocaustis & Pacificis hostiis addendum erat libamen quasi condimentum Sacrificii & convivii Divini. Horum libaminum quinque fuere genera: Simila seu Farina purissima. Oleum, Vinum, Thus, Sal; quibus victimæ altari impositæ solebant perfundi, ac cum iis DEO in odorem suavissimum cremari.

Libamen ejusmodi præsertim Simila cum incocta tum in panes seu in clibano seu sartagine aut craticula cocta admixto Oleo, Sale & Thure sæpe per se tanquam principalis hostia DEO offeriebatur, maximè à pauperibus; & tunc parte duntaxat modica in altari cremata reliquum Sacerdotis erat. Atque istud ita erat quartum genus Sacrificii: imò pauperes offerre poterant spicas virentes igni tostas, & in morem farris contractas.

Num. c. 15.
28. 29.

Lev. c. 2. & 6.

Stata Sacrificia.

Quotidie offerendus fuit anniculus agnus: unus manè: alter vespere cum libamentis suis; atque hoc dicebatur jure Sacrificium, seu Holocaustum.

Ex. 29. à v. 38.
N. 28. à v. 3.

In Sabbatho duo agni anniculi cum libamento similæ oleo consperæ in holocaustum sempiternum.

N. 28. v. 9.
& 10.

In Neomeniis seu Calendis mensium duo vituli, aries unus, agni septem in holocaustum: in hostiam pro peccato hircus unus cum libamentis suis.

à v. 11. ad 16.

In primo die Paschæ seu azymorum vituli duo: aries unus: agni septem in holocaustum: & hircus pro peccato; & hoc per septiciduum reliquum cum libamentis suis.

à v. 16. ad 25.

In die Pentecostes vituli duo: aries unus: agni septem: hircus pro peccato cum præscriptis libationibus.

à v. 26.

K ;

In

N. 29. à v. 1.
ad 7.

In Festo Tubarum vitulus: aries: agni septem in holocaustum: hircus pro peccato cum libamentis.

à v. 7. ad 15.

In Festo Expiationis vitulus: aries: agni septem in holocaustum: hircus pro peccato cum libationibus.

à v. 12.

In Festo Tabernaculorum primo die vituli tredecim: duo arietes: agni quatuordecim in holocaustum; hircus pro peccato; & ita etiam sequentibus diebus, nisi quòd die altero immolarentur vituli duodecim: tertio die undecim: & sic deinceps, donec die septimo ad vitulos septem esset deventum cum præscriptis libamentis.

De Oblationibus Lege præceptis.

PRÆTER Sacrificia cruenta imposuit DEUS Hebræis alias adhuc oblationes, scilicet Primitias, Decimas, & certam pecuniam.

Ex. 22. à v. 29.
N. c. 5. à v. 9. &
N. 18. à v. 8.

Primitiæ erant, quæ cuique primò ex animalibus, ex hominibus, aut ex semine terræ orta sunt. Has igitur Primitias suas quisque tenebatur deferre ad Sanctuarium, reddendas postea Sacerdotibus. Primogenita hominum & animalium immunorum erant redimenda, cætera in specie danda.

Ex. 22. à v. 29.
Lev. 27. à v. 30.
N. 18. à v. 21.

Decimæ de bobus, de ovibus, de captis, de frugibus terræ, de pomis arborum DEO priùs oblatae ad Levitas pertinebant; de quibus verò decimas & ipsi Sacerdotibus debebant.

Ex. 30. à v. 12.

Dimidium solum, in nostra moneta ferè 20. crucigeros, quivis, qui viginti annos habebat, in usus tabernaculi ac postea templi offerebat, quoties contigit populum capitatum censi.

Lev. 7. v. 16.
N. 18. v. 11.
Deut. 23.
à v. 21.

Hæc quidem erant præcepta; præter quæ Hebræi alias oblationes non parè fecerunt sponte vel etiam ex voto; quandoque res suas, non rarò etiam seipfos, uti Samson & Samuel, alique utriusque sexûs homines cultui divino vel in perpetuum vel ad tempus solum consecrârunt, seque ab aliis peculiari professione sanctimonie & Religionis separârunt. Unde & Nazaræi viri, & faminae Nazaræe vocabantur, erântque obligati ad quælibet etiam infima ministeria juxta placitum & imperium Sacerdotum vel Levitarum; & viri quidem cineres efferre, ligna convehere, fordes everrere, aquas comportare aliâque

quæ his similia præstare debebant: fœminæ verò nere, telas texere, Sacerdotales & Leviticæ vestes conficere, lavare, reparare.

Uti Hebræi ad placandum DEum Sacrificia & dona obtulerunt, ita ad eum exorandum jejunârunt, fleverunt, saccum induerunt, cinere se consperferunt, humi se prostraverunt, atque varias humiliandi corporis rationes exquisiverunt. Præter jejunium in die expiationis, quod unicum præceptum erat, alia extra ordinem jejunia toti populo, quando pietas suasit, aut necessitas tulit, publicè indixerunt, idque vel per dies septem, vel tres, vel usque ad vesperam. Privatim pro sua quisque Religione illud sibi imperavit.

Cœterum etsi DEus eruenta Sacrificia grata habuerit, magis tamen æstimavit Sacrificium Justitiæ & Laudis. Sacrificium Laudis est pietas erga DEum: Sacrificium Justitiæ est charitas erga proximum. Hinc sæpius Hebræis per Prophetas indicavit, nolle se Holocausta & Sacrificia victimarum, sed potius desiderare Sacrificium Laudis & Justitiæ. *Psal. 49.* cum negasset se Sacrificia victimarum ab homine poscere, quod bobus non egeret, demum infert: Immola DEO Sacrificium Laudis, id est, lauda & dilige DEum. Apud *S. Marcum 12.* cum Scriba dixisset, diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustibus, & Sacrificiis, JESUS videns quod sapienter respondisset, dixit illi: *non es longe à Regno DEI.*

Sed & Justitiam seu charitatem jejuniò potiore habuit, ac magis cordis quàm corporis afflictionem, quod apud *Isaiam cap. 58.* prodidit: *nunquid, ait, tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere animam suam, nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum ac cinerem sternere? nõne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasticulos deprimentes, frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum.*

Hæc de ritibus Hebræorum; quos tamen omnes nec poterant nec tenebantur observare, donec terram promissam pacificè possiderent. Hinc ab egressu ex Ægypto semel tantum Pascha celebrârunt scilicet in deserto Sinai.

Neque DEus ritus istos ac celebritates ita instituit, ut his

cum

2. Paral. 29

à v. 3.

Jerem. 36.

v. 9.

Esdrae 1. c. 5.

v. 23.

Judith. 4. 2

v. 8.

cum tempore alias addere non liceret, easque religiosè observare. Nam præter Festa Mosaica deinceps celebrarunt Festum Encaniorum, seu solennitatem anniversariam dedicationis templi, Festum Victoriæ, quam Esther adversus Aman, & Judith de Holoferne reportavit; habuerunt quoque in honore diem vigesimum quintum mensis Casleu, id est, Novembris, quo ignis coelestis, quem extinctum post Babylonicum exilium reppererunt, suscitatus est; aliæque plura Festa ejusmodi observarunt. Quod enim Moses *Deuteron. 4.* dixit: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor; accipiendum est de eo, quod repugnat iis, aut mutat ea, quæ ipse præscripsit.*

Josue, Dux.

Ab An. 2494.

Josue mittit, qui urbem Jericho explorant. *Jos. c. 2.*

Post triginta dierum luctum novus Imperator Josue duos mittit, qui transito in loco vadoso Jordane urbem Jericho terramque circumjectam explorent. Urbe dissimulanter obita proditi quidem sunt, operâ tamen Rahab meretricis servati; ista enim exploratores domo suâ mœnibus hærente receperat, ac promissâ prius ipsi ac familiæ indemnitate per funem de fenestra demiserat, ut ita post aliquot dies elusâ insequentium diligentia rursus in castra evaserint. Ab his edoctus de rerum statu Josue iter indicit. Ubi ad ripam Jordanis perventum est, omnes paratos esse jubet ad transeundum tempore atque ordine per Præcones indicto; facturum cras Dominum inter eos mirabilia.

Sicco pede Jordanem cum suis transit.

3. & 4.

Postero die Sacerdotes arcam portantes primi procedunt. Columna nubis quasi officio suo per desertum perfuncta tunc eos deseruerat. Primam aquam cum arca ingressi, veluti in mandatis habebant consistunt; cum ecce aquæ procul versus mare Galilææ intumescunt, & in montem secundum Alvei latitudinem porrectum assurgunt, reliquæ verò rapidè in mare mortuum decurrunt, donec omnino deficientes siccum transitum aliquot milliariibus latum præberent. Ergo Sacerdotes sicco in vestigio progrediuntur. In medio alvei rursus subsistunt; dum omnis populus non sine aliquo horrore festinans cum gregibus & impeoimentis oppositam ripam tenerent. Tunc & ipsi, cum in tanti prodigii monumentum positi quoque essent in medio flumi-

fluminis duodecim prægrandes lapides, ultimi è Jordane egressi sunt, & aquæ salvæ jam omnibus magno impetu affluentes alveum rursus impleverunt.

Ad tam inopinatum prodigiosumque in terras suas ingressum attoniti Chananæi nihil movere ausi sunt. Quare Josue memine resistente in loco, deinceps Galgala dicto castra fixit, ac ponè Sanctuarium alios duodecim lapides ad renovandam miraculosi transitus memoriam erexit. *6. 4. v. 20.* Erat tunc primus anni mensis; quare eos circumcidi jussit, qui per annos quadraginta nati fuerant in deserto. Deinde Pascha ritè fuit celebratum, quo etiam tempore manna, quod hucusque quotidie de Cœlo depluerat, defecit; cum jam novis terræ promissæ frugibus velcerentur.

Transactis Paschalibus feriis, Josue fortè extra castra, ubi Jericho decem ferè stadiis distans in conspectu erat, egressus vidit virum stantem contra se evaginató gladiò. Incertus, essetne Hebræus an Chananæus; eum compellat: *Noster es, an adversariorum?* at ubi advertit Angelum Domini esse, horrore perfulsus cecidit pronus in terram, ab eoque postea didicit, quâ viâ quibusque armis Jericho caperetur. Quæ cum Sacerdotibus populòque nuntiasset, summò manè, parte ad castrorum imbellisque multitudinis custodiam relicta, reliquum exercitum per urbis circuitum hoc ordine circumducit: in fronte incessit armatorum agmen: hos sequebantur Sacerdotes undecim, quorum septem continuò buccinas inflabant, quatuor arcam gestabant: post hos demum veniebat reliqua multitudo; idque factum est per sex dies quotidie semel circumeundo urbem in magno populi silentio solis Sacerdotibus tubâ clangentibus. Septimo die postquam septies pari ordine circumduxit Imperator exercitum, datò signò repente ab omnibus contentissima voce conclamatur, simulque muri funditus undique corruentes viam in urbem aperiunt. Nec mora, Israëlita certatim irrumpentes omnia cædibus implent, interfectis non tantùm armatis, qui undique ad urbem defendendam confluerant, sed & reliquis à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Sola Rahab cum cognatione sua domò, quæ pendente ex ea funiculo cocineo dignoscebatur, educta atque servata est, futura postea uxor Salmonis in Tribu Juda Principis. Exportatò deinde aurò, ar-

Sacra Veterum Temp. Histor.

L

gentò

Pascha celebrat, & Manna cessat depluere. c. 5.

Urbem Jericho capit & excindit. c. 5, à v. 13. & c. 6.

gentō, ære, ac ferrō in thesauris Domini reponendō flammæ ubique injectæ; quibus urbs tota conflavit, ac penitus excisa est.

Urbs Hai solo
æquatur.
c. 7. & 8.

Parem fortunam paulō post urbs Hai habuit. Nam etsi prima contra eam expeditio infeliciter cesserit ob Sacrilegium Achan, eō tamen morte punitō stratagemate capta est, ac interceptis omnibūs habitatoribūs in acervum lapidum redacta. Rex, qui vivus in potestatem venerat, in crucem actus.

Fœdus Deum
inter & po-
pulum reno-
vat. Jos. 8. à
v. 30.
Deut. 27. à v. 4.

Acceperat Josue in mandatis à Mose, ut in primo promissæ terræ ingressu fœdus DEum inter & populum renovaret loco & ritu præscripto. Igitur cū haud procul essent montes Hebal & Garizim erecto in priore jugo de impositis lapidibus altari id fecit, obrulitque holocausta Domino & pacificas victimas immolavit. Excitavit quoque ingentes lapides, in quibus ad perpetuam memoriā scripsit Deuteronomium legis, veluti jussus erat.

Gabaonitæ se
sponte Josue
submittunt.
c. 9. à v. 3.

Interim vicini populi si non tantis prodigiis, alieno certè duarum nobilissimarum urbium malō atque excidiō debuerant sapere, ac ad clementiam Imperatoris confugere. Verūm Domini sententia fuit, ut *indurarentur corda eorum. & pugnarent contra Israël & caderent. & non mererentur ullam clementiam, ac perirent.* Soli Gabaonitæ missis Legatis gratiam ac fœdus apud Josue implorârunt ac impetrârunt magnō suō bonō; nam simul ad veri DEI cultum transierunt, Nathinæi deinceps dicti, quia in perpetuum templi famulatum donati, in usum Domūs Domini ligna cædere aquasque comportare debebant.

Josue duran-
te prælio cur-
sum Solis &
Lunæ sinit.
c. 10.

Hanc Gabaonitarum defectionem ulturi quinque finitimi Reges conjunctis copiis Gabaonem obsederunt. At Josue fœderatis suis cum exercitu confestim auxilio adfuit, hostesque improvisō aggressus multa cæde ad urbem edita in fugam coniecit, dūmq̃ fugientibus instat, veritus, ne inclinata jam die nox suos à perse quando cædendōque hoste retraheret, clamans in Cœlum Solem ac Lunam stare jussit, *donec se plenè ulcisceretur gens de inimicis suis.* Die itaque ad duodecim adhuc horas producto hostes plagâ magnâ cæsi sunt & usque ad interneccionem penè consumpti tum gladiō Israëlitarum tum grandine magnorum lapidum de Cœlo cadentium. Quinque Reges prope urbem Maceda ex fuga se in quandam speluncam abdiderant; quos

quos Josue extractos ex obviis quinque arboribus suspendi jussit, ac deinde eam urbem occupavit occiso cum omnibus incolis Rege.

Inde cum exercitu ad alias munitas urbes transiens expugnavit urbem Lebna, Lachis, Gazer, Eglon, Hebron imposito ubique militari praesidio ac interfectis per urbes atque oppida omnibus Chanaanais, sine ætatis aut sexus discrimine.

Quibus incredibili celeritate confectis grassatus est armis usque ad Caderbarne & Gazan. Unde reflectens iter urbem Dabir cepit atque vastavit. Demum cum victore exercitu prædæque infinita reversus est ad castra & ad arcam Domini, quæ erat in Galgalis, interfectis hac unius ætatis expeditione duodecim Regibus.

Dum Josue in hybernis agit, plerique reliqui Chanaanitis Reges collatis consiliis copias innumeras contrahunt, quibus Israëlitas aut terris suis iterum ultra Jordanem ejiciant, aut certe ipsorum victoriis modum ponant; quod cum accepisset Josue, venit cum exercitu ad lacum Merom, ubi illi castra posuerant; tradiditque illos Dominus in manus Israël, qui *perculserunt eos & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam.*

Exercitu ad sua signa revocato Aforam caput belli diuturnâ obsidione fatigatam denique occupavit, cæsisque habitatoribus omnibus incendit, nemini datâ veniâ ad terrorem aliarum urbium, ut tam funestò exemplò edoctæ ultrò imperata facerent. Et quidem Aforâ expugnatâ magna deinceps inclinatio ad integram Israëlitarum victoriam facta est; tamen adhuc multo tempore pugnandum fuit contra Reges reliquos; nam *non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israël præter Gabaon*; omnes vi atque armis subjugandæ erant, quæ causa fuit, ut nonnisi intra sex annos à transitu Jordanis maximam promissæ terræ partem Josue occupaverit, occisis Regibus triginta & unò.

Porro etsi restarent adhuc occupandæ quinque Philistæorum Satrapie aliæq; versùs Aquilonem Provinciæ, Josue tamen jussu Domini post sex annorum bella ad dividendam Tribubus terram processit; quem in finem elegit montem, in quo erat urbs Silo, velut totius promissæ terræ centrum. In hunc igitur montem tribus ferè horis Jerosolymâ distantem cum omni populo è Galgalis, ubi hæctenus sex annis castra habuerat, migravit,

L 2

Varias urbes expugnat. c. 10. à v. 29.

Revertitur in castra, quæ erant in Galgalis. c. 10. à v. 38.

Cædit Chanaanos. c. 11.

Aforam & alia loca capit. c. 11. à v. 19. & c. 12.

Castra & arcam transfert in urbem Silo, & terram promissam inter Tribus dividit. c. 18. v. 1. & c. 14. & c. 19. v. 51.

gravit, ac Sanctuarium in præcipuâ ac latiore urbis Silo platea erigi jussit, trecentos & amplius annos ibi mansurum. Hanc nimirum DEus Sanctuario suo sedem elegit, quod vellet tum religiosissimum Principem tum reliquos filios Joseph ita honorare. Hunc enim montem Tribus Ephraim, ex qua erat Josue, fortitione accepit. Itaque in Silo fiebant deinceps Sacrificia; atque illuc ter in anno convenire Israëlita juxta legem debebant. Hic quoque Eleazaro Pontifice, Josue, ac Principibus familiarum præsentibus, Domino autem rem totam moderante, terra promissa ad ostium tabernaculi ita distributa est.

Sors Judæ
c. 15. à v. 1.
& c. 14. à v. 6.

Tribui Judæ obtigit magna illius pars versùs Ægyptum & Idumæam complectens centum & quinque civitates cum suis villis. Inter illas fuit Jerusalem & Hebron. Hanc cum monte pro se suscipere petiit ac obtinuit Caleb.

Sors filiorum
Joseph.
c. 16. & 17.

Filii Joseph seu tribus Ephraim & media Manassis acceperunt inter alias terras eam, quæ erat circa Sichem, c. 24. v. 32. quod etiam ossa Joseph transtulerunt; veluti moriens postulaverat. Josue, qui erat de Tribu Ephraim sibi suæq; familiæ urbem Tamnath in monte Ephraim sitam elegit. Quæsti sunt quidem Ephraimitæ oh nimias suæ Sortis in tam numerosa Tribu angustias. At Josue respondit, producerent armis terminos, quos Pherezæi adhuc occuparent.

Sors Benjamin.
c. 18. à v. 11.

Benjaminicæ Tribui Judæ contermini sortiti sunt præter alias terras & viginti sex civitates agrum Jericho feracissimum vel potius hortum ob balsamum, rosas, palmas, aliasque nobiles plantas deliciosissimum.

Sors Simeon.
c. 19.

Simeonitarum hæreditas fuit in medio possessionis filiorum Juda. Ægyptum versùs attingebant desertum Bersabee: versùs mare magnum terras & urbes Philistæorum, ab his quidem adhuc occupatas, ad Tribum Juda verò pertinentes.

Sors Zabulon.
c. 19. à v. 10.

Zabulonitarum sors à mari Galilææ per totam terræ promissæ latitudinem porrigebatur usque ad mare magnum.

Sors Isachar.
à v. 17.

Isachar Tribus habitavit media inter Tribus filiorum Joseph & Zabulon.

Sors Aser.
à v. 24.

Aseritæ post Zabulon occuparunt ultimam septentrionem versùs terræ promissæ partem, extendentes se versùs mare magnum usque ad Sidonem & Tyrum urbes extra terram promissam maritimas.

Nephtali Tribus reliquas & superiores septentrionales plagas usque ad Jordanem possidendas adivit.

Tribui Dan supra Simeonitas propè Tribum Juda sua terræ portio assignata est.

Ruben, Gad & media Tribus Manassis suas sedes trans Jordanem retinuerunt.

In hac terræ divisione filii Levi nullam habuere partem. Solùm quadraginta octo civitates ipsis assignatæ sunt, in quibus habitarent. Circum has ad mille passus concessa quoque ipsis fuere suburbana ad pecora sua alenda, ad hortos & viridaria: eæ tamen urbes non omni Jure ad Levitas quasi veros Dominos pertinebant, sed ad illos, in quorum Tribu illæ erant. Atque inter has erant sex urbes in fugitivorum auxilia separatæ. Porro filiorum Levi erant quatuor familiæ, prima Aaronica seu Sacerdotalis, cui tredecim urbes in terra Juda, Benjamin, & Simeonis habitandæ obtigerunt, Domino providente, ut jam tunc Sanctuario, postea templo ac futuræ Regiæ urbi Sacerdotes proximi essent. Altera familia Caathitarum, qui in decem aliis: tertia Gersonitarum, qui in tredecim: quarta Meraritarum, qui in duodecim urbibus habitârunt. Unde Sacerdotes & Levitæ per omnes Tribus dispersi erant, ut ita ubique præstò essent Magistri atque Doctores, à quibus populus doceretur ea, quæ ad DEI Cultum & Religionem pertinerent. Noluit autem Dominus Levitas præter domos & suburbana alias insuper habere possessiones, quòd nollet consecratos DEO & totos Legi ac Scripturæ officiiisque Sanctuarii ac Templi deditos culturâ agrorum & vinearum implicari. Interim non deerant ipsis proventus annui divites ac ampli, præsertim Sacerdotibus. Nam Levitæ accipiebant decimas ex animantibus, fructibus arborum, terræ, & vinearum ab omnibus filiis Israël, atque aded unam ex decem partibus proventuum totius terræ sanctæ, reliquis novem partibus in duodecim Tribus dispertiendis. Unde Tribus Levi recipiebat plus quàm ulla alia Tribus, licèt ipsa omnium esset minima. Sacerdotum verò redditus adhuc pinguiores erant. Hi imprimis recipiebant decimam decimarum à Levitis: deinde omnes primitias proventuum annuorum, panum etiam coctorum: cedebant ipsis omnes oblationes spontaneæ & votivæ, pecuniæ, quæ ex redemptione personarum aut rerum confere-

Sors Nephtali
à v. 32.

Sors Dan.
à v. 40.

Sors Ruben.
Gad, & Manassis.

c. 13. à v. 15.

Urbes & Bona Levitarum

N. 37. à v. 1.

Jof. c. 20. & 21.

& N. 18. à v. 8.

bantur: omnia boum, ovium, caprarum primogenita in specie danda, jumentorum ac hominum permutanda: viclimæ pro peccato: pectus & armus omnium pacificorum: holocaustorum pelles; quæ omnia ex tam numeroso populo ingentes afferebant Sacerdotibus paucis divitias.

Quæque Tribus adit possessionem suam. c. 22.

Confectò divisionis negotiò Comitia soluta sunt. Socii trans Jordanem, quorum 40. millia sub Josue militaverant hætenus, ad suos dimissi. Cæteræ Tribus suas quæque terras & Levitæ suas civitates tam ultra quàm citra Jordanem adièrunt. Imperator verò in urbe Thamnat habitavit, eamque reparavit atque munivit; cujus exemplum cæteri secuti in suis fortibus instaurârunt, quæ furore belli fuerant conquassata. Nova quoque ædificia passim extruxerunt, tam quæ communibus usibus, quàm quæ privatis deservirent. Omnes denique Israëlita terræ lacte & melle manantis dulcedine in summa ubique pace frui cœperunt.

An. 2510.
Eleazar moritur & Josue. Jos. 23. & 24.

Interea moritur Eleazar summus Pontifex, eique in officio Phinees ejus filius succedit. Josue quoque cum ultimos vitæ suæ dies advenire cerneret, convocavit populum, hortatusque est ad exactam Legis observationem, ad serviendum Domino soli; caverent non solum connubia & amicitias cum gentibus, sed eas penitus è terris suis extirparent unâ cum aris & diis suis, ne fiant denique ipsis in ruinam; ad quæ cum respondisset populus: *Serviemus Domino, quia ipse est DEUS noster*, renovavit Josue foedus inter DEum & populum eumque dimisit. *Et post hæc mortuus est Josue servus Domini centum & decem annorum*, sepultusque in monte Ephraim. Ad imitationem Mosis scriptas reliquit res gestas sub suo Principatu. Quæ verò adduntur in fine libri Josue, addita sunt vel à Samuele vel ab Esdra; sicuti Josue ea addidit, quæ in libro Deuteronomii post mortem Mosis habentur.

Orthoniel, Judex.

Ab An. 2570.
Officium Judicum apud Israelitas.
Judicum 1.

A Morte Josue illi, qui cum summa potestate deinceps in Hebræorum Republica præerant, vocantur à S. Scriptura Judices, id est vindices populi ac defensores, quorum primum officium

officium erat bella adversus populi hostes gerere; deinde præter concilium septuaginta Seniorum Rempublicam administrantium etiam populo jus dicere. Fuerunt usque ad Saul Regem Judices: Othoniel, Aod, Samgar, Barach, Gedeon, Thola, Jair, Jephthe, Abesân, Ahialon, Abdon, Samson, Heli, Samucl. Eligebantur liberè à populo nunc ex hac nunc ex illa familia ac Tribu. Non habebant potestatem bella gerendi pro arbitrio, sed prout à DEO vel à populo ad id vocabantur; quod etsi quandoque seriùs fieret, tamen antecedentes etiam anni ad tempus eorum gubernationis referebantur. Unde & tempus Præfecturæ Othonielis à morte Josue inchoatur, licet post aliquot primum annos dicatur fuisse à Domino suscitatus, ut populum liberaret à servitute Regis Mesopotamiæ.

Paulo post mortem Josue coacta sunt communi omnium Tribuum consilio apud Sanctuarium in Silo Comitia ob Chananæorum aliorumque populorum, qui hoc nomine comprehensi intra terræ promissæ limites clauderentur, reliquias. Cùmque decretum esset, singulas Tribus sigillatim hæreditatem suam à veteribus incolis perpurgare debere, dubitarum ulterius fuit, quænam Tribus reliquis exemplo præiret. Consulto per Pontificem Dominò Tribus Juda prima omnium arma capere iussa est. Itaque Judæi advocata in belli Societatem vicina Tribu Simeonis in Chananæos, Pherezæos & Jebusæos, qui hinc inde in Judæa hærebant, expeditionem suscipiunt. Ac primò acie vicerunt Regem Chananæum Adonibezec, cui postea capto manus pedesque præcidere, quòd ipso fatente constaret septuaginta olim viros Principes ab se captos pari supplicio fuisse affectos. Deinde ipsius Regiam Bezece aliæque munita loca expugnarunt. Exin ad muros Jerosolymæ cum Jebusæis, qui nuper Judæos & Benjamitas conjuratione facta ex urbe inferiore ejecerant, magna utrinque obstinatione dimicatum. Tandem capta est, & in ea flammâ ferroque sævitum; manente tamen in potestate Jebusæorum Sionis arce seu superiore Jerosolymæ civitate. Inde Caleb exercitum urbi Hebron admovit, ac Chananæos, occisis tribus fortissimis propugnatoribus ac gigantibus, ejecit, ibique reliquam vitam quietus transegit. Othoniel verò urbem Dahir cepit, earum gentium Academiam. Demum armis in Philistæos conversis tres urbes vi capiunt Gazam,

Judæi victis
Chananæorum reliquiis
sedes suas extendunt.
Judicium c. 16

zam, Aſcalonem, & Accaron; non tamen eos ita debellârunt, ut non cum tempore poſſent rurfus non ſolum caput erigere, ſed toti Iſraëli etiam graviffima bella inferre; veluti prædixerat Dominus. *N. c. 33. à v. 51.*

Cæteræ quoque Tribus terras ſuas à gentibus purgant. *Jud. 1. à v. 22. & c. 2.*

His fratrum ſucceſſibus animati cæteri in ſuis quique terris ad arma conclamant: ſed nec ipſi, licet ubique vincerent, veteres incolas cum Diis atque aris ſuis exterminârunt, contenti feciſſe veſtigales incredibili ſuo damno; nam quotidiana cum his gentibus conſuetudine cœperunt paulatim externos mores induere, connubia cum ipſis & fœdera jungere, ac demum profano ritu Idolis eorum ſacrificare. Quamdiu Joſue ac Seniores illi, qui noverant omnia opera Domini, adhuc in oculis erant, ſe ſaltem à cultu Deorum continebant, ac poſt eorum deceſſum morum diſciplinæque in ſummo otio immemores paulatim ad alia ex aliis vitia præcipites tandem in voraginem Idololatriæ, primò quidem in Tribu Dan & Nephtali, *Jud. c. 17. & 18.* deinde in aliis etiam Tribubus prolapsi ſunt. Impletumque eſt, quod Moſes moriturus populo prædixerat: *Novi, quòd poſt mortem meam iniquè ageris & declinabitis citò de via, quam præcepi vobis, & occurrent vobis mala. Deut. 31. v. 29.*

Ob Idololatriam Iſraelitarum à Rege Cuſan opprimuntur. *Jud. c. 3.*

Et ſanè occurrerunt; tanta enim impietate provocatus Dominus tradidit eos in manus Cuſan Regis Meſopotamiæ, à quo bello petiti, & in acie multos amiſerunt, & oppidatim infeſtati, aut vi, aut deditioe in poteſtatem ejus venerunt. Tributis deinde iniquioribus gravati, & alias injurias ferre ſunt coacti per totos octo annos, tam inſolita quàm acerba ipſis ſervitute, qui hæcenus nonniſi vincere atque aliis imperare conſueverant.

Ab Othoniele liberantur abjecto Idololorum cultu. *Jud. c. 3. à v. 9.*

Tot mala à DEO Patrum ſuorum, quem ipſi tam turpiter deſeruiffent, fuiſſe profecta facile intellexerunt. Quare reſpiſcentes *clamaverunt ad Dominum*, cujus veniã atque auxiliò freti, Duce Othoniele contra Cuſanum armis inſurgunt, eoque cum ſuis in pugna oppreſſo, ſeſe in priſtinam libertatem vindicant. Exterminatã deinde per Othonielem Idololatriã, Deique cultu ac pietate inſtaurata deinceps rurfus in dulci otio ac pace vixerunt.

Aod, Judex.

Non diu tenuit Israëlitarum pietas. Nam Othoniele post quadraginta ab obitu Josue annos mortuò, ad veterem impietatem relabuntur, invalescente per omnes ferè Tribus Idololatria. Ut illam Dominus castigaret, Eglonis Regis Moabitarum operá usus est. Iste latius dominandi cupiditate incensus Israëlitarum, quos jam vinci posse Rex Cusanus doecerat, fines cum hostili exercitu ingressus est. Hi exceperunt quidem eum aliquot præliis, sed omnibus victi demum jugum tributarii subierunt. Rex victor transitò Jordane, translataque Jerichuntem aulá, miseros tributis variisque oneribus per octodecim annos vexavit; neque enim citius ad pœnitentiam respexerunt.

Post quos cum demum clamassent ad Dominum, Aod alter post Othonielem Judex à DEO suscitatus de Tribu Benjamin ætate adhuc juvenis longæ servituti audaci facinore finem imposuit. Attulerat Regi nomine totius Israëlitis munera ad demerendam utique ejus gratiam. Legatione perfunctus socios, quos in comitatu habuerat, ad Jordanem præmittit, ipse verò regreditur, petitque loqui soli Regi. Proceribus egredi jussis repente sicca, quam in latere dextro sub veste latentem habebat, educit, ac manu sinistra in ventrem Regis totam defigit. Corruit exanimis Rex; Aod verò relicto in abdomine ferrò, per posticum evadens ad socios properat, sonitùque buccinæ Israëlitas convocari undique jubet, & vada Jordanis occupari; quò dum in patriam redituri Moabitæ festinant, Aod ingenti eos clade excepit, pacemque Israëliti reddidit, quæ duravit usque ad mortem Aodi, 80. scilicet annis, si hoc numero computemus eos etiam, qui à morte Othonielis ad Eglonis usque eadem intercurrerunt.

Samgar, Judex.

Sub devexam Aodi ætatem Philisthæi quidem vias latrocinis infestabant, prædæque agebant; quos tamen Samgar, quem nonnulli Aodi filium aut certè affinem fuisse credunt, robore ac viribus præstans egregiè multavit; nam, dum in semita quadam,

Sacra Veterum Temp. Histor.

M

à latron-

Ab A. 2564.
Invalescente
iterum Idololatria à Rege
Moab in servitutum rediguntur.
Jud. 3. 2v. 11.

Sed ab Aode
in libertatem restituntur.
C. 3. 2v. 15.

Samgar Philistæos egregiè multat.
C. 3. v. 31.

à latrunculis his frequentatâ locum insidiis opportunum occupat, transeuntes inopinatò invasit, & eùm alia arma ad manum non haberet, vomere sexcentos eorum contrucidavit. Hunc aliqui Judicibus annumerant, alii tantùm privatum fuisse ajunt, fortiter tamen se pro Republica gessisse deque illa benè meritum esse.

Barac, Judex,

Ab A. 1662.
Servi sunt
Regis Jabin.
Jud. 4.

Debbora &
Baracus de-
victò Sifara
libertatem
reddunt.
c. 4. à v. 3.

Vix mortuò Aodò Israëlita hinc inde ad vomitum redeunt, & pœna DEI mox iterum impios secuta est. Surrexit enim intra terræ promissæ viscera Jabin Rex Chananæorum. Hic cum Israëlitis congressus in tantam desperationem res illorum adduxit, ut incolumitatem tributariâ servitute libenter paciscerentur, quam per viginti annos ferre sunt coacti, præ nimia severitate caput non audentes attollere.

Post elapsos viginti servitutis annos clamanti in Cœlum populo suo misit bonus Dominus in salutem Debboram & Baracum, in quorum societatem venit etiam Jahel uxor cujusdam ex religiosa familia Cinæorum Jethro Sacerdotis Posterorum, qui tempore Josue ex Madianitide in terram Israël migrarunt, & per varias Tribus dispersi in desertis locis monasticam vitam agebant. Debbora erat vidua Prophetis, consulebaturque à populo, cui responsa dabat divinitus in monte Ephraim. Hæc acceptò à Domino mandatò Baracum suum, ut quidam putant, filium ad se vocavit, ei que ita locuta est: *Præcepit tibi Dominus DEUS Israël, vade & duc exercitum in montem Thabor, tollésque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtalim & Zabulon. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison Sifaram Principem exercitus Jabin, & currus ejus atque omnem multitudinem & tradam eos in manus tuas.* In eum deinde locum cum Baraco exercitus Duce profecta insignem de hostibus victoriam peperit, cæsis plerisque, reliquis in fugam coniectis. In qua Sifara cursu & calore exhaustus, & ad tabernaculum Jahelis divertens, ab hac interemptus est; nam dum hausto lacte consopitus in tabernaculo jacet, illa clavum dormientis capiti applicuit, validoque mallei ictu percussum per tempora in terram afficit, atque ita hostium eladem Ducis cæde cumulavit.

Victoriam secuta est libertas & gratiarum actio, Cantico à prophete celebrato. *Jud. c. 5.*

Gedeon, Judex.

Redierunt sensim ad pristina scelera Israëlita: & ira DEI iterum cervicibus eorum incubuit. Madianitæ cum sociis Amalecitis, Ammonitis & Moabitibus ab oriente venientes præliò victis jugum servitutis injecerunt tam durum, ut vastata quovis anno messe, abductisque gregibus atque armentis cogentur miseri in montibus antra quærere & speluncas, quò se suaque recipere, ne fame perirent. Servitutis acerbitate solitò citiùs post septem statim annos compulsi sunt ad pœnitentiam; nec Dominus auxilium distulit, sed misit mox ad Gedeonem de Tribu Manasse Angelò virum hunc fortissimum excitavit, ut liberaret Israël de manu Madian.

Gedeon ut se Ducem divinitus constitutum coram collecto triginta duorum millium exercitu comprobaret, simulque omnes in spem victoriæ erigeret, vellus in areâ expandit, quod prima nocte solùm rore maderat, totâ circum areâ siccâ: alterâ verò area maderat, vellere sicco. Cùm nihilominus multi adhuc ad ingentem hostium numerum trepidarent, monente Domino nolens circa se habere alios, quàm viros fortes, edici per castra jubet, ut quicumque vellent, ad sua redirent, redieruntque viginti duo millia. Hoc delectu necdum contentus reliquos ad aquas duxit, biberéque jussit, aliud fortitudinis experimentum capturus. Qui aquam flexo poplite biberunt, omnes dimisit; manu haustam lambentes retinuit; quorum non plures erant, quàm trecenti, centum triginta quinque millibus hostium opponendi.

Sub noctem trecentis expectare jussis solus Ipse cum famulo castra Madianitarum propiùs explorat; dùmque vigilum stationi aurem admovet, unus alteri somniâsse se narrat, panem hordeaceum sub cinere coctum devolutum in castra Madianitarum irruisse, ac tabernaculum Principis subvertisse, solòque æquasse; quod somnium mox alter pro certa Gedeonis victoria interpretatur. His auditis Gedeon non dubius, & somnium & interpretationem à DEO fuisse profectam, actis de tam fausto

M 2

omine

Ab A. 2729.
Premuntur à
Madianitis,
c. 6. à v. 1.
ad 36.

Gedeon cum
paucis in eos
mover.
c. 6. à 36. &
c. 7. à v. 1. ad
8.

Suos lagenis
& facibus ar-
mat. c. 7. à v.
8.

omine gratiis, reversus in castra manipulum tripartitò dividit, singulisque in dextram manum dat tubam, in sinistram lagenam seu hydriam fictilem, ardente intus face. His armis instructos in hostem ire jubet. Igitur mediâ nocte terni Duces cum suis quisque centuria versùs castra Madianitarum diversis viis silentiò progrediuntur. Ubi ad destinatum locum perventum est, datò à Gedeone signo simul omnes per castrorum ambitum tubis personant, lagenas inter se mutuò complodunt, ac demum horrifico fragore confringunt; productis mox facibus tota castra inimico fulgore perstringentes alternatim nunc tubis ululant, nunc junctis vociferationibus conclamant: *Gladius Domini & Gedeonis, gladius Domini & Gedeonis.*

Et hostes in-
terneccione
delet.
c. 7. à v. 22.
& c. 8.

Insolita pugnae species usque eò Madianitarum castra turbavit, ut ad primum quidem tubarum ac lagenarum clangorem ad arma cum tumultu procurrerent; at incerti, ad quam partem in tanto undique allabente strepitu se primum converterent, suos pro hostibus habentes, obvios quosque invadunt, ac Numinis impulsu mutua se caede conficiunt. Qui fugâ e castris evaserunt, cæsi sunt partim ab Ephraimitis, ac inter eos duo Principes Zeb & Oreb Madianitæ; partim ab iis, qui antea missionem acceperant, partim à Gedeone cum suis ultra Jordanem eos persequente, duobus solis Regibus Zebee & Salmana servatis atque in vincula coniectis: quos tamen postea Gedeon, fratres suos ulturus ab his crudeliter mactatos, sua manu interfecit. Acclamatum est victori communi Israël's voce: *Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian.* Reddita sic patriæ pace Gedeon deinceps habitavit in civitate sua Ephra.

Abimelech, Judex.

Ab An. 2769.

Abimelech
septuaginta
fratres suos
occidit.
c. 6.

M Oriens Gedeon reliquit septuaginta filios, quos ex pluribus uxoribus, veluti mos tunc ferebat, genuerat. Præter hos unum habuit Abimelech nomine ex concubina, seu minoris notæ uxore natum, quam amaverat, & sæpius accedere solebat in urbe Sichem. Iste post mortem Patris, stimulante ambitione, ad Judicis dignitatem per septuaginta fratrum cædem gradum facere meditabatur. Venit igitur in Sichem, & per suam Matris

Matris Cognatos egit cum primariis civibus, ut eligeretur in Principem. Impetrato horum consensu conduxit validam hominum consceleratorum manum, quorum operâ in oppido Ephra comprehendit septuaginta fratres, eosque super unum lapidem occidit, singulis capite truncatis. Hôc ad Principatum præludî usus ad suos Sichimitas rediit, à quibus etiam Princeps constitutus est juxta annosam quercum oppido vicinam, Joatham minimo Gedeonis filio, qui unus servatus fuerat, è monte Garizin eos dehortante, ac ipsis maledicente.

Israëlitæ statim à morte Gedeonis ad sacrilegos Baalis cultus relapsi erant, præsertim Sichimitæ, ac ipsi etiam Gedeonis filii à DEO fortassis tam crudeli morte puniti. Duce nunc Abimelecho majora adhuc iucrementa accepit impietas, ita ut cum Baal etiam foedus percuterent, ut esset eis in DEum. At brevi meritas dedere poenas tum Abimelech, tum Sichimitæ; ruptâ enim inter illum & hos amicitia, civitas ipsorum à tyranno capta deletaque est. Propagatio deinde per alias quoque urbes tyranni odio ipse, dum captâ civitate Thebes turri, ad quam se Principes urbis receperant, ignem subdit, saxo à foemina dejecto, percussus interiit, tribusque adeo annis impie ac crudeliter præfuit.

Israëlitæ Baal colunt, & Abimelech perit. Jud. c. 8. à v. 32. & c. 9.

Thola, Judex.

Post tyranni mortem Thola de Tribu Isachar Judex præfuit viginti tribus annis. Quid verò vel pro Republicâ vel pro Religione gesserit, nihil Scriptura habet, contenta indicasse, eum post Abimelech surrexisse, & judicasse Israëlem viginti tribus annis, & mortuum esse.

AbAn. 2772.

Thola præfuit 23. annis. c. 10. v. 1. & 2.

Hujus tempore Noëmi nobilis famina de Tribu Juda rediit in patriam. Migraverat ante annos aliquot famis tempore in Moabitidem cum viro & duobus filiis. Ibi cum hi uxores Moabitidas duxissent, non diu post mortui sunt. Orbata deinde etiam viro in Judæam reversa est, comitante ipsam altera nuru Ruth nomine, quam postea Booz uxorem duxit, factaque est Moabi is ista Progenitrix Christi Domini; natus est enim Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David.

Ruth Moabitidis Progenitrix Christi Domini. Lib. Ruth per 4. capita.

M 3

Jair,

Jair, Judex.

Ab A. 2795.

Judex eligi-
tur Jair.

c. 10. à v. 3.

Israëlita ser-
viunt Idolis
Baal & Asta-
roth.

c. 10. à v. 6.

Ab Ammoni-
tis & Philistæ-
is vastantur.

c. 10. à v. 8.

Jair Galaadites de Tribu Manasse trans Jordanem Tholæ suc-
cedit; & ipse per populi communia suffragia electus; nec enim
Thola aut Jair dicuntur à Scriptura nominatim suscitatus, ele-
ctus aut vocatus à DEO uti Othoniel, Aod, Gedeon.

Primis statim Principatus Jairi annis Israëlita gravi iterum
servitutis jugo primò ab Ammonitis, deinde etiam à Philistæis
opprimi cœperunt. Idololatria nimirum aliaque gravia scelera
post mortem Gedeonis cœpta hactenus per tot annos invaluere,
id quod Scriptura queritur dum ait: *Filii autem Israël peccatis
veteribus jungentes nova fecerunt malum in conspectu Domini,
& servièrunt Diis Baalim & Astaroth*, Diis nempe & Deabus
gentium. Colebant enim Astarten, Chamos, Moloch & Dagon.
Astarte fuit Dea Sidoniorum juxta quosdam Venus, juxta alios
Juno. Chamos erat Deus Moabitarum, scilicet Priapus, cujus
sacra tam erant impura, ut non nisi in tenebris obiri possent ut-
pote ingenuis oculis indigna. Moloch seu Saturnus fuit Deus
Ammonitarum. Erat hoc idolum æneum & concavum capite
vitulino, de cœtero formâ humanâ, regiis insignibus ac regiò
thronò confidens, brachia ac manus protendens, quibus pueros
oblato exciperet, pyrâ intus accensâ horrendum in morem
concremandos, quorum ne audiretur ululatus, Sacerdotes Idoli
tympana pulsabant tubisque clangebant. Dagon Idolum Phi-
listæorum superiore parte habebat speciem humanam, ab umbi-
lico desinebat in speciem piscis. Horum aliorumque Idolorum
cultu nefario se contaminârunt Israëlita.

Merirò creditur, & Tholam & Jairum nihil populo indul-
sisse, sed potius in ejus salutem & morum emendationem incu-
buisse. At irritò conatu, populò penè universò corruptò ac
bene monentibus obstrepente. Igitur provocatò rursus ad pu-
niendum Dominò Ammonita Galaaditas sibi vicinos primò ve-
xare cœperunt; quorum exemplò Philistæi infestârunt Ju-
dæos. Benjami as, & Ephraimitas. Galaaditis ad fatietatem ex-
haustis Ammonitæ transmissò Jordane Philistæis auxilio venien-
tes sese in terram Juda, Benjamin & Ephraim infuderunt, non
quidem

quidem ut stabilem in Israëlitate sedem figerent, sed eam vastarent, prædâque onusti in patriam redirent.

Tot malis attriti Israëlita clamârunt ubique ad Dominum, maximè in Silo, ubi Sanctuarium inter tot Israëlitarum defectio- nes tótque tyrannorum vexationes serviles inviolatum divina protegente providentia tamdiu perduravit. Respondit quidem Dominus irato similis: *Ite & invocate Deos, quos elegistis: ipsi vos liberent.* Nihilominus ubi de finibus suis alienorum Deorum Idola projecerunt, foedusque cum DEO in Silo per Amasiam Pontificem renovârunt, *doluit super miseriis eorum.* Galaaditæ autem, quos bellum acrius premebat, certi reconciliato jam Numine divinam opem sibi non defuturam, Jephthen itidem Galaaditem de Tribu Manasse virum, jam antea levioribus aliquot velitationibus contra Ammonitas clarum, Principem assentientibus deinde etiam cœteris Tribubus elegerunt.

Clamant ad Dominum & exaudiuntur. c. 10. à v. 10. & c. 11.

Jephthe, Judex.

Igitur Jephthe, *super quem factus est spiritus Domini*, coacto ex Tribu Manasse exercitu in hostem movet, quem etiam facile fuit fugavitque. Vastatis deinde viginti Ammonitarum oppidis secundo octodecim annorum successu inflatos ita compressit, ut de sua libertate retinendâ potius, quam de alienâ per vim detinendâ cogitarent.

Ab An. 2817.

Jephthe Ammonitas fugat. c. 11. à v. 29.

Fama tantæ victoriæ per omnem terram Israël vulgata incredibili omnes gaudiò affecit; Soli familiæ Jephthe ac ipsi maximè victori luctuosa fuit. Signa cum hoste collaturus voverat, se DEO, si vicisset, immolaturum, quidquid revetenti primum occurrisset. Nunc dum patriam repetenti tota civitas Maspha in occursum effunditur, domumque gratulabanda comitantur; Ecce unigenita filia Parentem exceptura domo egrediens occurrit cum tympanis & sociarum puellarum choris, Cohorruit miserandus Pater. Distulit tamen triste Sacrificium, donec filia per duos menses Virginitatem deplorasset.

Jephthe filiam suam ex voto immolat. c. 11. v. 30. & 31.

Vix benè Galaaditæ arma suspenderant, quibus toti populo libertatem pacemque pepererunt, cum ea resumere seque contra Ephraimitas defendere coguntur, qui transmissio repente Jordane terras ipsorum hostiliter invaserunt. Causam belli prætendebant,

Bellum inter Galaaditas & Ephraimitas. c. 12.

debant, quòd neglecti neque ad bellum contra Ammonitas vocati essent; reverà autem gloriæ Jephte invidabant. At commissò prælio magnà clade superbia eorum castigata est. Qui supererant, sparsim ad Jordanis vada fugientes à Galaaditis intercepti sunt: à quibus ut transitum impetrarent, Ephraimitas se esse negarunt. At facilè fuit eos dignoscere. Jussi sunt enim dicere *Schiboiech*; quod cùm non possent, sed Ephraimitarum more mitiùs eam vocem pronuntiarent, dicerentque *Siboiech*, jugulati, ac in profluentem injecti sunt. Itaque tum in prælium ad vada Jordanis ad 42. millia eorum perierunt. Porro devictis Ammonitis & seditiosis Ephraimitis severè castigatis, Philistæis autem sociorum clade deterritis ac quiescentibus Jephte deinceps populum quietè gubernavit.

Abesan, Judex.

Ab An. 2823.

Israëlita sunt
tributarii 40.
annis. c. 12.
à v. 8.

Mortuò post gestum sex annos Magistratum Jephte eligitur Abesan Bethleemita de Tribu Juda, qui Israëlì septem annis præfuit. Sexto gubernationis annò, cùm filii Israël rursus fecissent malum in conspectu Domini, tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis; quæ tamen servitus non apparet fuisse cruenta, sed solà ferè pecuniarum contributione consistens; quibus contenti Philistæi suo illos more arbitriòque vivere permittebant.

Ajalon, Judex.

Ab An. 2830.

Ajalon solvit
tributum &
pacem habet.
c. 12. v. 11.
& 12.

Ajalon de Tribu Zabulon decem annis Israëlitas judicavit, pacemque habuit pendendo Philistæis tributum, quod decessor ejus inchoaverat.

Abdon, Judex.

Ab An. 2840.

Et iste tributum
pendit.
c. 12. à v. 13.

Post Ajalonem Abdon electus est de Tribu Ephraim Pater 40. filiorum, quos ex pluribus uxoribus, sicut illa ferebant tempora, suscepit. Pacem & ipse habuit, quia tributum pependit.

Sam-

Samson, Judex.

POST Abdon Samson summum Magistratum, ac Heli summum Pontificatum adit. Ille divinitus sterili Matri promissus natúsque in salutem populi sui, ac per Nazæreorum caremonias DEO consecratus adoleverat inter mirabilia fortitudinis opera supra ætatem jam tum perpetrata; quibus Spiritus Domini, qui cœpit esse cum eo, sese manifestabat, ac majoribus ausis præludebat mirâ DEI providentiâ, volentis Philistæos populi sui oppressores affligere, ita ut vexationis invidia in totum populum non redundaret, sed solum Samsonem injuriâ privatim affici, quam ulciscendô unus ipse hostilem populum probrosis damnis afficeret.

Ab An. 2848.

Samson adolefcit ad mira fortitudinis opera. c. 13.

Adultus ergo cœpit judicare Israël vexando scilicet hostes ipsius occasione conjugii initi, atque à Philistæis violati. Cùm enim fortè in urbem Philistæorum venisset amore cujusdam puellæ, quam viderat, captus, eam à suis Parentibus petiit uxorem. Isti primò quidem renuebant, hortantes, ut potiùs de sua Tribu Dan aut saltem Hebræam uxorem duceret: demum tamen consenserunt, quòd crederent, rem hanc à Domino fieri, ac in lege dispensari in Philistinorum perniciem. Celebratis sponsalibus occasione occisi à se leonis Philistæis hospitibus ænigma proposuit promissò solventi præmio. Solutum est non quidem convivarum ingenio, sed arte sponsæ, quæ per multas lachrymas à Samsonè expositionem denique extorsit, eamque deinde civibus suis manifestavit. Hanc mulieris perfidiam licet indignissimè ferret, tamen iis, qui videbantur ænigma solvisse, in præmium dedit vestes triginta virorum, quos in urbe Ascalone ex Philistæis occiderat; rejectaque uxore ad Parentes suos in patriam recessit. Ubi autem ira deserbuit, ad uxorem rediit, utque eam demereretur, ei hæc dono tulit. Uxor parata erat reconciliari viro. At parens petitionem rejecit, causatus filiam alteri jam fuisse in uxorem datam. Ignominiâ offensus Samson *ab hoc die, inquit, non erit culpa in me contra Philistæos, faciam enim vobis mala.*

Philistæos vexare incipit. c. 14. & c. 15. a v. 1. ad 4.

Mox insolitum ultionis genus excogitavit. Captus 300. vulpibus centum quinquaginta præparavit faces, & binis quibusque

Eorum agros & vineas in-

Sacra Veterum Temp. Histor.

N

que

cendit. c. 15.
a v. 4.

que ad caudæ initium colligatis longiusculo fune ne se facile in cursu impedirent, mediam alligavit facem flammæ tenacem sicque dimisit binas & binas in agros Philistæorum, quæ dum infano cursu imminentem ignem vitare cupiunt captivæque fune liberari, & aliæ alias eminus cominusque conspiciunt, parem terrorem circumferentes calamitatem quàm latissimè spargunt, à segetibus, nam messis instabat, ad vineas, à vineis ad oliveta, donec partim incendio, quod circumferebant, periëre. partim adusto fune caudæque semi-ustulatae evasere, partim à Philistæis captæ interemptæ sunt

Aliam ipsæ
plagam in-
fert. c. 15. a
v. 16.

Philistæi ultionem spirantes injectis ignibus in domum Saceri, qui tantæ cladi causam dederat, cum filia Samsonis uxore, combusserunt. Inde Samsonem primarium calamitatis Authorem quærunt. At ipse adventantes percussit ingenti plaga, ita ut stupentes *suram femori imponerent.*

Asini maxilla
mille viros
sternit. c. 15.
a v. 8.

Quieturus erat Samson. At Philistæi cognitò, ipsum in spelunca quadam, quæ erat in terra Tribus Juda, delitescere, cum justo exercitu illuc in hostem tendunt. Judæi solliciti iis Legatos obviam mittunt, qui causam bellicæ expeditionis exquirant. Illi unum Samsonem peti respondent, eumque sibi dedì postulant. Judæis justa visa est ac necessaria hoc tempore postulatio. Mittuntur itaque tria millia virorum de Tribu Juda, qui Samsonem vinciant, & Philistæis tradant, ut sic intelligant non à Republica facta esse, quæ ille contra ipsos perpetravit. Samson propriæ virtutis conscius, & divini certus auxilii non invitatus se à Judæis vinciri passus est. Ligatus itaque duobus novis funibus traditur Philistæis. Isti lato clamore ad comprehendendum hostem suum præcurrunt; sed brevis fuit triumphus: disruptis enim vi divina vinculis liber evasit, jacentemque ibi maxilla asini veluti clavâ usus, ex Philistæis *interfecit mille viros*, tamdiu cædendo, donec viribus deficeret: timens autem, ne siti in arenamoreretur, clamavit ad Dominum & ait: *Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.* Vix autem orationem absolvit, aperto molari dente in maxilla asini egresse sunt aquæ, quibus *refocillavit spiritum, & vires recepit.*

Gazensee lu-
ipso habet

Deinceps sat longo tempore quietè judicavit populum Philistæis occasionis defectu nihil moventibus; quæ ubi primùm se

se obtulit, ultionem veterum injuriarum pararunt. Fortè Samson in Gazam, eorum urbem venit, & mulieris cujusdam domum ingressus est. Gazæi, prædam tandem in casses incidisse rati, *circumdederunt eum positis in porta civitatis custodibus, tota nocte cum silentio præstolantes, ut factò mane exeuntem occiderent.* At spe sua delusi sunt; nam Samson media nocte excitatus, deque imminente periculo divinitus edoctus surrexit; urbèque egressurus apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & ierâ, impositasque humeris suis portavit ad verticem vicini montis egregiò totius populosæ urbis ludibriò.

Sed virum fortem, ac tantis DEI donis illustrem denique vilis muliercula, nomine Dalila, genere Philistæa perdidit: hanc cum amaret, ac frequentius in valle Sorec habitantem accederet, id animadvertentes Philistæorum Principes, fæminæ singuli mille & centum argenteos promiserunt, si Samsonem deciperet, ac fortitudine sua exutum sibi in manus traderet. Infida preces, blanditias, & lacrymas diu eludentem demum importunitate vicit, ut secretum fortitudinis suæ septem crinibus suis adnatæ aperiret; quæ nunc certa de sincera confessione somnolento persuadet, *ut dormiat super genua sua, & in sinu reclinet caput.* Samson altum jam dormiente jusit moneri Philistæos, simulque tonsorem adesse, qui crines seu cincinnos cautè abscinderet: quò factò Philistæi ex insidiis irrupentes imbellem catenis vinciunt, vincto oculos eruunt, in urbem Gazam abducunt, ac carcere clausum molam asinariam versare compellunt. Famâ hujus eventus mox ubique pervulgatâ tota Philistæorum terra lætis clamoribus personuit: *Tradidit DEUS noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, & occidit plurimos.* Insuper gentis Principes, ut conjunctò studio sibi, Deoque suo gratularentur, indicto in urbem conventu magnificas immolarunt Dagoni hostias. Sacram solemnitatem excepere convivia à Principibus & populo adornata. Mensis solutis ad complendam lætitiâ publicam domum adierunt, ubi alias ludi celebrari solebant. Educitur è pistrino Samson, ac inter duas columnas positus fuit ludibrium spectantium, & abjectio plebis Philistæa.

Opere, ludo, vexatione demum fatigatus petit à famulo, qui cæci gressus regebat, reclinari tantisper ad columnas sub

ablatâ urbis
portâ. c. 16.
a v. 1. ad 4.

Proditur à
Dalila capi-
tur, excœca-
tur, ac ludi-
brio habetur.
c. 16. a v. 4.

Morions po-
pulum servi-

tute liberat.
c. 16. 27. 26.

specie quietis & respirationis captandæ, re ipsa, ut earum crassitiam, atque distantiam exploraret; quod dum facit, & à Spectatoribus errans in tenebris ridetur, consiliò interim suò, viribusque dissimulatis (nam capilli ejus jam renasci cœperant) oratione quàm maximè supplicii *Domine DEus*, inquit, *memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam DEus meus, ut ulciscar me de hostibus meis.* Facta hac oratione gemitu cordis potius, quàm vocis sonò repentè concussit fortiter columnas, ceciditque domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat circumfusa. Qui verò Spectatores in solario superioribus locis confederant ad tria ferè millia, præcipitiò contrucidati, confectique perièrant, *multoque plures interfecit moriens, quàm vivus occiderat.* Atque ita rem bene disponente divina providentia, tot tantorumque virorum eadè accisæ atque afflictæ res Philistinorum, vix post annos plurimos resuscitandæ, corruerunt; Israëlitarum verò servitus mirabili hoc casu terminata est, quâ Philistæi ipsos quadraginta annos oppresserant.

Heli, Judex.

Samuel filius
preum. I.
Reg. 1.

Samsonè occiso Heli, qui viginti annis hætenus summum Pontificatum gesserat, deinceps simul etiam Republicam judicaria potestate administravit. Hoc Pontifice, & Samsonè adhuc Judice, Elcana Ephratæus cum utraque uxore sua Phenena & Anna, ac reliqua familia pro annuo more ad sanctuarium in Silo ascenderat, obtuleratque hostias pacificas Domino, quarum pars quædam in altari juxta legem succendebatur DEO, pars Sacerdotibus cedebat: reliquum coram Domino epulabatur cum suis. Anna cœteris adhuc præsentibus sola tabernaculum repetiit, ultimùm coram Domino ploratura, sedente summo Sacerdote super sellam ante postes Templi Domini. Procidens in genua inter multas lacrymas oravit Dominum, ut daret sibi filium, promittens, se nasciturum Domino, ejusque famulatu perpetuò mancipaturam. Hic Heli putans eam esse remulentam, fortè ob ardentem faciem, capitisque ac manuum gestulationes cum indignatione, *usquequò, inquit, ebria eris? digere paulisper vinum, quò mades, & recede à conspectu Domini.*

mini. Anna contrà cum omni humanitate: *Nequaquam Domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum; vinum & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Quo audito Sacerdos Annam facta precatione dimisit, dicens: *Vade in pace, & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.*

Alterò post annò natus est Samuel; ut igitur voto se exsolveret Anna, ubi primùm ablactavit puerum, detulit in Silo, ut maneret ibi jugiter sumptibus Parentum à Sacerdotibus educandus, donec aliquid ministerii in domo Domini exhibere posset. Cùm jam multis annis *sermo Domini in Israël pretiosus* sive rarus fuisset, demum hunc puerum, ubi ad annum circiter duodecimum pervenit, elegit, per quem loqueretur, ac ipsi summo Sacerdoti futuram familiæ suæ cladem prædiceret. Contigit quadam nocte, cùm Heli jaceret in lectulo, ut Samuel, qui juxta eum intra Sanctuarii septa dormiebat, nominatim à Domino vocaretur, Angelo vocem suam ita attemperante, ut vox Pontificis videri posset: qua ille expergefactus, ratusque senem suâ operâ indigere, ocyus ad eum accurrit, dicens: *Ecce ego, quia vocasti me;* idque secundo, & tertio factum est. Demum Heli, non inscius viarum Domini, intellexit, quòd puer nondum poterat suspicari, Samuelem vocari à Domino; Itaque, *vade,* inquit, *& si deinceps vocatus fueris, dices: loquere Domine, quia audit servus tuus.* Abit puer & dormit: & ecce! quartò Dominus venit ad eum, nec vocat solùm, ut priùs, sed *stetit* apprensus ei specie quadam aspectabili, & illustri, ut in tenebris quoque cerni posset. Et Samuel memor præcepti: *Loquere Domine,* inquit, *quia audit servus tuus.* Igitur Dominus puero indicavit, quæ facturus esset Heli & Domui ejus propter iniquitatem, eò quòd sciens indignè agere filios suos, non tamen eos corripuerit: quæ omnia postero manè poscenti Heli Samuel candidè aperuit.

Porro tantorum malorum causam dedit improbitas & nequitia filiorum Heli Ophni & Phinees Sacerdotum; nam in primis non capiebant de sacrificio pacifico, quod lege præscriptum erat, sed quod fuscinulâ casu extraxerant; tempus etiam legitimum prævertebant, nempe ante oblatum Domino adipem, carnem extrahebant nondum elixam, uti tamen Lex ferebat, ut

Nascitur, & duodennis domui Heli mala denuntiat. c. 3.

Improbitas filiorum Heli. c. 2. à v. 12.

fic eam suo arbitratu assarent: & hoc non benevolè, sed per vim minasque faciebant, quæ omnia populum à sacrificando retrahabant. Deniquè mulieres, quæ religionis ergo observabant ad ostium tabernaculi, quæque quasi Moniales relicta vanitate sæculari DEO famulari cupiebant, cum magno populi scandalo polluebant; quæ cum publica essent, & crebris omnium sermonibus usurparentur, filios quidem reprehendit vir alioquin bonus, & timens DEum, mollius tamen, quàm tam gravia scelera postularent; hinc etiam non *audierunt vocem Patris sui* populùmque id ò magis semper, ac magis à se averterunt, dum interea Samuelis gloria magnis apud totum Israëlẽ incrementis augebatur.

In prælio arca capitur, seduntur duo filii, & Heli cervicem frangit. c. 4.

Philistæi à Samsonis suorùmque simul Principum interitu continerant se necessitate magis, quàm voluntate; instauratis verò paulatim apud se rebus, copias contra Israëlitas educunt ad oppidum Aphec, haud procul ab urbe Silo situm. Isti verò castra metati sunt juxta locum, qui postea dictus est *Lapis adjutorii*. Vix bene cœperat prælium, Israëlita terga verterunt, cæsæque sunt quasi quatuor eorum millia. Ubi se fugâ in castra collegerunt, infelicis pugnae à se mutuo causam sciscitantes ajunt: *Quare percussit nos Dominus?* communi deinde consilio arca foederis in castra allata est. Verùm hæc quidem erat in medio eorum; at non adfuit pugnantibus Dominus: secundò enim, tantâque clade victi sunt, ut occisis Ophni & Phinees Sacerdotibus etiam arca venerit in hostium potestatem. Necdum malorum finis. Ipse etiam Heli Pontifex, dum juxta ostium tabernaculi in Silo sedens lata victoriæ signa expectat, inexpectatò tristitiquè nuntiò percussus de sella cecidit retrorsum, fractisque cervicibus mortuus est.

Samuel, Judex.

Ab An. 2883. Samuel causam Reipublicæ suscipit. c. 7. a v. 3. Philistæi puniuntur ob

REbus ita turbatis Samuel communibus omnium suffragiis Judex electus est; qui mox magnâ in DEum fiduciâ Reipublicæ curam suscepit, & populum in spem bonam erexit.

Interea Philistæi arcam in urbem suam Azotum portantes deponunt in Templo prope Dagon Idolum suum. At ecce! cum sacrificuli postridie templum ingrediuntur, vident Dagon cor-

corruisse prostratum in terram ante arcam Domini. Mox igitur, ut DEI honori consulant, restituunt eum in locum suum. At frustra: nam die altera idem accidisse dolentes deprehendunt, sola inferiore Dagonis parte, quæ in piscem deformata erat, in loco suo remanente intactâ. Præterea Azotios DEUS percussit ignominiosâ & pudendâ plagâ intestinis per sedem defluentibus cum acri doloris morsu. Huic accessit altera plaga à muribus, qui passim è terra erumpentes non solum terræ fruges vastabant, sed prominentes quoque illas hominum partes infestis & lethiferis morsibus impetebant. Ut his malis se liberarent, consultis aliarum civitatum Sarrapis arcam per reliquas Provincias circumducendam putârunt, sperantes, fore, ut aliquo demum loco sine damno consisteret; verùm ut primùm in urbium aliquam arca pervenit, simul cives pari plagâ correpti sunt cum ingenti ubique virorum strage, à parvo usque ad majorem.

descendam
arcam. c. 5.

Post septem tandem menses, quibus detinuerant arcam, necessitate compulsi statuerunt eam dimittere: itaque consilio sacrificulorum suorum duas vaccas jugo inassuetas jungunt curcui novo, etque arcam foederis imponunt; & ut muneribus DEUM Israël sibi, Diis suis, ac terræ suæ placarent, pro numero Provinciarum Philistinorum capsula incluserunt quinque anos aureos, totidemque mures aureos, & ad latus arcæ posuerunt. Sic instructo curru vaccæ sine ductore recto itinere detulerunt arcam versus Betsames, quæ erat urbs Levitica, sequentibus usque ad terminos Israël. & rem miranribus Philistinorum Sarrapis. Ubi vaccæ agrum cujusdam Betsamitæ attigere, constiterunt propè magnum lapidem, in eo agro positum. Levitæ itaque inter circumfusos gaudentesque Betsamitas deposuerunt arcam; concisisque plaustris lignis vaccas imposuerunt, obtuleruntque holocaustum Domino. Verùm breve fuit etiam horum gaudium. Nam cum ad eam spectandam non tantùm Betsamitæ, sed vicini etiam certatim confluunt, & curiosius eam introspiciunt, profanis etiam manibus attrectant, occisis propterea à Domino septuaginta supra quinquaginta millibus, exterriti Betsamitæ cives urbis Cariathiarim ad eam ad se adducendam evocârunt conscio utique Samuele & Achitobo Pontifice.

Remittunt
arcam. c. 6.

Itaque deportata est in eam urbem, depositaque in domo Abinadab. Tabernaculum verò è Silo translatum in urbem Nobe,

Deponitur in
domo Abinadab. c. 7.

Nöbe, simulque altare holocaustorum & thymiamatis, mensa panum, candelabrum, & reliqua Sanctuarii supellex ad faciendam ibi posthac Sacrificia; quæ quidem extraordinaria saltem, offerrebantur etiam coram arca in urbe Cariathiarim. His compositis Samuel deinceps in summa pace Rempubicam administravit, ac Israël nunc in Bethel, nunc in Galgalis, nunc in Maspha, potissimum verò in Ramatha, *ubi erat domus ejus*, judicavit; ibi etiam *adificavit altare Domino*.

Samuele orante caduntur hostes.
s. 7, à v. 7.

Sed neque Samuel à Philistæis semper pacem habuit. Convocatus ab ipso in urbem Maspha populus solemniter fœdus cum Domino paciferebatur, ejurato omni profano Baalim, Astaroth, aliorumque Idolorum cultu. De quo conventu ubi nuntium accepere Philistæi, coacto exercitu magnis itineribus eò convolarunt. Trepidante ad subitum hostium adventum populo Samuel agnum lactentem obtulit in holocaustum clamavitque ad Dominum; & auditus est: Philistæis enim in Israëlitas irruentibus *intonuit Dominus fragore magno, & exterruit eos*, cumque territi fugam capefferent, ab Israelitis è Maspha effusis cæsi sunt, urbésque, quas antea coeperant, rursus ereptæ.

Saul, Rex Israël.

Israëlitz Regem sibi dari postulant.
s. R. c. 8.

AT demum senuit Samuel, filiosque suos ad Rempubicam administrandam in Coadjutores assumpserat: sed quòd horum gubernatio, præcipue ob avaritiam & munera, propter quæ pervertebant judicium, populo non probaretur, Majores natu venerunt ad Samuelem in Ramatha hæc eum oratione allocuti: *Ecco tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem, qui judicet nos, sicut & universæ habent Nationes*. Inopinata oratione perculsus Samuel ad orandum DEum confugit, qui afflictum servum suum ita est consolatus: *Audi, inquit, vocem populi in omnibus, qua loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Tentavit nihilominus Samuel populum à petitione absterre allatâ, qua Reges plerumque uterentur subditos gubernandi potestate. At frustra: erant enim non tam pertæsi avaritiæ filiorum Samuelis, quàm ambitione regalis gloriæ, & caterarum Nationum æmulatione pleni.

Ita.

Itaque habituros Regem Majoribus natu respondit: irent nung ad suos, se brevi comitia indicturum, ubi Rex, quem postularent, eligeretur.

Interea DEUS de Tribu Benjamin virum elegit Saulem nomine, ad captum illius populi externa inprimis specie commendabilem, quem, dum errantes asinas quæreret, DEO disponente, ad se venientem Samuel, ut à Domino erat monitus, unxit in Regem Israel seorsim, & sine arbitris, donec commodo tempore Comitia celebrarentur, ac ipse Rex publicè proclamaretur. Unde & Saul, dissimulatis omnibus, quæ acta erant, re-pertis asinis in patriam suam Gabaa reversus, privatam, ut antea, vitam duxit. Immutavit tamen jam tum ei DEUS cor suum: nam cum in patria in collem DEI oraturus ascenderet, insiliente in ipsum Spiritu divino cum Prophetis qui ibi habitabant, eique occurrebant, cœpit prophetare, id est, canere & laudare DEUM, quod cum reliqui mirarentur, eò quòd antea ejusmodi cantionum fuisset imperitus, proverbio datus est locus; *Num & Saul inter Prophetas?*

Saul in Regē
inungitur.
I. Reg. 9. & 10.

Paulò post indictis à Samuele Comitibus in urbem Masphat convenerunt omnes à Danusque Bersabée; agebatur enim res longè maxima, & magnis studiis expetita; ipsa quoque rei novitas, & pristina gubernationis forma commutanda magnam excitabat expectationem. Samuel habita ad præsentem oratione jubet populum omnem in Tribus suas, familiasque distribuì, locisque disjungi, ne qua confusio oriretur: conjectis in urnam tredecim Tribuum schedulis, agitatique, sortitione Tribus Benjamin educta est, quò factò reliquæ Tribus omnes cum suis familiis, domibusque spe sua exciderunt. Inde ad familias Benjamin processum est, conjectisque rursus in urnam schedulis prodiit familia Melchi, deinde domus Cis, demum ex hac persona Saulis, qui rei futuræ jam conscius pro sua modestia non aderat, sed latebat in urbe illa Masphat. Misit igitur Samuel, qui eum advocarent; cumque veniens stetisset in medio populi, apparuit staturâ tam excelsâ, ut universos toto capite superaret: unctus est igitur secundò coram toto populo in Regem, & secuta est fausta acclamatio: *vivat Rex!* fuerunt quidem non pauci ad seditionem proni, qui dicerent: *Nam salvare nos poterit iste? at Saul prudenter dissimulabat se audire.*

Rex procla-
matur.
I. Reg. c. 10.
2 v. 17.

Sacra Veterum Temp. Histor.

○

Post

Novus Rex
Amonitas
profligat.
1. Reg. c. 11.
& 12.

Post mensē à solutis comitiis exortum bellum novo Regi & gloriam, & totius populi benevolentiam conciliavit. Qui trans Jordanem ex Israëlitis erant, præsertim habitatores Jabes Galaad jamjam opprimendi erant ab Amonitis. Sed ubi accepit nuntium Saul, collecto confestim exercitū, Jordanem transivit, hostemque tripartito agmine adortus in ipsa castra irrupens in vigilia matutina, usque dum dies incaleceret, cecidit plerosque, reliquīs ita dispersis, ut *non relinquerentur in eis duo pariter*, magnā Regis novi gloriā. Qua occasione bene animati in novum Regem populi Samuel utendum ratus, ad confirmandum communi omnium suffragiō Saulis Regnum, factamque dudum ejus electionem convocavit in Galgala populum; ubi habita præclara coram Rege & populo oratione, cum abstinentiæ & integritatis suæ, atque innocentie tempore suæ administrationis testimonium petiisset, atque accepisset, actum est de constituendo Regi præsidio, placuitque tria hominum millia in prædiis esse, quæ in omnem eventum Regi semper ad manum essent, & communibus populi sumptibus sustentarentur.

Reprehenditur à Samuele
1. Reg. c. 13.

Igitur dimissa reliqua multitudine Rex sibi retinuit duo millia in Machmis & Bethel: mille autem commisit Jonathæ filio in Gabaa Benjamin, ubi stationem habebant Philistæi. Jonathas gloriæ appetens oblata occasione cum suis impetu facto eam stationem delevit. Philistæis propterea ad arma convolantibus Rex quoque Israëlitas in Galgala convocari jussit, expectaturus ibi Samuelem, veluti ab hoc jussus fuerat, ut eo præsentē Sacrificiis placaretur, & consuleretur DEUS, priusquam in hostem moveret. Confluxere magnō numero Israëlitiæ; ac cum hostilem exercitum longè majorem in conspectu haberent, & Samuel in horas expectatus non veniret, animis consternati sensim iterum dilapsi sunt, ita, ut demum soli sexcenti viri cum Rege manerent, & hi quidem nullō gladiō, nullā hastā armati. In his rerum angustiis cum septimus jam dies adesset, sub vesperam jussit Saul per Achiam Pontificem offerri pacifica, & holocaustum. Sacrificio vix benè completō adest Samuel, Regemque, quòd mandata Domini non custodisset, seque non expectasset, acriter reprehendit. Nihilominus cum Saule, ac trecentorum virorum manu in Gabaa ascendit ad conjungendas cum Israëlitis vires. Hostes verò castra habebant in edito loco inter Machmas

mas & Gabaa, unde crebris excursionibus pagos, villasque Israëlitarum infestabant.

Jonathas pugnae avidus quadam die ad Armigerum suum conversus, *non est*, inquit, *Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis: ascendamus ad castra incircumcisorum; si forte faciat Dominus pro nobis*; cumque armiger ad omnia se paratum respondisset, clam Patre per viam asperam & præruptam, ac propterea minus custoditam DEO bene propitiò in castra eludantur; ubi nil morati, vigiles invadunt, ac cadunt, tum proximos quosque semisomnes viginti viros interficiunt. Sequitur totis in castris tumultus primò, deinde prodigiosa strages; dum enim Philistæi pavore turbati Hebræos omnes adesse putant, seque suosque non discernunt, sese mutua cæde passim conficere; quod cum relatum per exploratores esset Sauli, cum suis properavit ad locum certaminis, sed & multi eorum, qui nuper difugerant, ad socios redierunt, ita, ut Saul circa se jam haberet quasi decem millia virorum: victoriã igitur utendum ratus hosti suos instare jubet, severe, & sub capitis pœna monitos, ne quis cibum sumat usque ad vesperam, plenamque victoriam, percusseruntque hostes in illa die à Machmis usque Ajalon; ubi dum suos respirare jubet, prope arcam, quæ exercitum secuta fuerat, altare erexit, rogavitque per Pontificem Dominum, an porro persequeretur Philistæos, an non? at DEUS responsum negavit, non dubiò signò offensi à quopiam Numinis. Petit ergo Saul à DEO indicium; missaque forte captus est Jonathas, qui gustaverat paululum mellis in summitate virgæ, quam intinxerat per viam in favum mellis. Et licet non audierat, cum Pater ejus adjuraret populum, tamen mori debuisset Regius filius, nisi populus uno ore conclamasset: ergone *Jonathas moriatur, qui fecit salutem hanc maximam in Israël? vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram. Quibus* vocibus Parens absterritus filium vitã donavit.

Hoc bellò confectò Saul deinceps victoricia arma convertit in alios vicinos populos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, ac quosdam Reges Syriæ; demum etiam jussus est per Samuelem veterem illam in egressu ex Ægypto Amalecitarum injuriam ulcisci, & non tantum totam exscindere gentem, sed etiam flammâ ferroque vastare omnia, ne *asino* quidem, aut ullã aliã præ-

Jonathas im-
choat pu-
gnam felici-
ter, 1. Reg. 14.

Parcit Ama-
lecitis contra
mandatum
Domini.
1. Reg. 14. à
v. 47. & c. 15.

dâretentâ. Itaque cum exercitu ducentorum & viginti millium terram Amalec ingressus præceptum Domini executus est; at non penitus implevit: nam Agag Regem captivum vivum, & meliores greges ovium, & armentorum, aliâque, *quæ pulchra erant*, servavit, & triumphans in terram Israël adduxit; quâ Saulis inobedientiâ secundò jam offensus Dominus id Samueli in Ramatha indicavit, questusque est: *pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem.* Clamavit quidem Samuel tota ea nocte ad DEum, quærebátque placare eum. Sed frustra. Itaque cum cognovisset, Saulem venisse in Galgala, ut inde rursus dimitteret populum, illuc manè perrexit, holocaustum tunc ex præda offerentem interpellans, cur contra præceptum Domini versus esset ad prædam? excusavit Saul factum, inquires, se interfectis reliquis omnibus solum Regem Agag adduxisse, populum verò *tulisse oves, & boves, ut primitias eorum immolaret Domino.* Cui Samuel: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius, ut obediatis voci Domini melior est enim obedientia, quàm victima!* hoc elocutus eidem denuntiavit: *Pro eo, quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* Quâ denuntiatione ipse, & filii ejus jus ad Regnum funditus perdidit. Deinde Samuel Agag Regem adduci jubet, ac clamantem: *siccine separat amara mors!* in frustra secari.

Samuel frustra orat pro Saule.

c. 15. v. 34. & 35.

David in Regem ungit. 1. Reg. 16.

Inde reversus in Ramatha multis lacrymis ac precibus conatus est Dominum Sauli conciliare. At DEus orantem increpans, *usquequò*, ait, *tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israël: imple cornu tuum oleo, mittam te ad Isai Bethleemitem; providi enim in filiis ejus mihi Regem.*

Igitur clam Saule profectus est in Bethleem ad Isai, virum in Tribu Juda primarium, nescius adhuc, quem Dominus ex octo ejus filiis elegisset. Brevi autem cognovit, esse natu minimum, Davidem nomine. Hunc igitur è pascuis, ubi ovium curam gerebat, evocatum in medio fratrum ejus unxit; & *directus est Spiritus Domini à die illa in David, & deinceps*, Spiritus nempe Rege, ac Principe dignus. Unctione peractâ Samuel in Ramatha, & David rediit ad pascua, ubi egregia illa fortitudinis opera perpetravit, quæ postea cum Goliatho certamen initurus coram Rege jactavit de leonibus & ursis à se interfectis, & propria manu laceratis; bonam quoque Psalmorum partem tum

tem-

temporis componens, ad citharam juvenis modulatus est.

A Saule verò interim recesserat Spiritus Domini, ipsūque ita permittente DEO *spiritus nequam invasit*; qui melancholica corporis dispositione abutens, miserum Regem ita quandoque vexabat, ut furere atque insanire videretur; nec, post medicas artes frustra adhibitas, in aula ampliùs dubitabatur, ægritudinem Regis inhabitanti, aut subinde ventitanti dæmoni adscribendam; eūque jam tum opinio illa vigeret, Carminibus vim dæmonum reprimi, cohiberi maleficia, & animi corporisque sanitatem posse reparari, ajunt Proceres ad Regem: *Fu- beat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quarent hominem scientem psallere citharâ, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & levius feras.* Annuente Rege unus de Aulicis: *Ecce, inquit, vidi filium Isai Bethleemitem, scientem psallere, & Dominus est cum eo.*

Ablegavit itaque Rex nuntios ad Isai, ac Davidem ad se mitti petiit, qui cum mira hæc DEI providentia ad aulam venisset, Saul *dilexit eum nimis*; nam, quodcumque *spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & lenius habebat*; recedebat enim ab eo *spiritus malus*. Exortò autem postea bel- lō cum Philistæis Davidem quidem dimisit; at brevi cum magna gloria ad aulam rediit.

Stabat uterque exercitus in conspectu, sola valle eos dividente. Dum autem unus alteri pugnæ initium relinquit, nonnulli abière dies. Interim venit in mentem Philistæis bellum singulari certamine definire, eoque de alterutrius populi servitute, vel dominatione pacisci, cum præsertim apud se haberent virum bellatorem, cui parem opponere Israëlitarum castra non possent. Is fuit Goliathus staturâ novem pedem, robore tanto, ut iis armis facillè pugnaret, quæ alius ferre non posset. Iste igitur in vallem progressus Hebræum aliquem ad singulare certamen provocabat. Ad quod cum nullus ex toto exercitu descendere auderet, ille ad suos reversus militari more gloriabundus jaçtabat: *Ego exprobravi agminibus Israël hodie.* Et procedebat quadragesimum jam diem manè & vesperi insultando Israëlitis. Vexilla Regia secuti fuerant tres Davidis fratres; his ipso quadragesimo die domesticum comiteum David attu-

Saul à spiritu malo invaditur.

1. Reg. c. 16.

à v. 14.

David vocatur in aulam.

1. Reg. c. 16.

à v. 19.

Adversus Goliath progreditur.

1. Reg. 17.

lerat; cùmque passim, quid in utrisque castris gereretur, audiret, vidissetque oculis suis Philistæum prodeuntem & provocantem, excandescens divini honoris zelò, *quis enim*, inquit ad circumstantes, *est hic Philistæus incircumcisus, qui exprobravit acies DEI viventis?* nihilque fratres suos moratus, atque ad Regem adductus, *ego*, inquit, *servus tuus vadam, & pugnabo adversus eum.* Obrentaque demum pugnandi copiâ accepit baculum suum, quem semper habebat in manibus suis, & *elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, & fundam manu tulit.* Sic armatus processit in vallem adversus Philistæum inspectante utroque exercitu, & rei exitum expectante.

Post aliquam procul adhuc verborum velitationem Goliath arma expedit, atque adversus hostem progreditur. Nec segnior David positum in funda lapidem ad caput circumducit, subitoque excussum in frontem accedentis tanto impetu projicit, ut osse contracto lapis fronti infixus hæreret, Gigasque in faciem cruentus corruerit, quo visò victor accurrens occisi caput proprio gladio præcidit, longaque cæsarie apprehensum inter latos exercitus clamores ad Regis pedes attulit; qui mox hosti totis castris fugienti instari iussit, victoriâque cadendò usque ad urbem Accaron complevit. Recreatus nonnulla quiete miles dum lætitiâ triumphans spoliisque dives in civitates suas revertitur, accurrit undique turba desiderio tum videndi Davidem in comitatu Regio vestimentis armisque à Jonatha donatis fulgentem, tum etiam caput Goliathi, quod famulus in conto præferabat. Mulieres quoque in obviis urbibus egredientes choròsq; ducentes victoribus occinere: *Percussit Saul mille, David decem millia.* Quò tamen quasi intercalari carmine identidem repetito, non quidem communem, tamen lætitiâ Saulis vehementer turbârunt. His enim Davidis laudibus malè saucius continere se non potuit, quin ad Proceres diceret: *Quid ei superest nisi solum Regnum?* Unde etiam *neque rectis oculis Saul aspiciebat David à die illa & deinceps.*

At ingratum Regem mox secuta est pœna; *reversus est enim spiritus DEI malus;* à quo hætenus Saul liber fuerat. Igitur & David intermissum antea ministerium repetit magno autem suo periculo; nam in psallentem quodam die Saul lanceam con-

Gigantem
æternit.
1. Reg. 17. à
v. 48. & 1.
Reg. c. 18.
à v. 1. ad 10.

Fugit ab aula.
1. Reg. c. 18.
à v. 12.

contorsit; quod cum vel odio vel furore insaniens secundo incausum tentasset, fugit denique David, nec amplius in aula comparuit.

Pridem constitutum erat Sauli Davidem à medio tollere; cumque id ipse protegente illum DEO facere nequiret, voluit eum aliena manu sub specie honoris perimere. Ergo in aulam revocat, filiam suam in uxorem promittit, constituitque Tribunal militum, quos contra Philistæos educeret, eosque crebris excursionibus vexaret; quod fecit Rex, ut fortissimum Juvenem in ea discrimina conjiceret, in quibus aliquando periret. At inter nec leves nec paucas cum hoste velitationes semper extitit victor; ob quod etiam omnis Israël & Juda diligebat David. Interea Saul promissam Davidi filiam natu majorem Merob alteri tradidit. Postulat ergo David natu minorem Michol, quam demum Rex concessit, at sub dura conditione, ut intra aliquos dies occisis centum Philistæis totidem eorum præputia afferret dotis loco. Attulit, & Michol uxorem accepit.

Saul cum Davidem neque inter medios hostes perire posse cerneret, amicos contra ipsum incitare voluit, *locutusque est ad Jonatham filium suum & ad omnes servos suos ut occiderent David.* Alias ad Jonatham solum, quem sciebat intimum Davidis amicum: *Omnibus, inquit, diebus quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu neque Regnum tuum.* At Jonathas fidem Davidi datam totò Regnò antiquiorem habuit, insidiasque eidem aperuit, dixitque: *Querit Saul Pater meus occidere te.* Animum quoque Patris lenire studuit adductis Davidis in ipsum & Republicam meritis, valuitque oratio filii, ut Saul juraret, diceretque: *Vivit Dominus, quia non occidetur.*

Sed nec DEO servavit fidem. David Philistæos rursus magna clade affecerat. At quò majora pro Saule & Republica gerebat, eò vehementius indies urebat Saulem invidia. Nam haud diu post subito hastam arripiens psallentem *confixisset in pariete*, nisi citò declinasset. Incertus quò sereciperet, fugit in domum suam, sed nec ibi tutus erat. Adsunt enim continuo satellites, qui jussu Regis omnes domus aditus obsideant, Davidem ea nocte custodiant, & manè interficiant. Evalit tamen arte Michol conjugis suæ. Ab hac enim per fenestram ad latus

Revocatur.
1 Reg. c. 18.
à v. 12.

Defenditur à
Jonathâ apud
Patrem.
c. 19.

Rursum fugit
c. 19. à v. 8.

domus minus custoditum cautè demissus, ad Samuelem in Ramatha confugit. Utque plus temporis ad elabendum haberet, Michol manè fallaciam commenta est, qua custodes ad aliquot horas detinuit. *Tulit enim statuam & posuit eam super Davidis lectum: & operuit eam vestimentis*, ut crederent Davidem ægrotum necdum surgere posse; donec demum detecta fraus patuit, constititque Davidem evasisse.

Ad Samuelem.
c. 19. à v. 18.

David, postquam Samueli narravit omnia, quæ fecerat sibi Saul, abièrunt uterque Samuel & David in Najoth locum urbi Ramatha vicinum, ubi Samuel adolescentes instituebat & in lege DEI erudiebat. Re ad Regem perlatâ, misit confestim liçtores, qui caperent David. At hi cum ad locum appropinquarent, viderentque cuneum cum Samuele laudantium DEum, divino afflati Spiritu & ipsi simul cœperunt prophetare & laudare DEum: atque hoc contigit viris, quos secundò ac tertio illuc miserat. Ergo Rex ipse se confert in Najoth, ut Davidem perderet. Verùm & ipse toto itinere, *facto super eo Spiritu*, ac deinde in Najoth tota die illa & nocte cum cœteris coram Samuele prophetavit & laudavit DEum, & nunc secundò locum dedit proverbio in Israël: *num & Saul inter Prophetas?*

Cum Jonathas consultat.
c. 20.

Interim David absente Saule fugit ad Jonathan petiitque ab amico consilium, quid in tanto vitæ suæ discrimine agendum? Jonathas pro eximio in Davidem amore suavit, ut in vicino agro juxta certum lapidem lateret, se, quò rediturus Rex in ipsum esset animò, exploraturum, ac deinde sagittæ indicio ipsi nunciaturum, aut si posset, oretenus relaturum. Aderant Calendæ, quibus Rex in speciem conciliatus Davidi sedens ad mensam, vidensque locum aliàs à Davide occupatum nunc primo ac secundo die vacuum, quæsivit, cur abesset David? respondit Jonathas, rogatum se à Davide, ut apud Regem excusaret absentiam ipsius ob solenne Sacrificium, quod tum celebraretur à paterna familia in Bethleem. Responsum cum ira excepit Rex, non dubitans, scire filium, ubi lateret David. Ait itaque: *Fam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis est.* Rogante Jonatha, *quare morietur? quid fecit?* Saul magis exardescens arripuit lanceam, filium percussurus. At Jonathas surrexit à mensa, jejunusque diem, noctemque commiseratione Davidis infomnem duxit. Summo manè cum puero rerum, quæ age-

agerentur, ignaro in agrum egressus sagittas, veluti cum Davide convenerat, jecit, itaque indicavit Davidi, completam esse Patris sui malitiam, ipsique definitam cædem. Remissò deinde in urbem puerò, Jonathas ipse ad latebras accessit, è quibus surgens David, & cadens in terram adoravit tertio filium Regis, & osculantes se *alterutrum fleverunt pariter, David autem amplius.* Post breve deinde ac plenum doloris atque amoris colloquium valedicens ei Jonathas dixit: *vade in pace;* atque in urbem reversus est.

David autem properavit in civitatem Nobe ad Achimelech summum Pontificem, tum ut ibi in Sanctuario Dominum consulere, tum ut vires cibo reficeret. Admiranti causamque adventus sollicitè roganti responderet, se hoc iter facere in negotio Regis, quod clam ac celeriter esset expediendum, daret sibi pro se ac sociis, qui se certò loco expectarent, aliquot panes, & si quem haberet, gladium; se enim suum præ festinatione domi reliquisse. Sacerdos, cum alios tum non haberet, dedit ei sacros panes propositionis, gladiumque, quo David Goliathum percussit, itaque iter vel potius fugam profecutus est. Hæc omnia arbitratus fuerat Doëg Idumæus Minister Regius, qui tum & ipse erat in tabernaculo, cumque omnia Regi retulisset, factum tam iniquò animò tulit, ut ad se citatos Pontificem & 85. Sacerdotes per Doëgum jussit trucidari, ac insuper translato prius in urbem Gabaon Sanctuariò urbem Nobe *ad usque bovem & asinum* ferrò flammæque deleri. Solus Pontificis filius Abiathar cum Ephod Pontificio crudelitatem Doëgi fugiendo prævertit.

David interea cum nusquam intra Saulis Regni fines tutus esset, confugit ad Achis Gethæum in Palæstina Regem, seque suaque ipsi militaria officia obtulit, sperans se hinc inter Philistæos ignotum latere posse. Verùm Aulici, qui sciebant Davidem à Saule toto Regno requiri, paulatim suspicari cœperunt, an non recens in aulam atque militiam Regis admissus esset is ipse; musitabantque hinc inde inter se: *Nunquid non iste est David Rex terra?* quod cum animadverteret David, stultitiam simulavit, atque ita facilè contemptus, atque à Rege dimissus fugit in speluncam Odollam intra Israëlitis fines sitam.

Venit in Nobe ad summum Pontificem. c. 21. & c. 22. v. 6.

Fugit ad Regem Achis, inde in speluncam Odollam. c. 21. v. 10.

Ad ipsum Pa-
ter Isai cum
domo suâ
alique con-
fugiunt.
c. 22.

Cognitâ hæc Davidis fortunâ fratres timuere, ne denique ira Regis se in totam domum ac familiam Isai effunderet. Quare cum certò nuntiò accepissent, fratrem latere in spelunca Odolla, cum Patre & Matre totâque familia se illuc transtulerunt. Sed & multi alii præsertim *in angustia constituti & oppressi a re alieno & amaro animò* sese Davidi adjunxerant, omnem cum eo fortunæ aleam subituri, ita ut brevi quadringentos socios numeraret. David cum cerneret, se satis validâ cinctum manu virorum fortium contra repentinos inimicorum incursum, de parentibus senio jam confectis cum alia imbelli turba in tuto collocandis consilium inistit, ut hac sollicitudine liberatus cum suis liberiùs posset hæc illac discurrere.

Clausis pa-
rentum ocu-
lis è Moabiti-
de redit in
terram Juda.
c. 22.

Itaque profectus est trans Jordanem in Masphat Moabitarum urbem, in qua patitâ Regis veniâ cum suis veluti præsidia-riis confedit, breviq; ducentis adhuc viris tum de Tribu Benjamin, tum de Juda ad ipsum confluentibus auctus est. Interim moriuntur parentes, eorumque oculos David clausit in medio fratrum suorum. Justis utriusque persolutis nomine DEI per Prophetam Gad jubetur in terram Juda redire; venitque cum fratribus ac sociis in saltum Hareth.

Urbem Cei-
lan liberat.
c. 23. & 22.
à v. 20.

Oppugnabant hoc tempore Philistæi oppidum Ceilan. Cives missis Legatis à Davide contribule auxilium petunt, quem recens in vicinum desertum cum suis venisse cognoverant. Consultus per Prophetam Gad Dominus Davidi respondet: *Vade & percuties Philistæos & Ceilam salvabis.* Illuc igitur festinavit cum suis, solutâque feliciter obsidione in urbem cum magna civium læticia ac gratulatione victor receptus est. Communem læticiam diluit proximæ tragœdiæ narratione Abiathar Sacerdos, qui hoc ipso tempore cum Ephod Pontificio ad David commune jam miserorum perfrugium sese receperat; quem ut David consolaretur: *Mane, ajebat, mecum, ne timeas. Si quis quaeserit animam meam, quæret & tuam.*

Saulem per-
sequentem
timens ab u-
no deserto
fugit in aliud
c. 23. v. 7.

Saul interea suorum, maximè Jonathæ, erga se perfidiam in Gabaa non semel perstrinxerat, quòd, ubi & quid ageret David, se celarent. Nunc vero certior factus ipsum esse in oppido Ceilan, lætus, *tradidit*, inquit, *eum DEUS in manus meas;* collectisque copiis ad opprimendum Davidem illuc properavit. David de Regis consilio à suis in aula amicis in tempore moni-

tus per novum Pontificem DEum adivit sciréque petiit, an venturus esset Saul? responditque Dominus, venturum. Deinde an cives ob metum, ne fortè & ipsi simul perirent, tradituri essent ipsum in manus Saulis? iterum respondit, tradituros. Nihil ergo cunctandum ratus, Ceilâ relictâ, cum suis sexcentis in desertum Ziph se recepit. Verùm à Ziphais, ut Regis gratiam inirent, proditus fugere inde debuit in aliud desertum Maon. Sed & hîc parùm abfuit, quin in manus Regis incideret; Saul enim fugientis restigia premens montem, in cujus altero latere David se tutum credebat, totum milite cinxit, ut vel atroci pugnâ perrumpere aut se dedere cogeretur. At Dominus periculum discussit; accepto enim nuntiô, Philistæos in Regnum sese magnô numerô infudisse, recessit. David verò periculo ereptus ascendit in loca tutissima Engaddi, prærupta nimirum & inaccessa.

At Saul etiam huc, postquam inopinatò superveniens dispersos & in prædam effusos Philistæos repressit, cum tribus millibus delectorum virorum penetravit, magno quidem suô periculo. Erat in iis locis Engaddi ingens spelunca propè viam. In hanc, cum Saul appropinquaret, sese David cum suis inspirante DEO receperat. Transeunte milite Rex ventris necessitate adactus secedit in os speluncæ. Hîc socii in tenebris Davidem certatim urgent, ne, quem Dominus in manus tradidisset, elabi sineret inimicum. At ipse cautè accedens contentus fuit oram clamydis præscindere, continuitque socios etiam, *ne consurgerent in Saul*. Rex quanto expositus fuisset periculo ignarus, cœpto itinere pergit, cumque aliquousque processisset, David speluncâ egressus *clamavit post tergum Saul: quem persequeris Rex Israël? quare audis verba hominum loquentium: David quarit malum adversum te? vide & cognosce oram clamydis tuae in manu mea*. Ad has voces Saul ad clamydem & ad clamantem respiciens cum insigni animi motu dixit: *Nunquid vox hæc tua est fili mi David? justior tu es quàm ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et nunc quia scio quòd fortissime regnaturus sis, jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me. Et juravit David Sauli* Redintegratâ hunc in modum amicitia, Saul reversus est in Gabaa domum suam. David autem & viri ejus ascenderunt in tutiora

Sauli, dum
cum in mani-
bus habet,
parcit. c. 24.

loca; toties enim gratiam Saulis tam inconstantem expertus, noluit se illi permittere.

Samuel moritur.
c. 25 v. 1.

Dum ista Saulem inter & Davidem geruntur, mortuus est Samuel, & congregatus est universus Israël, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.

David iratus Nabali ab Abigaele mitigatur.
c. 25.

David ex locis Engaddi descenderat in desertum Pharan, quâ se in terram Juda porrigit. Hic cum necessariis vitæ subsidiis careret, misit decem Juvenes ad Nabal hominem in illis partibus potentem & opulentum cum precibus, ut in suos contribules aliquâ annonâ esset liberalis, gratûsque quod alias rapto vivere assueti nihil hætenus de gregibus ipsius abstulissent, & aliquo jam tempore pastoribus ipsius pro muro fuissent contra latrocinantium Arabum excursiones. Verùm ab homine duro nonnisi contumeliosam responsonem reportârunt. Igitur David justâ irâ commotus quadringentos armatos contra Nabal & familiam ejus educit. Certam cladem Abigail uxor Nabalis antevertit, atque Davidi cum asinis munera portantibus occurrens mitissima oratione iratum non modò placavit, sed Davidem ita sibi conciliavit, ut paulò post mortuo Nabale, eam post Achinoam & Michol in tertiam conjugem acciperet.

Itivum parit Sauli se persequenti.
c. 26.

Interim Saul ad ingenium rediit, ac Davidem, secundò jam à Ziphæis proditum, ad necem rursùs quæsit in colle Hachila dicto. Hic dum Saul cum tribus suorum millibus pernoctat, David, qui superiorem collis partem occupaverat, audaci facinore, solo Abisai suo ex sorore nepote assumpto, descendit in castra, & invenit Saul *jacentem & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput ejus, Abner autem Principem & populum dormientem in circuitu.* Lætus Abisai Davidi in aurem insusurrat: *Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundò opus non erit.* At David: *vivit, inquit, Dominus, quia nisi Dominus percussisset eum, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Ut tamen Rex, quem persequeretur, rursus videret, dixit ad Abisai: *Tolle hastam, quæ est ad caput ejus & scyphum aque, & abeamus.* Cùmque transisset David ex adverso, & stetit in vertice montis de longè, & esset grande intervallum inter eos, clamavit ad populum & ad Abner Principem militia: *Vide,*

Vide, inquit, ubi sit hasta Regis, & ubi sit scyphus aqua? clamore excitatus ipse quoque Saul: *Nunquid, ait, hac vox tua fili mi David?* Et David: *Vox mea Domine mi Rex.* Exprobravit deinde Sauli, quòd ab inimicis hominibus se incitari contra fidelem servum pateretur, & Saul commotus animò, *peccavi, inquit, revertere fili mi David.*

At David neque nunc inconstantia toties experta fidentum esse ratus, statuit totò Saulis Regnò excedere, consultòque per Abiathar Domino ad Achis Regem Gethæum confugit, apud quem jam ante sexennium ementito habitu hospitaverat. Hujus bonâ veniâ cum sexcentis viris horumque familiis habitavit primò in ipsa urbe Regiâ, deinde in oppido Siceleg. Unde cum expedita suorum manu prædas deinceps egit de Amaleicis aliisque populis versùs Ægyptum habitantibus; quòd cum innotuisset Sauli, Davidem fugisse in terram Philistæorum, *non addidit ultra querere eum.*

Dimisso itaque exercitu fortissimi quique Duces ac milites ex variis Tribubus transfugerunt ad David in Siceleg. & de Tribu Benjamin quidem egregii pugnatore tendentes arcum, & utràque manu fundis saxa jacentes & dirigentes sagittas. De Tribu Gad quoque viri robustissimi & pugnatore optimi tenentes clypeum & hastam vultu quasi leones, & *veloces quasi capreae in montibus;* quos cum David animadvertunt pacificè venire, suscepit eos.

Interim Philisthæi bellum contra Israëlitas decernunt, contractisque copiis castra metantur prope montes Gelboë in Tribu Isachar sitos. Quòd Saul quoque congregavit universum Israël. David cum suis erat in castris Philistæorum à Rege Achis invitatus, quòd cum viderent reliqui Principes, dixerunt ad Achis: *quid volunt sibi Hebraei isti? revertatur vir iste.* Rex facillè intelligens Davidem ipsis esse suspectum, ait ad ipsum: Satrapis non places hortatusque est, ut cum Suis recedat. Qui Regi libenter obtemperans, & divinæ providentiæ circa se suosque gratias agens, ne in gentem suam perfidus esse cogeretur, altero die summo manè castris excessit. Saul verò è superiore loco montis Gelboë castra hostium contemplatus *timuit & expavit cor ejus nimis;* multumque super eventu belli sollicitus lapidè Dominum consuluit, at responsum non accepit. Adit igitur

Iterum fugit ad Regem Achis. c. 27.

Augetur numero virorum fortium.

1. Par. 12. & v. 1. ad 19.

Saul bello appetitur & Pytonissam consultit. 1. Reg. 28. & 29.

mutato habitu Pythoniſſam, ſeu mulierem maleficam haud procul à caſtris in oppido Endor habitantem, ut ejus operâ à defuncto Samuele diſceret, quis futurus eſſet belli exitus. Pythoniſſa per conſueta carmina dæmonem aliquem ſub ſpecie Samuelis evocare quidem conata eſt; at divîna virtute atque imperio ipſius Samuelis anima aſſumpto ex aëre corpore, atque pallio apparens: *Quare, inquit inquietâſti me ut ſuſcitarer? dabit Dominus Iſraëlte in manus Philiſtiim: cras autem tu & filii tui mecum eritis.*

Cæſo exercitu & filiis ipſe proprio gladio interit.
1. Reg. c. 31.
2. Paral. c. 10.

Trifti reſponſo penè exanimatus Saul cecidit porrectus in terram. Ubi verò poſt ad ſe rediit & cibo vires refecit, nocte cum duobus focis ſuis reſſus eſt in caſtra. Poſtero die pugnam ampliùs detrectare non potuit irruentibus undique magnâ vi hoſtibus. Cæſi ſunt igitur magnò numero Iſraëlitæ tum in loco prælii, tum in fuga, atque inter hos etiam regii filii Abinadab, Melchiſua, & Jonathas. Saul dum in fuga non uno ſagittæ vulnere ſaucius videt, actum eſſe de ſe, de filiis, de regno, in ſummam rerum omnium deſperationem adductus converſusque ad ſuum armigerum: *Evagina, inquit, gladium tuum & percutite me, ne forte veniant incircumciſi iſti & interficiant me illudentes mihi.* Quod eum ſummâ in Regiam Perſonam reverentiâ detrectaret armiger, ipſemet *arripuit gladium & irruit ſuper eum;* eoque vulnere interit.

David prædones Amalecitas cædit.
1. Reg. c. 30.

Interim Amaleciti urbem Siceleg abſente Davide non ſolum ſpoliarunt, abductis etiam Hebræorum uxoribus liberisque, ſed inſuper incendio cœdè deformârunt. Quod ubi è caſtris Philiftæorum reverſus vidit, quantâ potuit celeritate prædones ſecutus, ad torrentem Beſor pervenit. Hic relictis ad ſarcinas ducentis quadringentos magis expeditos atque alacres elegit, quibuſcum duce itineris Ægyptio prædones aſſecutus eſt ipſo tempore, quo *diſcumbabant ſuper faciem terra* ad cœnandum feſtumque diem celebrandum. Irruit igitur cum cohorte ſua, & *percuſſit eos à vespere uſque ad vespèram alterius diei. Et non evaſit ex eis quiſquam niſi quadringenti viri adoleſcentes,* qui ab ipſo cædis initio aſcenderant camelos, & fugerant. Reſectis deinde viribus, receptâque omni prædâ, liberis uxoribusque, inter quas etiam erat Achinoa & Abigail uxores Davidis, redierunt ad torrentem Beſor. Hic putabant quidam prædam dividen-

videndam solum inter eos, qui cum hoste conflixerant. At David: *Non sic facietis, inquit, fratres mei: aqua enim pars erit descendentis ad praelium & remanentis ad sarcinas.* Id quod deinceps vim legis obtinuit.

Ad oppidum Siceleg cum suis regressus tertio post die nuntium accepit de infelici Israëlitarum in monte Gelboë praelio; auditaque rerum gestarum serie *vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt & fleverunt & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul & Jonathan filium eius & super populum Domini.* David insuper ad cohonestandum Saulis & Jonathan funus lugubre illud carmen edidit: *Considera Israël: in quo dolorem suum nunc ad Saulem convertit canens: Montes Gelboë necros nec pluvia veniant super vos, quia ibi abjectus est clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Nunc ad Jonathan: *Doleo super te frater mi Jonathan decore nimis & amabilis. Sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Nunc ad omnes sæpius illud repetens: *quomodo ceciderunt fortes?* Interea à tanta clade dispersi huc illuc Israëlita præsertim ex Tribu Manassis per singulos dies turmatim veniebant fugitivi ad David, usque dum fieret grandis numerus quasi exercitus Dei. 1. Par. 12. v 14, ad 23.

Luget Saulem
& Jonathan.
2. Reg. 1.

David, Rex Juda.

Legendi officio perfunctus, jubente per Pontificem Domino, cum suis à Philistæorum terra venit in Hebron, ubi à Tribu Juda in Regem electus inungitur; cæteris undecim Tribubus, adnitente Abnere militiae Principe, Saulis superstiti filio Isboetho adhærentibus. Contra quem, ut Regnum stabiliret, milites in duodecim turmas distribuit, singulisque suos Præfectos dedit, omnibus verò Joabum suum ex sorore Nepotem militiae Principem præfecit. Idoneos quoque viros assumpsit, qui sibi à consiliis essent; inter quos Jonathan, Achitophel, Chusai, & Jojada eminebant. Non diu post bellum exarsit. Joab Judæos, Abner Israëlitas ducebat. Post acre praelium fugatus est Abner cum suis, quem dum Asaël Joabi Frater, & quartæ turmae Præfectus ferventiùs persequitur, ab illo aversâ hastâ confossus interiit, summo Joabi dolore.

Ab An. 2928.

David Rex
Juda Abnere
rem Israëlita-
rum Ducem
vincit.
2. Reg. 2.

Irrita-

Luget Abnerem à Joabo occisum.
2. Reg. 3.

Irritatis primo bello animis sæpius deinceps ventum est ad manus, stante semper penès Davidicos victoria, donec Abner defectionem ad Davidem pararet. Abusus fuerat muliere, quæ antea erat concubina Saulis. Ob id reprehensus à Rege rem tam iniquè tulit, ut totum Israël Regnum in Davidem transferre statueret. Itaque per Legatos primò cum Davide egit; deinde re cum Senioribus jam aliàs in Davidem pronis communicata, ipse sub specie Micholis, quod Rex petierat, adducenda venit in Hebron. Exceptus est cum magna benevolentia significatione, quod & dilectam sibi uxorem post tot separationis annos redderet, & undecim Tribuum pacificam subjectionem deferret. Post habita de grandi negotio exequendo consilia discessurus: *Surgam, inquit, ut congregem ad te Dominum meum Regem omnem Israël.* Rem pene confectam Joab evertit fraternæ cædis vindicandæ studio, fortassis etiam metu, ne se in ordinem redacto Abner fieret militiæ Princeps; nam cum urbe jam egressus esset Abner, misit, qui eum revocaret, fingensque se nomine Regis ipsum remotis arbitrîs alloqui velle, sub ipsa civitatis porta occidit. Rex ægerrimè quidem tulit facinus, non tamen è publica re esse putavit tunc in reum supplicio animadvertere. Cum funus efferretur, ipse *Rex David sequetur feretrum, & flevit super tumulum Abner.*

Isbosethi interfectores punit.
2. Reg. 4.

Ab hac cæde secutam totius Israël perturbationem mox alia longè major excepit. Duo regiæ cohortis Præfecti Rechab, & Baana Isbosethum in lectulo suo dormientem confoderunt, caputque truncatum in Hebron attulerunt, gratiam, ut putabant, apud Davidem inituri. At Rex sicarios statim interfici ac præcis manibus pedibusque in crucem agi jussit, Regis autem caput sepulchro Abneris condi, ut sic constaret, se nec hujus, nec illius cædis participem, neque eum esse, qui tyrannicis artibus sibi viam sterneret ad Regnum.

Fit Rex totius Israël.
2. Reg. 5.
2. Par. 11.

Sublato Abnere & Isbosetho, cum undecim Tribus jam nihil ampliùs retinerent, misis in Hebron Legatis Davidi Regnum his verbis deferunt: *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. Sed & heri & nudius tertius cum esset Saul Rex super nos, tu eras educens, & reducens Israël. Dixit quoque Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël & tu eris Dux super Israël.* Itaque

que David cum septem annis, & sex mensibus in sola Tribu Juda regnasset, deinceps totius Israël Rex fuit.

David, Rex Israël.

Jerosolymam jam antea in Regni sedem destinaverat. Verum inferior civitas habitabatur quidem à Judæis, superior verò in monte Sion cum arce munita à Jebusæis, qui inde à Josue in terram promissam ingressu nunquam ejici poterant. Nunc omnium Hebræorum Princeps ut arcem quasi jugum totius populi DEI cervicibus impostum tandem dejiceret, exercitum admovit; ac primò quidem hostes ad deditorem invitavit: deinde verò, cum æquas condiciones non tam rejicerent, quam riderent, acri ac longa oppugnatione tandem Joabò primò in muros eluctante vî cepit, omnibus, qui in arce erant, sine discrimine interfectis. Inde perpurgato ab Idolorum etiam sordibus monte locum in propriam habitationem delegit, ac in perpetuum victoriæ monumentum civitatem David appellavit, utque semper validum haberet contra hostes presidium, murum opere firmissimum per montem Sion circumduxit, arcemque amplissimam, ac in ea regium palatium excitavit.

Interim Philistæi veriti, ne stabilito Regno Davidis potentia demum opprimerentur, statim in aditu Regni bellum eidem movere decernunt. Quo audito David divino afflatus Spiritu eximium illum psalmum: *Quare fremuerunt gentes &c.* cecinit, consultòque per Pontificem Domino, audivit: *Ascende, quia tradens tradam Philistiim in manu tua.* Igitur in aciem progressus hostes in valle Raphaim profligavit, & in fugam egit, à qua eum se collegissent, ac rursus pugnam redintegrassent, alterò quoque eos præliò vicit; qua occasione tres viri fortissimi aquam ex cisterna Bethlehem, cui Rex à puero assueverat, & nunc siti æstuans ejus desiderio ardebat, per interjecta hostium castra attulerunt; quam tamen tantò virorum periculò emptam postea noluit bibere, sed *libavit eam Domino.*

Porro tres illi fortissimi erant Jesbaam, Eleasar & Semma. Et primus quidem præter alia fortitudinis exempla occidit solus trecentos; aliàs octingentos interfecit impetu uno. Eleasar cum Jerbaam fugientibus cæteris contra Philistæos defendit

Sacra Veterum Temp. Histor.

Q

agrum

AbAn. 2930.

Arcem Sion capie, & in Regni sedem deligit Jerosolymam.

2. Reg. 5. à v. 6.

1. Par. 11. à v. 4.

Philistæos geminà clade vincit. 1. Reg. 5. à v. 17. 1. Par. 11. à v. 10.

Habuit circa se viros fortes. 2. Reg. 23. & 1. Par. 6. 11.

agrum plenum hordeo, eosque prælio vicit percussisque. Semina pariter contra eosdem tutatas est solus agrum lente plenum, iisque percussis dedit Dominus salutem magnam. Post hos habebat, David triginta alios robore insignes; inter quos eminebant tres, prioribus illis tribus tamen haud pares, Abisai scilicet Banaias, & verosimiliter Joab, qui, quod primus ascendisset Jerosolymæ in murum Arcis, factus est Princeps suaque virtute evectus est. Abisai frater Joabi tunc potissimum virtutem suam ostendit, quando levavit hastam contra trecentos, quos interfecit. Banajas verò, quando duos leones Moabiticos, aliis ferociores, ac tertium in ipsa fovea tempore hyemali interfecit. Item quando Ægyptio quinque cubitos alto hastam eripuit, eumque occidit. Inter triginta reliquos fuit quoque Asaël frater Joabi ab Abnere in fuga aversa hastâ confossus, cursor velocissimus quasi unus de capreis, quæ morantur in sylvis. Inter eos fuit etiam Urias Hethæus, & Naharai armiger Joabi.

Arcam transfer-
t in mon-
tem Sion. 2.
Reg. 6.
1. Par. 13. &
15.

Devictis gemino prælio hostibus perfectisque interea in monte Sion, ac civitate David tam murorum, quam arcis ac Regiæ ædificiis ad stabiliendam populi religionem animum, aurasque convertit. Itaque arcam Domini, quæ hucusque per quadraginta novem ferè annos in colle Cariathiarim in domo Abinadab Sacerdotis servabatur, cum pompa in montem Sion translaturus cum universa multitudine illuc venit. Arcam super plastrum novum à Levitis impositam triginta millia electorum virorum præcelsere. Post hos ibat Rex. Deinde sequebatur arca duobus filiis Abinadabi eam deducentibus, Ahia boves præcedente, Oza subsequente cum multa turba reliquorum Sacerdotum & Levitarum. Demum reliquum vulgus omnis ætatis, conditionis, & sexus inter variorum canticorum & instrumentorum sonos; nam *David & omnis Israël iudebant coram Domino*. Sanctam populi lætitiâ tristis, casus interruptit. Calcitrabant per viam boves, cumque Oza nutantem ad casum arcam sustinisset, divinitus percussus ante arcam exanimis concidit; quo supplicio David ita territus est, ut nollet eam ulterius in montem Sion deferri, sed deponi juberet in suburbio Jerosolymæ in domo cujusdam Levitæ Obededon nomine. Ubi verò comperit, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus propter arcam DEI, eam post tres menses inde repetit, &

& transtulit in civitatem David, collocavitque in ampla area palatio regio vicina, ubi ei tetenderat tabernaculum simile Mo-
saico, quod adhuc erat Gabaone. Porro translata fuit cum
maxima celebritate, convocato rursus universo populo. Le-
vitæ distributi erant in septem choros, quorum tres antecede-
bant arcam, quatuor sequebantur, & variis omnes musicis in-
strumentis, vocibusque DEI Laudes concinebant. Quatuor
Sacerdotes arcam portantes post sextum quemque passum super
præparatam mensam aulæo instratam eam imponebant; unôque
bove, atque ariete immolato Sacrificium faciebant in altari,
quod hunc in usum circumferebatur. Rex ipse depositis regiis
vestibus stolâ byssinâ instar Levitæ indutus saltabat *totis viribus
ante arcam*. Qua in parato tabernaculo, seu domo Domini
deposita, obtulit David rursus holocausta, & pacifica coram
Domino; de quibus cum universæ multitudini liberale epu-
lum dedisset, populum dimisit. Ipse verò Regiam ingressus ab
uxore Michol irrisus est & petulanter increpitus. *Quam, aje-
bat, gloriosus fuit hodie Rex Israël discooperiens se ante ancillas
servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scur-
ris*. At mulieris maledicentiam, factumque egregiè repressit,
dicens: *Ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam Pa-
trem tuum, & quam omnem domum ejus*. DEUS autem adhuc
gravius propterea videtur eam castigasse; ibi enim addit Scrip-
tura: *Igitur Michol filia Saul non est natus filius usque in diem
mortis sue*.

Religiosissimo Principi haud satis erat hunc arca Domini
honorem habuisse. Secum enim reputans indignum, ut cum
ipse in domo cedrina, arca autem in domo viatoria pellibus so-
lùm tecta habitaret, consilium cepit extruendi magnificum tem-
plum, idque Prophetæ Nathan aperuit. At Dominus per hunc
Davidi renunciari iussit, negotium istud filio, qui ipsi nasciturus
esset, relinqueret, alias variis adhuc bellis multum occupandis,
Igitur saltem necessarios ad templum sumptus, atque materiam,
belli etiam tempore, deinceps præparavit, locumque, in quo ex-
citareretur, ac formam à DEO ipsi dictatam designavit. *1. Par. 28.
v. 19*. Nec diu post prædictum oraculum multis eum bellis
DEUS exercuit, ut circumpositos populos suæ ditioni subiceret,
& ex victoriarum manubiis, atque hostili præda Templi sum-
ptus paulatim præpararet.

Cogitat Tem-
plum DEO
extruere, in
quo ponere-
tur arca.
2. Reg. 7.
1. Par. 17.

Cum variis
hostibus felici-
ter pugnat.
2. Reg. 8. 1.
1. Par. 18.

Primò pugnatum est contra Philistæos, victisque annum tributum impositum. Indè transmissò Jordane in Moabitas bellum traduxit, quibus maxima parte concisis reliquos tributarios reddidit; non minore postea felicitate contra Syros rem gessit. Primùm enim Syros Sobà versus Euphratem moventes, deinde etiam Syros Damasci prioribus in auxilium venientes ingenti clade affecit, usque victoriâ totam Syriam Damasci occupavit, & posuit in ea præsidia, *factaque est Syria Davidi serviens sub tributo.* Demum confecto feliciter etiam hoc bello Jerusalem reversus est cum magna copia auri, argenti, & aris, quæ omnia in usum destinati Templi consecravit. Natum quidem postea est etiam cum Idumæis bellum; ast istud solus Abisai Joab frater confecit, occisis octodecim millibus, & militari præsidio Idumææ impositò. Cùm verò deinde illum jugi impatientes interemissent, ipse Joab cum exercitu missus Idumæos sex mensium spatio ita attrivit, ut omne masculinum deleret usque ad duodecim millia.

Rempubli-
cam ordinat.
2. Reg. 8. à
v. 15.
1. Par. 18. à v.
14.

Reddita pace Rempublicam ordinavit idoneis ad hoc ministris usus, quorum præcipui tunc erant Joab militiæ Princeps, Josaphat à commentariis, Saraias à secretis. Banaias Dux præerat duabus cohortibus, quibus regii corporis custodia commissæ erat. Filii Davidis erant aulæ Principes, inter quos Ammon Primogenitus ex Achinoa, Cheleabus ex Abigaële, Absolon ex Maaha, Adonias ex Haggith uxoribus Hebrone jam nati. Saceris præfuit apud Regem in domo Domini in Sion Summus Pontifex Abiathar. Sadoc Gabaone apud tabernaculum Mosaicum. 2. Reg. 9. Miphiboseth quoque filium Jonathæ intimi sui, dum viveret, amici superstitem in aulam vocavit, regiòque convictus, ac familiaritate honoravit. At brevi iterum ad arma coactus est.

Ignominiam
Legatis suis
illatam bello
ulciscitur.
2. Reg. 10.
1. Par. 19.

Naas Ammonitarum Rex Davidi fœdere, & amicitia hætenus conjunctus fuerat. Eo mortuo ad Filium Regni uecessorem Legatos misit, qui eum consolarentur, simulque suam ipsi quoque amicitiam offerrent. Legatio hæc gravissimo bello occasionem præbuit. Juvenis Princeps ab Aulæ Proceribus pervertus, Legatos veluti exploratores ignominiosæ pœnæ subjecit. *Tulit enim Legatos David, rasitque dimidiam partem barba eorum, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimi-*

sis eos. Quo per nuntios præmissos cognito jussit David redeuntes in Jericho subsistere, donec barba rursus cresceret. Erant enim *Viri confusi turpiter valde*. Ammonitæ cum non dubitarent Davidem injuriam ulturum, ingentes Syrorum copias auxiliares mercede conducunt. Joab itaque cum exercitu missus partem copiarum commisit Fratri suo Abisai adversus Ammonitas. Ipse verò aciem instruxit contra Syros. Et isti, & illi victi sunt, fugatique. Victores autem reversi sunt Jerosolymam in hyberna. Sequenti anno Syri agentibus Ammonitis majores adhuc copias in aciem educunt. Ergò ipse David contraxit universum quoque Israël, transmissoque Jordane movit in hostem. Post acrem pugnam Syri cum militiæ Principe cæsi sunt ingenti numero; reliqui fugerunt, nec potuerunt amplius, aut voluerunt auxilio venire Ammonitis. David verò reduxit suos domum appetente jam hyeme.

Ammonitæ licet altero prælio cum Syris victi necdum tamen satis pœnas violati juris gentium Davidi videbantur dedisse. Itaque post annum tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Joabum rursus misit cum exercitu ad obsidendam regiam Ammonitarum urbem Rabbath. David remanserat Jerosolymis magno suo malo. Quodam die post meridiem deambulans in solario, seu supra tectum domus regię, vidensque haud procullavantem se egregia specie fœminam jussit famulum perquirere, quænam illa esset. Audiens esse Betsabeam Uriæ Belliducis uxorem, per eundem cupiditate jam victus accersivit in Regiam. Reversa in suam domum Regi, se planè concepisse, clam significavit. Rex sollicitus de occultando crimine Uriam è castris advocat, ut cognita conjuge suum esse crederet, quod erat alienum. At iste nulla Regis arte adduci potuit, ut domum suam accederet, indecorum arbitratus, ut cum arca DEI, Joab, cæterisque Duces essent in castris sub papilionibus, ipse dñi sœ voluptati indulgeret. Remissus est igitur in castra, at cum litteris ad Joabum, quibus jubebatur Uriam maximis quibusque in oblivione periculis exponere. Res Davidi cessit è voto, & interfectò ab hostibus Uriam Betsabeam, jam viro solutam, uxorem duxit.

Fluxere aliquot menses, nec tamen Dominus vel offensio- nis, vel David pœnitentiæ signum ostendit, donec natus est ex adul-

Occisò Uriæ
Betsabeam
uxorem duxit.
2. Reg. 11.
1. Par. 20.

Agit pœnitentiam.
2. Reg. 12.

adulterio filius. Tunc enim missus à Domino Nathan ad Regem ingressus præmissa plena prudentiæ oratione imminentes peccati poenas, ac ipsam etiam recens nati infantis mortem ei denuntiavit, ad quæ demum ingemuit ex animo David, dixitque: *Peccavi Domino.* Mox *jejunavit jejuniis, & ingressus seorsim jacuit super terram, deprecatusque est Dominum pro parvulo.* Verùm Dominus transtulit quidem peccatum, puer tamen die septima mortuus est. Interea Joab longa jam atque acri obsidione Ammonitarum vires ita fregerat, ut urbis expugnatio certa jam ac propinqua esset. Monuit itaque, atque evocavit Regem, ut captæ regiæ urbis gloriam ipse haberet. Venit Rex, captæque urbe, ac gente Ammonitarum vario mortis genere excisa ferè omni, cum diademate Regis pretiosissimo, multaque alia præda exercitum Jerosolymam reduxit.

Domesticis
casibus affli-
gitur.
2. Reg. 13.
& 14.

Paulò post natus est Davidi ex Betsabea alius filius Salomon magno Parentis gaudio, quod revelatione divina jam antè cogovisset, hunc sibi fore Regni Successorem. Simul autem ab hoc tempore gravissimis domi casibus optimus Rex affligi cœpit. Ammon suam ex Patre quidem, Absolonis autem etiam ex Matre, sororem ita deperire cœpit, ut simulato morbo eam, dum cibum pararet, ac decumbenti afferret, oppresserit, ac deinde exosam à se ejecerit cum summa indignatione ac tristitia regiæ familiæ, præsertim Absalonis, rem tamen dissimulantis, & in occasionem vindictæ imminentis. Hæc post duos ferè annos sese obtulit. Tempore tondendarum ovium cum bona Regis venia fratres suos invitaverat in villam suam juxta oppidum Ephraim. In medio convivio càm Ammon vino jam remulentus esset, signo ab Absalone dato à famulis, ad hoc antea instructis, interficitur. Conturbatâ mensâ reliqui filii Regis trepidè conscendunt mulas suas Jerosolymam properantes. Absalon autem fugit ad Regem Gesur Syriæ; unde nonnisi post trium annorum exilium operâ Joabi reverti Jerosolymam permissus est, necdum tamen sub aspectum irati adhuc Patris venire, donec post duorum iterum annorum lapsus à Joabo plenè conciliatus etiam in gratiam recepit, *osculatusque est Rex Absalon.*

Audit, Absalonem filium

At non multò post ingratiſſimum filium ambitiosa regnandi libido ad immanius adhuc facinus concitavit deſcendi & solio

lio Patrem, ad quod exequendum usus consilio Achitophelis, quem sciebat inde à polluta adulterio Betfabea Nepte sua, aversos esse in Davidem ani mō, studuit subditorum animos à Rege alienare tanquam negotia publica negligente; sibi verò eosdem conciliare; quem in finem quotidie bene manè consurgens stabat juxta introitum portæ regis (ad quam scilicet judicia exerceri solebant) & omnem virum, qui habebat negotium, vocabat ad se, dicebatque: *Non est, qui te audiat, constitutus à Rege. Quis me constituat Judicem super terram? atque ita sollicitabat corda virorum Israël.* Quæ eò facilius ad se trahebat, quòd esset decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. Atque his artibus certus jam de populi erga se studiis adivit Regem, &: *Vadam, inquit, & reddam vota mea, qua vovi Domino in Hebron,* religionis pallio usus ad invadendam tyrannidem. Illuc igitur cum magno comitatu profectus confluentibus undique populis Rex acclamatur.

Accepto de rebellionem nuntio non dubitans David, quin Absalon mox Jerosolymam ad se opprimendum advolaret, maluit fugam eligere, quam populum, qui secum erat, imparatum armato opponere. Relictis igitur in arce sotum decem concubinis inter Stipatores, & corporis sui Custodes nudis pedibus egressus transito Torrente montem olivarum ascendit; ubi opportunè aliunde veniens scissa ob fortunam Regis veste Chulai fidus in paucis minister occurrit, cui divino prorsus consilio in mandatis dedit, ut Hebronem properaret, seque in gratiam Absalonis veluti transfuga insinuaret ad dissipanda Achitophelis consilia; id quod egregiè præstitit. David verò progressus attingit oppidum Bahurim inter gravissima convitia ac maledicta, quibus fugitivum vir quidam potens de cognatione Saulis Semei nomine invasit.

Interim Absalon cum exercitu Jerosolymam atque arcem Sion ingressus consilio Achitophelis concubinas Patris sui polluit coram universo Israël; ut sic populus sciens Patrem inexpiabili hoc scelere violatum desperata reconciliatione firmiter Absaloni adhereret. Idem deinde suavitè celeritate utendum, petitque, ut se cum duodecim millibus sine mora mitteret ad Davidem ea adhuc nocte opprimendum, dum à fuga lassus, vi-

Regem in Hebrone acclamatum.

2. Reg. 15.

Fugit Jerosolymam.

2. Reg. 15. 1
à v. 13. &

2. Reg. 16.

Absalon Jerosolymam intrat. David trans Jordannem fugit.

2. Reg. 16.

à v. 15. &

2. Reg. 17.

ribus

ribusque destitutus est; prudenti utique atque ad perdendum Regem aptissimo consilio, quod tamen DEUS operâ Chusai disturbavit. Iste enim sententiam rogatus non probavit consilium Achitophelis, fortiores cum Davide esse viros, quam qui à paucitate duodecim millium opprimantur, putavitque Jerosolymis expectandum, donec auctus pluribus copiis Absalon Davidem multitudine obrueret, & majori gloria, & certâ victorâ; atque hoc consilium prævaluit. Latus Chusai rem Abiathari & Sadoco, qui erant Jerosolymis, mox indicat. Atque hi quisque suum filium occultè ad Davidem mittunt, hortantes, quæ posset celeritate Jordanem transiret, seque resque suas in tuto collocaret. Igitur ea adhuc nocte Rex transmissis flumine ex altera parte castra posuit. Achitophel verò (cujus consilium aliàs, quod dabat in diebus illis, erat quasi si quis consuleret Deum, & cum esset cum David, & cum esset cum Absalom) rejectum se nunc esse vehementer dolens, certusque superiorem fore Davidem, libique eo rerum potente miserè pereundum, Jerosolyma excessit, domique suæ laqueo sibi vitam eripuit.

David vincit
Absalonem,
huncque Joab
occidit.
2. Reg. 17.
à v. 24. &
2. Reg. 18.

Absalon auditò Davidem esse trans Jordanem, constituto priùs militiae Principe Amasa transivit & ipse, David educere exercitum ipse volebat, at non est permissus à populo. Mansit igitur in urbe Manahim, stansque juxta portam, per quam adversus hostem egrediebatur exercitus, animavit ad fortiter dimidicandum militem, iteratò præcipuis Ducibus Joab, Abisai, & Ethai audiente omni populo præcipiens: *Servate mihi puerum Absalon.* Inito in salcu Ephraim prælio casus est populus Israël ab exercitu David, factaque est in die illa plaga magna viginti millium, quæ in acie ceciderunt, multaque adhuc millia in fuga per saltum consumpta sunt. In quo dum ipse etiam Absalon mulo insidens concitus fertur, subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspensio inter cælum & terram, mulus, cui infederat, pertransivit, cumque nemo alius ei manus inferre auderet, ipse Joab advolans neglecto Regis imperio tribus lanceis pendentem confodit. Dato deinde receptui signò milites de quercu sublato projecerunt in foveam grandem, & comportarunt super eum acervum lapidum magnum nimis.

Nuntios de victoria latus Rex accepit sedens inter duas portas urbis Manahim. At intellecta mox etiam cade filii tanta tristitia Patrem obruit, ut inter fletus ejulatusque canaculum portæ ascendens hominum conspectum fugeret, multisque adventans cum exercitu Joab gravibusque verbis opus habuit, ut dissimulata tantisper filii morte populo de victoria exultanti se spectandum daret. Rursus itaque descendit ad portam, Legatosque Tribuum veniam petentes, seque Regi de novo submittentem admisit recepto quoque in gratiam Amasa, qui apud Absalonem Princeps militiæ fuerat.

Luget filium.
2. Reg. 18.
à v. 21. &
2. Reg. 19.

Sic conjuncti a morte Absalonis omnium Tribuum inter se, & cum Rege animi brevi iterum divisi sunt seditionis hominis perditici vocibus. Cùm Rex Jerosolymam reverturus Jordannem transiret, populus de Tribu Juda undique affluens solus Regem cum suis traduxerat. Ubi appulsum est in Galgala, ad sunt decem reliquæ Tribus, atque expostulant cum Tribu Juda, quòd ad hunc deducendi Regis honorem vocati non essent; cùmque Judæi illis durius respondissent, Princeps de Tribu Benjamin Seba nomine buccinâ cecinit, exclamavitque: *Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai. Ad quas voces rursus separatus est omnis Israël à David, ac soli viri Juda adhaerunt Regi suo à Jordane usque Hierosolymam.* Ubi Jerosolymam ventum est, mox David mittit Amasam ad militem intra tres dies undique cogendum, atque contra Sebam rebellem duendum, ut priusquam vires hostium crescerent, bellum finiretur. Abisai autem statim jussit persequi Sebam cum prætorianis cohortibus, aliisque, quæ secum erant Hierosolymæ, sperans, brevi fore, ut se illi Amasa cum summo imperio conjungeret. Joab videns se neglectum profectus est nihilominus cum fratre Abisai. Intra paucos dies ad lapidem grandem, qui est in Gabaon, convenerunt copiæ. Amasa nihil mali suspicatus utrumque fratrem prior accedit; quem autem Joab inter hæc verba, *salve mi Frater*, pugione confossum in terram dejecit, ac rursus militiæ Princeps Sebam persequi perrexit, Davide hanc quamdam quasi tyrannidem Joabi ferre coacto, præsertim postquam hos motus brevi composuit; nam Seba defectionis auctore intra muros urbis Abela mulieris cujusdam operâ occiso intestinis bellis impositus est finis.

Intestinis
bellis finem
imponit.
1. Reg. 19.
à v. 40. &
2. Reg. 20.

Sacra Veterum Temp. Histor.

R

At

Philistæos
quatuor præ-
liis vincit.
2. Reg. 21.

At post paucos annos ad nova bella vel potius quatuor prælia à Philistæis revocatus est, quæ omnia Davidi feliciter quidem cesserunt: in primo tamen ipse perisset, nisi accurrens Abitai ei fuisset præsidio, qui gigantem Jeshibenob Regi ferrò imminentem interfecit. Unde non passi sunt Regem amplius ad tria reliqua prælia descendere, ne, ut aiebant, *extingueret Lucernam Israël*. Animos suscitarent Philistæis Gigantes, qui tunc erant, antiquo illi Goliatho suppres. Qui autem à fortibus Davidis, & inter hos etiam Goliathi frater singulari certamine victi, atque è medio sublati sunt.

Jubet censeri
populum & à
Deo castiga-
tur.
2. Reg. 23. &
24.
1. Par. 21.
& 1. Par. 22.
à v. 1. ad 6.

Cùm deinde altissima pace frueretur David, omne tempus in gratiarum actione, divinisque laudibus in Templi apparatu, in institutione Salomonis, quem in Regni hæredem informabat, magna cum animi voluptate transegit. Accidit fortè ut cùm post tot gesta feliciter bella apud se recoleret facta suorum virorum fortium, subiret eius animum cogitatio universum bellatorum numerum in falsos suos redigendi. Quare Joabo, alisque Principibus Viris in mandatis dedit, ut populum bello idoneum censerent; quòd licèt Joab dissuaderet, veritus, ne DEUS eo facto offenderetur, perstitit tamen Rex in sententia. Itaque profectus est Joab cum Principibus militum à facie Regis, ut numeraret populum à Dan usque Bersabée. Post novem menses ac viginti dies Jerosolymam reversus retulit Regi esse de Israël octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium, de Juda quingenta millia Pugnatorum. Displicuit Domino vanitas ista. Mox enim adfuit Gad Propheta, optionemque Davidi obtulit subeundæ pœnæ, aut triennalem famem, aut trimestre bellum, vel trium dierum pestem. Anxius Rex elegit denique gladium Domini seu pestem, quia melius esse putabat incidere in manus Domini, eò quòd multæ mirationes ejus quam in manus hominum. Igitur tridui spatio septuaginta millia virorum in Israël peste absumpta sunt, quæ ubi cessavit, monente Gad Propheta, ascendit David in montem vicinum Moria; in quo cùm à viro Jebusæo emissit aream, dedissetque siclos auri justissimi ponderis sexcentos, extracto altari obtulit holocausta & pacifica Domino, simulque populo denunciavit, hunc ipsum locum à DEO electum, in quo domus DEI ædificaretur. 2. Par. 3. v. 1. Pro qua quidem jam à longo tempore præparare

rare cœpit materiam, quæ temporis longinquitate nihil vitii caperet, ut aurum, argentum, æs, ferrum &c. nunc autem paravit etiam ligna, currus, variâsque machinas, quibus columnæ, lapides, grandiaque onera adveherentur, & in altum montem attollerentur.

Sub hoc quoque tempus David convenire iussit omnes Sacerdotes & Levitas, ut cùm deinceps haud amplius in tabernaculo portatili, sed in templo stabili essent ministraturi, novum inter eos ordinem ac officia institueret. Erant tunc viginti quatuor familiae, sedecim ab Eleazaro, octo ab Ithamaro Aaronis filiis profectæ. Igitur David omnes Sacerdotes, quorum aliquot millia erant, ductis fortibus in viginti quatuor classes distribuit, ac singulis classibus suas vices assignavit, quibus in Templo per annum ministrarent, factumque est, ut bis quotannis recurrerent singularum classium vices, quibus à Sabbato ad Sabbatum integrâ scilicet hebdomada deservirent in domo Domini; ac isti quidem ex eadem classe incensum, isti panes propositionis ponerent, illi sacrificarent, alii a i'o munere fungerentur. Singulis classibus Sacerdotes veluti capita præerant, qui & Principes Sacerdotum vocabantur. Supra omnes autem erat Summus Sacerdos sive Pontifex, dictus quandoque etiam Princeps Sacerdotum, scilicet omnium. Porro familiarum Principes viginti quatuor tunc erant Joarib, Jediae cœterisque *1. Paral. 24.* descripti. Inter quos octavus erat Abia, de quâ vice fuit postea Zacharias *Luc. 1. v. 5.*

Pari modo Levitæ, quorum tunc à viginti annis & supra numerabantur triginta octo millia, distributi sunt; & Sacerdotum quidem ac Templi Ministri, qui propriè Levitæ vocabantur, in viginti quatuor classes, quarum quævis mille Levitas, & ex his unum reliquorum Principem habebat. Classium & Principum nomina referuntur *1. Paral. 24.* Horum quoque officium fuit bis in anno à Sabbato ad Sabbatum mutatis vicibus Sacerdotibus in Ministerio assistere in vestibulis, in exedris, in loco purificationis, in Sanctuario & in universis operibus domus Domini.

Cantores, quorum fuere quatuor millia, in totidem classes divisi per dictas vices debebant canere in organis Domino, in tubis nempe, cymbalis, psalteriis seu lyris, & cytharis, voce au-

Ordinat Sacerdotum in futuro Templo Ministeria.

1. Par. 24.

Uti & Levitarum.

1. Par. 23.

Et Cantorum

1. Par. 25.

rem hymnos & carmina, quæ David Rex fecerat, Asaph verò, Idithun & Heman in Musicam redegerant, horum trium filii viginti quatuor nominati sunt Cantorum Principes *1. Par. 25.*

Item Janitorum.

1. Par. 26.

Janitorum erant pariter quatuor millia, & viginti quatuor classes. Officium erat per vices ad januas Templi excubare, thesauros Domus Domini custodire, per gyrum Templi morari in custodiis suis, ut, cum tempus fuisset, ipsi manè aperirent fores. Nomina viginti Principum habet *1. Par. 26.* Istorum porro Levitarum non fuit vile Ministerium, quòd instar Prætorianorum militum seu potiùs Aulicorum excubarent in Palatio Regis Regum & Domini dominantium.

Demum Scribarum & Judicum.

1. Par. 23. v. 4.

Demum ex reliquis Levitis sexies mille Scribas ac Judices fecit, qui, ut putat *Sigonius lib. 5. de Republica Hebraorum cap. 10.* tum verba Legis legerent, tum, si opus esset, exponerent ac interpretarentur tanquam Legis periti & Doctores; atque adeò constituti sunt ad opera forinsecus super Israël ad docendum & judicandum, uti habetur *1. Par. 26. v. 29.*

Ordinat rem militarem.

1. Par. 27.

Rem militarem jam antea quidem ordinaverat David, & milites in duodecim turmas distribuerat, quibus præessent duodecim Principes ex omnibus tribubus selecti; nunc autem stabilit etiam numerum cuiusvis turmæ, voluitque ut una esset viginti quatuor millium bellatorum. Ejusmodi turmæ Princeps, Tribuni, Centuriones & Præfecti debebant cum suo milite uno toto mense apud Regem esse in armis ad quemcunque casum parati; reliquis verò undecim mensibus, quibus alia & alia turma succederet, poterant domestica aut alia negotia curare. Quà certè ratione nec gravis cuiquam nec sumptuosa erat militia, cum facile posset quis uno solùm mense domo abesse, & sub signis proprio ære degere. Simul autem Rex habebat recentem & tamen veteranum militem viginti quatuor millium virorum, & si res posceret, longè plurium. Principes, qui præerant his turmis mensuris, nominatim recensentur *1. Par. 27.* Porro totius militiæ Princeps erat Joab.

Item rem Oeconomicam.

1. Par. 27.

v. 25.

Eodem capite referuntur tum Principes Tribuum, tum præcipui Regis Ministri, Jonathan scilicet vir prudens & literatus David Consiliarius: Jahiel, qui erat cum filiis Regis: Chusai amicus Regis, & post Achitophel Jojada Consiliarius Regis. Referuntur quoque Principes substantiæ Regis David, qui erant

Præpositi super thesauros: super agricolas & opus rusticum: super vinearum cultores: super cellas vinarias: super oliveta & ficeta: super apothecas olei: super armenta: super boves: super camelos: super asinos: super oves.

Interim Salomon conscio sine dubio Patre uxorem duxit Naaman patria Amonitem eâ utique lege, ut ad veri DEI fidem cultumque traduceretur; ex quâ deinde suscepit filium Roboam Regni successorem. David verò præter alias senectutis infirmitates paulatim insolitum frigus sentire cœpit adeò, ut Medici puellam Abisag nomine venire curarent, quæ senem foveret, etque ministraret; & acquievit quidem David fervorum suorum voluntati, ita tamen ut peccandi periculum evitaret. Unde eam in omnem eventum uxorem duxit

Hac Parentis ægritudine vicinâque morte excitatus Adonias fecit sibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum; nec verò deerat ambitioni fundamentum; fratribus enim prioribus defunctis Regnum ipsi jure Primogenituræ deberi videbatur, eadêmque Joab, Abiathari, aliisque viris primariis causâ fuerit, cur partes Adoniæ sequerentur. At is, in cujus manu sunt omnia jura regnorum, Salomonem elegerat in Regem, priusquam genitus esset; quod non diffitebatur Adonias, cum diceret: *Translatum est regnum & factum est fratris mei; à Domino enim constitutum est ei.* 3. Reg. 2. v. 15. Ingravescente Davidis infirmitate foras erupit ambitio, sequæ Adonias juxta fontem Ragel ab Abiathare Regem inungi fecit inter faustas acclamantium voces tum in ipsa auguratione, tum in convivio mox secuto. Hac re audita Nathan protinus Bethsabeam accessit, consiliûmque dedit, illico Regem adiret, diceretque: *Nonne tu Domine mi Rex jurâsti mihi ancilla tua dicens: Salomon filius tuus regnabit post me; cur ergo nunc regnat Adonias?* quod cum illa faceret superveniens ex condicito Nathan verba Bethsabeæ confirmat, planè ita esse, Adoniam quasi disturbato de folio Davide in mediis epulis Regem à seditiosis, & violatæ Majestatis reis proclamari. Miratus audaciâ David Banaia Legionibus Pheroti, & Coelethi sive prætorianis cohortibus Præposito mandat convocari statim robur exercitus, & imponi Salomonem super mulam regiam, deductumque ad fontem Gihon inungi à Sadoco, Nathane illi assistente, & sono buccinæ

Senescens
Abisag uxorem ducit.
3. Reg. 1.

Salomonem
Regem proclamari jubet
3. Reg. 1. a v.
5.

acclamari Regem; quæ uti fuerant imperata, ita ordine perfecta sunt omnia, priusquam id Adonias resciret, qui cum suis adhuc convivabatur in hortis regiis. Unctum oleo rursus in urbem reducunt lætis vocibus: *Vivat Rex Salomon*, atque in paterno solio collocant, uti jusserat David. Qui cum filium abdicato jam Regno è lectulo suo videret, ait: *Benedictus Dominus DEUS Israël, qui dedit hodie sedentem in solio meo videntibus oculis meis.* Quæ cum convivis nuntiarentur, territi sunt omnes, & abiērunt unusquisque in viam suam; Adonias videns se desertum ab omnibus fugit in Gabaon ad tabernaculum, tenuitque cornu altaris, donec ei Salomon securitatem polliceretur.

Jubet convocari regni comitia.

3. Reg. 2.
1. Par. 28.
& 29.

David, ut regnum Salomoni stabiliret, indixit totius regni comitia. In his habita ad optimates oratione exposuit, se jam pridem statuisse Divinæ Majestati magnificum Templum ædificare; at responsum accepisse à Domino: Salomon filius tuus ædificabit domum meam; conversus deinde ad Filium publicè hortatus est ad negotium istud quamprimum inchoandum, addita monitione, ne ad fabricam Templi quidquam adderet, demeret, aut mutaret, quàm ab ipso architecto DEO esset præscriptum. Demum aperuit, quæ ipse ad hanc fabricam jam collegisset: *Ecce inquebat, ego in paupertate mea præparavi expensas Domus DEI auri talenta centum millia, & argenti millia talentorum.* Finita oratione Sadoc loco exauctorati Abiatharis in Pontificem à Propheta Nathan consecratus est; qui deinde Salomonem quanta maxima fieri potuit, solennitate atque apparatu universis comitiis spectantibus unxit in Regem, ut sic secundò omnium ordinum votis consecratus communitè ab omnibus admitteretur in Principem. Denique post Sacrificia & convivia publica solutis comitiis populus se recepit in domum suam.

Post data filio varia salutis monita moritur.

3. Reg. 2.
1. Par. 28.
& 29.

David verò plenus dierum se præparavit ad mortem, edito primùm Psalmo septuagesimo primo, quo spiritum judicii atque justitiæ filio suo precatur, ut sanctè obeat officium suum. Deinde dedit Salomoni varia salutis monita, hortatusque est, ut DEO serviat corde perfecto. Demum jussit de quibusdam noxiis pœnas sumere, maximè de Joabo ob eandem Abneris & Amasæ, quæ crimina ipse hæctenus commodè punire non poterat.

Brevi

Brevi post dormivit David cum Patribus suis, & sepultus est in civitate David, arce nempe Jerosolymitana. Reliquit posteritati Psalmos, quos composuit, centum & quinquaginta. Res verò ejus gestas ab loco, ubi desit Samuel, Gad & Nathan Prophetæ, in Libro primo, & secundo Regum, & initio tertii, profecuti sunt.

Salomon, Rex Israël.

Defuncto Davide Adonias rursus ad Regnum aspiravit; quem in finem per Betſabeam consilii nesciam à Salomone petiit in uxorem Abisag Sunamitiden. At Rex facillè advertens, quorum hæc nova Adoniæ, & conjuratorum consilia sectarent, amicè cum Matre exposulavit: *Quare postulas, inquit Abisag Sunamitidem Adonia? postula ei & Regnum.* Jusſitque sine alia forma judicii Adoniam à Banaia interfici. Mox etiam Joabum, qui ad tabernaculum Domini fugerat apud ipsum altare, cum inde nollet recedere, trucidari. Erat quidem & Abiathar reus mortis: at Rex noluit eum interficere, quòd portasset arcam Domini. Ejecit eum tamen ex urbe regia; & in pagum quemdam veluti in exilium amandavit.

Sublatis inimicis cum filia Pharaonis Regis Ægypti nuptias celebravit, ut Regnum tanta quoque affinitate confirmaret. Deinde profectus est in excelsum Gaban ad tabernaculum Domini, ubi mille hostiis DEO sacrificatis, petiit à Domino sapientiam tum ad rectè gubernandum populum, tum ad dignum ipsius majestate templum construendum. Placuit DEO petitio, miltisòque per noctem Angelo DEI Sapientiam representante abundè unà cum divitiis, & gloria eam concessit; ejusque non diu post præclarum specimen dedit, quando contentionem duarum muliercularum mirabili judicio diremit. Domum reversus etiam in arce coram arca fœderis obtulit holocausta, & fecit pacificas victimas, & grande convivium universis famulis suis. *3. Reg. 4. à v. 1.* Inter quos præcipui erant Josaphat Regi à commentariis, Banaias Princeps militiæ, Abisar Præpositus domus, Adonira super tributa. Constituit quoque 12. Præfectos, qui præberent annonam Regi, & domui ejus singulis mensibus.

Ab An. 2968.

Salomon
Adoniam &
Joabum occi-
cidi jubet.
3. Reg. 2.
2 v. 13.

Petit à Deo
sapientiam
& impetrat
unà cum glo-
ria & divitiis.
3. Reg. 3.
2 Par. 1.

Parat neces-
saria ad con-
structionem
Templi.
3. Reg. 4.
2. Par. 2.

Interim dum Rex aulam ordinat, templi materies recens parata undique advehitur summo sanè labore, quo tam vastæ moles columnarum ænearum, maris ænei, æneorum boum, altaris, laterum, aliorumque id genus valorum Jordanem, trans quem in argillosa terra fusa fuerant, debebant trahi, deinde Jerosolymam deferri, ac in montem Moria elevari. Sed tanta fuit industria sapientissimi Regis, & peritissimorum artificum, tanta multitudo operariorum, & machinarum copia, quibus in maximis trabibus, & ingentibus saxis, & columnis transferendis, dum David adhuc viveret, usi fuerunt, ut omnia ad præstitutum tempus parata essent, & magnæ illæ moles æneæ, ac lapideæ suis locis maturè collocatæ. Hoc quoque tempore vicini Reges Legatos honoris, & amicitiaæ causâ mittebant, ad quos ipse vicissim scripsit, ut auxilia tam operariorum, quàm materia in templi ædificium ab ipsis acciperet.

Surgunt
Templi fun-
damenta,
porticus &
atria gentiū.
3. Reg. 6. 7.
2. Par. 3. 4.
Vilalpandus
in octo ul-
tima capita
Ezechielis.

Igitur jacta sunt fundamenta Templi, cùmque in monte latitudo verticis minor reperiretur, quàm ut destinatam Templi amplitudinem caperet, ad laxandam aream Rex substructiones maximas undique excitavit, quæ à radicibus ad verticem exurgentes circumjectâ deinde terrâ nativo solo verticis æquabantur; quo simul tempore etiam classem instruere cepit in sinu Arabico, quæ cum Tyriis navigaret in Ophir ad advehendum aurum. Perfectis substructionibus in ipso Templo strenuè deinceps est laboratum, quod intra paucos annos stetit architecturâ, splendore, & magnificentia admirabile, ac ipsò DEO Architecto dignum. *Ezech. c. 40. à v. 5.* Et primò quidem substructionibus circum circa impositus est, veluti corona peribolus non sine multo artificio, atque ornatu sex altus, tribus millibus centum & viginti quinque cubitis per circuitum longus. Ad hunc ex urbe complurium scalarum gradibus ascendebatur, ex regia verò Salomonis domo, & arce Sionis gemino ponte Templum adibatur. Singulis viis magnifica in peribolo porta respondebat. Inde post vacuum circumquaque triginta, & aliquot cubitorum spatium extracta erat per totum ambitum porticus cum atrio gentium, sic dicta, quod is locus incircumcisus etiam, ac gentilibus pateret. Porticus in latitudine habebat ubique per circuitum quinquaginta cubitos. Quà peribolum respiciebat, muro semicolumnis quadratis, & fenestris æquali ubique distan-
tia

ria distincto, & viginti quinque cubitis alto claudebatur. Portæ portis periboli respondebant. Versus Templum sexcentis sexaginta universim columnis pulchro ordine innitebatur. Columnæ cujusvis diameter erat duorum, ambitus sex, altitudo viginti omnino cubitorum, & muri, & portarum, & porticus, & columnarum multiplex, & mirus ubique erat ornatus, uti & ipsius etiam pavimenti, quod pretioso variorum colorum marmore per porticum & atrium stratum erat. In hoc loco sæpe Christus ad populum verba faciebat. Ibi Ethnici Philippum adierunt, ut ejus operâ Christum viderent. Ibi Eunchus Regina Candacis adoravit. Inde Christus Dominus negotiatores eiecit, loco quidem profano, ad Templum tamen Domini pertinente. Ejus pars orientalis dicta fuit porticus Salomonis adhuc Christi tempore, quòd cum Chaldæi cæteras diruerent, ea cladem effugisset, atque ita nomen retinisset primi authoris. Tabulatum hujus porticus ab inferiori parte laquearibus ornabatur; à superiori æneis laminis constrata erat, cochleisque è quatuor angulis ad eam contignationem ascendebatur; imposita enim erat huic tabulato alia adhuc porticus alta octodecim cubitos, nullo pariete interjecto nudis columnis innixa, ut sic prospectus in atrium Israëlitarum à longè pateret. Tectum ornabatur variis vasis elegantis formæ, & pretiosæ materiæ cum floribus acuminatis ad arcendas, ut ait Josephus, aviculas. Non quidem licebat gentilibus ultra ad porticum Israëlitarum penetrare, per apertas tamen portas videre poterant Templum, altaria, mare, luteræ mensas, candelabra, sacrificia, & omnia, quæ in atrio circa Templum fiebant. Nam illud etiam inter cætera in maximo hoc Templi edificio erat admirabile, ut portæ portis, solida solidis, quadratis quadrata, rotundis rotunda ad unguem ubique incredibili proportione dimensa responderent.

Ex atrio gentium ascendebatur ad porticus, & atria sancta, ac longè nobilissima Israëlitarum à Davide jam diu ante in Psalmis celebrata. Forma fuit quadrata; in quovis latere cubitos quingentos habebat, in toto ambitu cubitorum duo milia. Murus, qui quadriporticum cingebat, extrinsecus non admodum dissimilis erat muro atrii gentium: uterque enim sex cubitos crassus erat; par fenestrarum, & columnarum ordo, nisi quòd murus atrii gentium foris habuerit quadratas, iste rotundas

Porticus &
atria Israëlitarum. Ezech.
c. 40. v. 19.

Sacra Veterum Temp. Histor.

S

das

das semicolumnas. In hoc atrium tres grandes portæ ducebant, una ab oriente, altera à meridie, tertia à septentrione, ad quas per septem gradus ascensus erat. Juxta eas janitores in exubiis stabant ad immundos Israëlitas, omnesque gentiles arcendos. Hæc porticus tota contexebatur arcuum pilis, nisi quod in medio columnæ tabulatum sustentarent; supra quod surgebat secundus ordo columnarum, atque arcuum, ac demum tertius usque ad sexagesimum cubitum altitudinis: ima porticus destinata erat ambulationi. Secunda & tertia Gazophylaciis, & cubiculis, ad quæ per cochleas in angulis ascendebatur. Super portas atque angulos erectus erat quartus ordo prominens à tertio tabulato duodecim cubitis, ut quasi totidem castella efficeret miro totius fabricæ ornamento; ipsum verò pavementum erat, tam in atrio, quam porticu ex pretiosissimo varii coloris lapide. Demum erant varia Gazophylacia in cryproporticibus pro culinis, horreis, cæterisque apothecis aptata.

Porticus &
atria Levitarum.
Ezech. c. 40.
à v. 35.
3. Reg. 6. v. 36

In medio magni hujus atrii situm erat atrium Levitarum & Sacerdotum cum porticu habente tria latera, orientale, meridionale, & septentrionale, uti & tres portas portis atrii Israëlitarum respondentes. Ab occidente autem erat ipsum Templum, quod eodem Levitarum atrio continebatur. Hæ porticus variis Levitarum & Sacerdotum usibus erant destinata, ibique diu noctuque per vices commorabantur tum ad cantandum, tum ad custodiam Templi, tum ad ignem in altari perpetuo fovendum. Erant præterea ibi sancta refectoria, in quibus sanctificatis cibis vesci permittebatur; erat locus pro consilio Seniorum; demum etiam quædam cubicula sanctarum Virginum; constat enim jam olim mulieres ad ostium tabernaculi excubasse, de quarum speculis fecit Moses labrum æneum cum basi sua; quæ consuetudo perseveravit temporibus Heli, immo & Christi Domini; quando de ipsius sanctissima Matre gravium Scriptorum testimonio constat, ipsam triennio præsentatam ibi usque ad desponsationem cum beato Josepho mansisse.

In atrio Levitarum ponuntur altare, mare &c.

In hujus atrii medio erectum erat altare holocaustorum basi impositum, quadratum, ex quo per quatuor angulos quatuor cornua egrediebantur, decem cubitis altum, duodecim unquam cubitorum. In ejus ima crepidine erat fossa, in quam Sa-

Sacerdotes sanguinem victimarum fundebant per cuniculos subterraneos derivandam in torrentem Cedron. In eodem atrio positum fuit mare æneum rotundum, in diametro decem cubitorum, duodecim boum æneorum dorsis impositum, per quorum pedes aqua defluebat, qua Sacerdotes & victimæ lavarentur. Aderant & decem luteræ, seu grandes conchæ æneæ, in quibus victimæ lavabantur basibus impositæ cum rotis æneis axe æneo junctis ad machinam, cum opus foret, circumferendam. Stabant quoque quaternæ mensæ pacificorum, ac totidem holocaustorum, in quibus hostiæ immolabantur, carnes dividebantur, & quæ DEO, Sacerdoti, & offerenti obveniebant, secernebantur. Accedebant harum mensarum, sicut & altaris, & maris, & luterum innumerabilia vasa & instrumenta.

neum, luteræ, alia vasa sacra.
3. Reg. 7.
à v. 23.
2. Par. 4. à v. 14.

Denique venit ad ipsum Templum, cujus erant tres partes, vestibulum, Sancta, & Sancta Sanctorum, quæ omnia Templi, domus DEI, & Sanctuarii nomine passim comprehenduntur. Itaque Templum per octo gradus ascendenti à primaria, & maxima porta orientali occurrit vestibulum longum viginti, latum duodecim cubitis. A septentrione ad meridiem pervius erat transitus per portas orientali minores. Altera Templi pars aula quædam fuit media inter vestibulum, & oraculum, longa quadraginta cubitis, lata viginti, alta triginta. Fuit hæc Templi pars magnificentissima ab omnibus spectabilis. Tertia pars Sancta Sanctorum fuit locus quadratus, longus, latus viginti cubitis, quot parietes quoque alti erant, super quos erecta fuit fornix cedrina decem cubitis alta. Separabatur à Sancto muro solido, in cujus medio porta fuit sex cubitorum latitudinis, altitudinis duodecim, prætexta velò pretiosissimo ac splendidissimo. Per hanc à Sancto ingressus patebat in oraculum, sic dictum, quòd ibi DEUS ex aræ propitiatorio fundebat oracula.

Vestibulum, Sanctum, Sancta Sanctorum.
3. Reg. 6.
à v. 15.
2. Par. 3. à v. 8.

Quod ad materiæ pretium, & formæ dignitatem pertinet, totum Templum fuit ex marmore pretiosissimo jam ante in lapidicinis quadrato, dolato, & ad mensuram debitam comparato, ita ut deinde in structura Templi opus non esset malleorum, securium, ferrarum, aut aliorum instrumentorum strepitu, qui tam lapides in interiore parte Templi omnes convecti erant

Interior ornatu Templi
2. Reg. 6.
à v. 15.
2. Par. 3. à v. 5.

tabulis ligneis cedrinis in fornice, parietibus, ac laquearibus, in pavimento abiignis. Atque hæ tabulæ in pavimento quidem erant planæ, in fornice autem, & lateribus figuris Cherubinarum, palmarum, florum & fructuum cælatæ; uti tamen nihil de lapide, ita nihil de ligno usquam apparebat; nam & pavementum, & parietes, & fornix, & Cherubini, & palmæ &c. aureis laminis pro subjecta forma inductis, atque inflexis tegebatur. Et ne quid toto Templo non aureum appareret, laminæ aureis etiam clavibus tabulis erant affixæ, gemmis, & lapillis in medio auro præsertim fornicis resurgentibus, ita ut cœli faciem serena nocte stellis innumeris intermicantem repræsentarent. Mensa quoque, cui arca, & Cherubini in oraculo insistebant, simili modo vestita erat, primùm tabulis cedrinis, deinde laminis aureis. Itaque in sola domo interiori seu Sancto Sanctorum in laminas aureas sexcenta auri talenta impensa sunt. Unde conicere liceat auri copiam, qua ad Sanctum seu domum anteriorem ornandam opus fuit, utpote duplo altero majorem; nam Salomon domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavibus aureis, nihilque erat in Templo, quod non auro tegeretur. Itaque & janua, quæ è vestibulo in aulam ducebat, fuit laminis aureis obducta non minùs ac ostia interioris domus Domini.

Ornatus exterior.
3. Reg. 6. à v. 4.
& 3. Reg. 7.
à v. 15.
2. Par. 3. à v. 4.

Externa sacræ domus ornamenta erant portæ, fenestræ cancellis aureis munitæ, columnæ, earumque bases, capitella, epystilia, coronides, trabeationes, zophori itaque insculpta hominis, aquilæ, leonis, & vituli capita, pluresque aliæ adhuc partes ex pretiosissimo lapide, marmore pario, & porphyretico summa arte, atque elegantia elaboratæ. Præcipuè celebrantur duæ columnæ ante vestibulum positæ cum suis capitellis & basibus triginta gradus altæ, cujusque ambitus sex cubitorum; æneæ non quidem solidæ, quatuor tamen digitis crassæ, & auro pro unius digiti crassitudine contextæ. Porro toti huic tripartitæ domui magnificentissima fabrica nonaginta cubitis alta superstructa erat, cum turri quadrilatera, quæ à vestibuli porta orientali surgebat ad 120. cubitos. Totius fabricæ columnarum, ac fenestrarum, aliarumque partium tum inter se, tum cum interiori Templo erat proportio ac dispositio tam mirabilis, ut si jam nullum haberetur Scripturæ testimonium, facile architectum

Etum proderet ipsum DEum. Circa latera hujus fabricæ erat triplex ordo exedarum, Gazophylaciorum, & cubiculorum ad usum tum Sacerdorum, tum rerum sacrarum; ibi enim reponerentur thesauri, vasa, sacra supellex, sacræ vestes, quas ibi Sacerdotes induebant, & exuebant. Inter sacram suppellectilem erant etiam Mosis & Davidis tabernacula, quæ asservabantur non quidem tenfa, sed decenter complicata. Inter vasa erant phialæ, libatoria, lances, crateres, cyathi, acetabula, thuribula, tubæ, aliæque, aurea quidem in quovis genere multa millia, argentea verò duplo plura.

Totam Templi, & atriorum omnium fabricam cum omni ornatu, supellectili, vasis tum aureis, tum argenteis absolvit Salomon paucos sanè intra annos; quod tamen nemini mirum videatur, si hominum multitudinem æstimet, qui collaborarunt. Nam cum David jam multa millia conduxisset, qui tum ligna in Libano, tum lapides in montibus cæderent, aliæque præpararent; Salomon numeravit operariorum centum quinquaginta millia, ac tria millia sexcentos præpositos operum populi, inter quos in primis celebrem artificem, atque architectum acceperat Hiram à Rege Tyrinissum præter eos, quos secum habebat in Judæa & Jerusalem. Illata igitur supellectile vasisque tum aureis, tum argenteis, tum æreis suo loco collocatis indicata est Templi dedicatio per totam Israël.

Itaque octavo die mensis septimi sive Septembris cum singulis Tribubus, quæ pridie undique convenerant, assignatus esset locus & ordo, Sacerdotes & Levitæ veniunt in montem Sion cum Sadoc Summo Pontifice eorumque quatuor arcam in humeros tollunt. Dato signo proceditur inter Sacerdotum tubas ac Psalms, quos ad hujus diei celebritatem David composuerat, & Levitæ tota via decantabant ab arce quidem descendentes Psalmum 118. *Beati immaculati in via*; per gradus verò in montem Moria ascendentes aliquos ex illis, quos graduales vocamus, per atria cæteros, maximè illum *Memento Domine David*, atque etiam 135. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*. Atque isti quidem cantabant; Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israël gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oves, & boves abs-

Omnibus paratis indicatur dedicatio Templi.
An. 3037.
3. Reg. 6.
v. 37. & 38. &
8. Reg. 8. v. 1.

Arca ex monte Sion in Templum transfertur.
3. Reg. 8.
2. Par. 5.

ris civitatis, ac montis, denique per atria ventum est ad portam orientalem Templi. Sacerdotes quatuor intulerunt arcam in oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubin, quos grandes Salomon apud mensam posuerat. Alii candelabra aurea decem, totidemque aureas mensas panum propositionis hinc & inde, in medio autem propè velum oraculi altare thymiomaticis collocarunt. Alii denique utrumque tabernaculum Mosaicum & Davidicum, supellectilem, & vasa in præparatis ad id aulis, & Gazophylaciis deposuerunt.

Dedicatio
Templi.
3. Reg. 8.
1. v. 10.
2. Par. 6. & 7.

Egressis Sacerdotibus, & oppanso velo illicò fulgida nebula in signum præsentia divinae, favorisque singularis implevit domum DEI cum atrio Levitarum; in cujus introitu excitato suggestu aëneo Salomon deinde flexis genibus, & expansis in celum manibus orans, converso ad oraculum vultu laudavit inprimis Dominum de fidelitate promissionum erga Davidem; tum DEI bonitatem admiratur, qui manufactam domum inhabitare non dedignetur, oratque, ut in hoc Templo semper exorabilem se præbeat populo ad ipsum per pœnitentiam converso. Deinde orat etiam pro alienigenis, qui illuc venturi essent ad adorandum DEUM, quibus in eum finem atrium gentium paratum esset. Denique orat, ut qui versus Templum à longè conversi in afflictione oraverint, exandiantur. Facta oratione surgens bene precatus est populo, hortatusque, ut in divino timore, & cultu perseveret; tum hostias ad altare adhiberi iussit. *Et ecce ignis de celo descendit, & devoravit holocausta, & victimas* magna miraculi admiratione, & veneratione populi adeò, ut in tetram proni corruerint; & quia sic DEUS ostendit grata sibi esse Regis, populi que Sacrificia, intra septiduum hujus dedicationis sacrificarunt boum ad viginti duo millia, arietum autem 120000. tum in altari, tum in medio atrii propter hostiarum multitudinem. Exacto hujus solennitatis tempore populus multa cum lætitia dimissus est; Sacerdotum verò & Levitarum ministeria, ac vices à Davide instituta deinceps ad praxin sunt reducta; uti etiam Sacrificia quotidiana, aliæque ordinaria posthac oblata, quæ Salomon pro sua in DEUM pietate fundaverat.

Salomon
ædificat sibi

Perfecto Templo Salomon montem Moria & Sion excita-
tis ab ima voragine substructionibus ponte junxit, ut planus
esset

effet trajectus in Templum. Deinde haud procul ab hoc ponte Regiam ædificavit in tres partes distinctam, in cujus una Rex habitaret, in altera Regina filia Pharaonis, tertia pars, quæ dicebatur saltus Libani, inter utramque media recreationi serviret. Harum quoque ædium, quæ & ipsæ nonnisi ex fodinis pretiosorum lapidum, atque ex lignis Libani surrexerant, summa erat magnificentia tanto Rege, ac sapientissimo architecto digna: summus ornatu, tum intus, tum foris, atriorum, porticum, ambulacrorum, aularum, conclavium. Omnia vasa convivii Regis erant aurea, & universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo præter parietes, & laquearia auro ubique rutilantia: in ipso armamentario habebat Rex hastas aureas ducentas, & trecenta scuta aurea. Præcipuè verò Solium Regis erat magnificentum. Nam fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas Throni rotunda erat in parte superiori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant juxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. *Non est factum tale opus in universis Regnis.* Verbò omnia auro fulgebant; argentum enim in illis diebus pro nihilo reputabatur ad ornandam scilicet regiam domum; fecitque Salomon, ut *tanta esset abundantia argenti in Jerusalem quanta & lapidum.*

Porrò tantam vim auri argentique, præter hæreditatem à Patre relictam, Rex recipiebat præcipuè ex auri argentique fodinis, ad quas navigabat. Nam naves, quæ ibant in annis tribus semel in Tharsis, referebant aurum, argentum, & ebur seu dentes elephantorum. Classis, quæ ex portu maris rubri navigare solebat in Ophir, advexit tum ligna thyina nunquam antea in Israël visa, ex quibus Rex fecit gradus in domo Domini & in domo Regis, citharas quoque & psalteria; tum gemmas pretiosissimas, tum aurum in tanta quidem copia, ut aliquando unâ navigatione Salomon reciperet quadringenta & viginti talenta, id est quadraginta duo millia quingentas auri libras. Talentum enim habet centum & viginti quinque libras. Anni redditus erant sexcentorum sexaginta sex talentorum auri præter ingentem summam, quam Præfecti vestigalium & mercatores ærario Regis inferebant. Vicini quoque Principes, aut etiam

Regiam.
3. Reg. 7. & 10.
2. Par. 9.
1. V. 15.

Opes Salomonis.
3. Reg. 10.
2. Par. 9.

re-

remotiores crebrò vel ipsi per sese, vel per Legatos Salomonem invisebant, sive ut ejus admirabili sapientia fruerentur, sive ut augustissimum Templum, ædes regias, omnem earum apparatus oculis usurparent. Et deferebant ei munera vasa argentea & aurea, & vestes, & arma, & aromata, equos & mulos per singulos annos: nominatim advenit Regina Saba ex Arabia felice, multo cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, quæ cum audiret sapientiam Salomonis, videret magnificentiam tum Templi, tum regis, observaret oblationes hostiarum, mensam regiam, ordinem in aula, ita admirata est, ut non haberet *ultra Spiritum.*

DEus promittit Salomoni, se in Templo propitium fore ad preces populi.

3. Reg. 9.
2. Par. 7.
à v. 12.

Alia ædificia Salomonis.

3. Reg. 9.
2. Par. 8.

Sub expletam Templi & Regis ædificationem rursus apparuit Dominus Salomoni, responditque Regi in somnis ad postulationem ipsius in dedicatione Templi factam: & primò proficitur, se Regis deprecationem exaudisse, & exorabilem fore ad afflictæ populi preces. Deinde sanctificasse se ait per illa visibilia signa, sibi que consecrassè Templum in sempiternum sub conditione tamen observandæ à Rege, populòque divinæ legis, qua violata interminatur omnia pessum itura, Templum & populum à se derelictum iri, & summæ calamitatis exemplum posteritati futurum.

Ex in muros Jerusalem per circuitum instauravit, turres magnas in eis erexit, fossisque ad securitatem vallavit; viarum quoque publicarum curam gessit, præsertim earum, quæ in urbem ducerent, quas sibi constravit præter alia publica urbis regis privatæque ædificia. Satisfecit quoque Hiram Regi Tyriorum, qui suppeditando aurum, ligna cedri & abietis variisque impensas faciendo fabricam Templi & Regis domus per hos viginti annos egregiè adjuvit. Inde ad externa ædificia progressus est, variisque civitates partim instauravit, partim etiam excitavit, atque munivit, præsertim in Regni finibus, ut non solum essent ornamento Israël, sed & præsidio ac munimento adversus hostium incursiones. Demum profectus est ad visendum portum sinus Arabici in Afongaber, locum, olim trigesima secunda mansione Israëlitarum, hoc verò tempore classibus Salomonis, & Hiram Regis Tyri celebrem.

Domum reversus cum immensa jam pridem rerum abundantia, otio, altissimæque pace frueretur, sese voluptatibus dedere cepit impensius, atque implere quod postea factus est: *Omnia qua desideraverunt oculi mei, non negavi eis; neque prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Eccl. 2. v. 10. Nam plurimas, alienigenas præsertim, quas hæcenus ex Ægypto, Sidone, Moabitide, Ammonitide, Idumæa, & Hethæa duxerat, mulieres ardentissimo amore cepit adamare, quæ si fortassis prius verum DEI cultum, ut tanti Regis nuptiis fruerentur, professæ sunt, postea tamen eo sensim neglecto ad pristinam, & patriam superstitionem sunt relapsæ, cumque viderent se omnia posse apud mulierosum Regem, ausæ sunt postulare, liceret sibi templa ædificare, in quibus Diis, Deabusque suis ritu patrio famulari possent. Quod si primò fortassis tergiversatus est, denique tamen *depravatum est cor ejus per mulieres*, ut juberet, vel certe permitteret, aliqua circa Jerosolimam fana excitari, Astarthi Deæ Sidoniorum, Idolo Moloch Ammonitarum, & Deo Chamos Moabitarum; quin tantæ vir sapientiæ Reginarum suarum amore, atque rogatu eò dementiæ ac impietatis progressus est, ut ipsarum Tempa inviseret, demum etiam Idola incestis Sacrificiis coleret, nominatim Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch Idolum Ammonitarum, si non verè, ad speciem saltem externam, ne delicias suas uxores & concubinas, ut ait *Augustinus*, contristaret; quo insuper factum est, ut cum in ejusmodi Tempa, altaria, ac statuas immensis sumptibus, & in tantum fœminarum gregem largitionibus thesauri exinanirentur, populum gravissima in plures annos tributorum indictione premere cogere.

Sadoc Summus Sacerdos, Achias Propheta, & Nathan (si tunc adhuc in vivis erat) non semel pro sancta libertate sua Regem monuerint, per omnia divina atque humana jura obsecrârunt, ad DEUM seque ipsum aliquando respiceret, nec tanto scandalo populum porro offenderet. Nihil egerunt. Ipse etiam Dominus miserat ad ipsum Prophetam Achiam, qui Regi diceret: *Quia non custodisti pactum meum, & præcepta mea, dirumpens scindam Regnum tuum, & dabo illud servo tuo, Jeroboamo scilicet, qui erat tributis duarum Tribuum Ephraim & Manasse Præpositus, quemque DEUS præter alios Salomoni pro-*

Sacra Veterum Temp. Histor.

T

pter

Salomon à
fœminis ita
depravatur,
ut Idola co-
lat. 3. Reg. 11.

Moritur.
3. Reg. 11.
à v. 9.
2. Par. 9.
à v. 29.

pter scelera sua suscitaverat adversarium : Ejusdem Domini iussu idem Propheta, cum fortè Jeroboam Jerosolymâ egredere-
tur, eidem occurrit, apprehendensque pallium suum novum scidit in duodecim partes, deditque decem scissuras Jeroboamo cum hac domini denuntiatione : *Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.* Salomon tamen re ad ipsum perlata aded non deprecatus est cum humilitate DE-
um, ut potius Jeroboamum ad necem quæreret ; qui autem mox fugam arripuit in Ægyptum. Atque ita Salomon deliciis potius, quàm annis (nam ultra 60. non pervenit) confectus mortuus est, & sepultus in civitate David, ubi regium sepulchrum paraverat.

Pœnitens,
Ecclesiasticus
c. 1. v. 2.

Scripsit jam olim Cantica Canticorum, iisque nuptias cum filia Pharaonis in sensu historico celebravit; ultimis verò, duobus fortè, annis gravium authorum opinione pœnitens scripsit librum Sapientiæ, librum Proverbiorum, & librum Ecclesiasticus, in quo, ut ait *D. Chrysostomus*, emisit sublimem illam, & coelis dignam vocem : *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quod si verum est, pœnitentiæ lachrymis per singulas noctes stratum suum rigarit, simulque jusserit aras, statuâsque falsorum Deorum dejici, fana disturbari, ac solo æquari, quæ si funditus eversa non sunt, id factum est DEO permittente, ut essent imposterum Salomonis stultitiæ, & resipiscentiæ testes. Certiora de novissimis Salomonis, & plura de sequentium Regum rebus haberemus, si extarent Libri verborum dierum Regum Juda, & Israël. Hi enim erant quasi annales & fasti publici; è quibus in libros Paralipomenon aliqua quidem translata sunt, & ad nos devenerunt; cœtera verò temporum injuriâ perierunt.

Roboam, Rex Juda.

Roboam in-
consultâ re-
sponsione de-
cem Tribus
amittit.
1. Reg. 12.
2. Par. 10.

Salomonis filius Roboam anno ætatis quadragesimo primo hæreditario jure successit, eique postea in urbe Sichem, quò Regni comitia indicta fuerant, communibus populi suffragiis Regnum stabilitur. Constituto Rege actum est de Regni negotiis, in quibus erat imprimis imminutio tributorum. Igitur populi Principes, qui universam multitudinem Israëlitis repræsentabant, adsunt Regem, rogantque, ut onus tributorum, quod ipsi-

ipſius Pater impoſuerat, minueretur. Salomon enim primò tributum indixit ad ædificandum Templum, quod deinde perfeveravit etiam ad domum Regiam, ad murum Jeruſalem, ad inſtaurationem & ædificationem multarum civitatum, & demum ad explendam tot mulierum cupiditatem uſque ad mortem ipſius. Rex reſponſum diſtulit, ac conſilium iniiit cum Senioribus, qui Salomoni, dum adhuc viveret, erant à conſiliis; qui quidem authores ei fuerant, ut hac in re acquieſceret populo. At ille Juniorum potius, quos itidem conſuluit, ſententiam ſecutus juſſit populo denuntiari: *Pater meus poſuit ſuper vos jugum grave, ego autem addam ſuper jugum veſtrum. Pater meus occidit vos flagellis, ego autem cadam vos ſcorpionibus.* Quod eum auდიſſet populus, ſuperbè ipſe quoque ac contemptim: *Qua nobis, inquit, pars in David, aut qua hereditas in filio David?* Advertit Rex errorem, & ut populum mitigaret, Adoniram Præpoſitum ſuper tributa ad eum deſtinat. At iſte aliàs jam propter tributa exoſus à furenti populo lapidibus obrutus eſt; quo facto Roboamus ſibi ipſi metuens conſenſo trepidè curru Jeruſolyam feſtinavit; ſicque comitiis magno ſuo dedecore & damno finem impoſuit; nam ſola Tribus Juda, & Benjamin, quæ deinceps ſub una voce Juda veniunt, in fide eius permanſit. Cæteræ decem Tribus Jeroboamum, Salomone deſuncto in patriam reverſum, virum aliàs fortem & potentem Regem conſtituunt, qui memor vaticinii Achizæ Prophetæ minimè repugnavit, ipſamque urbem Sichem in Regni ſedem delegit.

Roboam interim ut ſchismaticas Tribus priùs, quàm malum morà invaleſceret, ſub coronam ſuam reduceret, exercitum 180. millium ex Judæis & Benjamitis colligit, ac ſequenti anno contra Jeroboamum educit. Verùm revocatur. In via enim occurrit Semeia Prophetæ, qui nomine DEI exercitum reverti jubet; à me enim, inquit, factum eſt verbum hoc, Salomonis nempe peccata per imprudentiam Roboami caſtigante.

Solutus hoc belli timore Jeroboam ab alia non minùs gravi curâ ſeipſum in ſigni impietate liberavit DEO ingratus. Sollicitus erat, ne, ſi populus Jeruſolyam ter quot annis pro more Religionis cauſâ proficiſceretur, ſenſim placatus ad domum David ſe relicto rediret. Itaque ſub proximum Paſchale tempus eam profectionem interdixit, cauſatus, eam urbem hoſtilem adhuc

Jeroboam,
Rex Iſrael.

Prohibetur à
DEO bello
perſequi
ſchismaticas
Tribus.

3. Reg. 12.
à v. 21.

2. Par. 11.
Jeroboam
peccare facit
Iſrael, erectis
in Dan & Be-

thel Idolis.
3. Reg. 12.
à v. 26. &
3. Reg. 13.
à v. 1.

esse, & ipsos deserti Principis reos, plenumque adeò periculi iter illud fore: colerent DEUM in suis terris, ubi pro uno Templo geminum habituri essent; quæ dum idoneis locis excitarentur, ipsi ad mentes aliquot vota sua differrent. Credidit populus Tempora verò DEO ædificanda; at Jeroboam nuper ex Ægypto reversus Apim & Serapim cogitabat falsos & Ægyptios Deos. Magnâ igitur celeritate duo delubra excitavit, unum ad septentrionem in urbe Dan, ad meridiem alterum in Bethel; ac utrobique vitulum aureum collocavit. Indictâ deinde ad imitationem Salomonis dedicatione simul promulgavit novos Deos clamandò: *Ecce Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Igitur alii in Dan, alii in Bethel sunt profecti. Ipse Jeroboam venit in Bethel, atque ante vitulum altare erexit constitutis de sæce populi Sacerdotibus, quòd ii, qui erant de Tribu Levi, nollent huic impietati servire, utque novis his Sacris Rex auctoritatem conciliaret, ipse Sacerdotis munere assumpto ascendit super altare & thus adolevit Idolo; quod dum facit, ecce vir DEI sive Propheta adest de Juda, qui disturbavit solennitatem clamando *altare, altare*, ejusque eversionem tempore Josiæ Regis Juda futuram prædicendo, confirmatâque mox sunt verba Prophetæ duplici signo; nam altare scissum est. & manus, quam Jeroboam contra virum DEI extenderat, illico exaruit; quæ licet ad preces Prophetæ fuerit pristinæ mollietati restituta, non tamen reversus est Jeroboam de via sua pessima, ratus, se Regnum retinere non posse nisi retento cultu Idolorum; immò exinde multò pluribus in locis crescente Israëlitarum superstitione luci & nemora montium Idolis fuere consecrata.

Levitæ alii-
que multi ex
Israele se, ac
sua transfe-
runt in Judæ-
am.
2. Par. 11. à.
v. 5.
Ob peccata
Roboam &
Juda Tem-

Quod cum viderent Levitæ & Sacerdotes, reliquerunt suburbana & possessiones, quas habebant in Israëlide, & migrarunt in Judæam. Sed & plurimi alii veri DEI cultores Jeroboamo deserto se cum familiis suis illuc transtulerunt, ut liberè colere possent DEUM Patrum suorum; ob quam causam Roboam per Regnum suum multas instauravit civitates, quas ætius semper populus incoleret.

Verum post tres annos Roboam ipse *dereliquit Legem Domini & omnis Juda cum eo.* Hinc inde enim luci super colles plantabantur, aris & statuis ornabantur, nec vitulis solum sed

Pria-

Priapo etiam Deorum spurcissimo sacrificabatur praeunte Maacha turpissimorum Sacrorum Principe Roboami uxore praeceteris dilecta. At brevi ultio divina adfuit; nam anno Regni quinto Sefac Rex Aegypti cum ingenti exercitu Judaeam ingressus capris variis in via civitatibus Jerosolymam usque penetravit. 2. Par. 13. v. 7. *Roboam homo rudis & corde pavido* cum non esset ausus infestis signis occurrere; inquit cum Optimatibus, qui metu hostis undique Jerosolymam confugerant, consilio, hosti portas aperuit ea utique conditione, ut saltem DEI Templo parceretur. Verum Sefac in urbem admissus conditionem non servavit; nam tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios & universa diripuit: scuta quoque aurea, quae fecerat Salomon; tributoque in lignum subjectionis imposito, tunc demum recessit.

Fuit haec manifesta Idololatriae poena, quam & Semeia, cum Aegyptius Jerosolymam adventaret, Regi & Principibus Juda in faciem praedixerat, & ipsimet agnoverant, cum consternati dicerent: *Fustus est Dominus*; nec tamen postea sincerius quaesierunt Dominum. Nam etsi Roboam pro scutis aureis aenea confici iusserit, eaque sibi Templum adeunti ab excubitoribus suis praeferrere, adeoque cultum DEI publice cum populo non deseruerit penitus; tamen abominanda illa sacra, quibus scelerata Maacha praerant, aliaque deinceps quoque frequentabantur. Unde Scriptura ejus vitam his verbis claudit: *Fecit autem malum, & non preparavit cor suum ut quereretur Dominum*: mortuus est autem, sepultusque in civitate David, postquam septendecim annos inter continua cum Jeroboamo bella regnasset,

Abias, Rex Juda.

Roboam ex octodecim uxoribus & sexaginta concubinis genuerat 28. filios & 60. filias. Abiam vero Regem designaverat, tum quod natus esset ex Maacha, tum quia sapientior fuit & potentior *super omnes filios suos*. Novus Rex bellum cum Jeroboamo persecutus primo statim Regni sui anno cum quadringentis milibus electorum virorum magnaque in DEum fiducia in hostes movet, licet numero longe superiores, nam

T 3

plum & urbs
spoliatur.
3. Reg. 14.
à v. 21.

Moritur Roboam.
3. Reg. 14.
à v. 27.
2. Par. 12.
à v. 10.

Ab An. 3025.
Abias decem
Tribus ingentem
cladem infert.
3. Reg. 15.
2. Par. 11.
à v. 21. &
2. Par. 13.

eorum octingenta millia censebantur. Dum uterque exercitus in conspectu stat, Abias amica planè oratione Israëlitas hortatur, abjecto vitulorum cultu sponte redeant ad Dominum, quem Jeroboamo Duce reliquissent, nec pugnent contra Dominum DEum Patrum suorum; non enim ipsos ignorare, quòd Dominus DEus Israël dederit Regnum David super Israël in sempiternum, ipsi & filiis ejus. Ubi peroravit, se interim hostium multitudine undique cinctum fuisse animadvertit. Quare cum exercitu suo clamavit ad Dominum, Sacerdotes tubis canere cœperunt, omnésque viri juda vociferati sunt. Audivit eos DEus & hostes perterritus ita, ut circumquaque fugerent. Judæi fugientes concidunt tanta strage, ut quingenta millia virorum fortium ex Israëlitis corruerint. *Humiliati que sunt ac vehementer debilitati filii Israël in tempore illo. Et vehementissime confortati filii Juda, eò quòd sperassent in Domino DEO Patrum suorum.* Nec dubium est, quin totum Israël Regnum tantâ clade turbatum occupassent, si hâc victoria uti Abias voluisset vel potuisset, simili fortassis, quâ olim Roboamus prohibitione exarmatus. Tres solùm civitates Jeroboamo eripuit, & postea victorem exercitum in Judæam atque Jerosolymam reduxit.

Moritur.
3. Reg. 15.
v. 3. & 8.
2. Par. 24. v. 1.

Ubi utinam in bene cœptis perseverasset. Jam verò Patris exemplo ad Idola declinavit, à Matre haud dubiè seductus, *ambulavit enim in omnibus peccatis Patris sui, qua fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum cum Domino DEO suo.* Ob quod fortassis breve fuit Regnum ejus; nam tertio anno dormivit cum Patribus suis sepultusque est in civitate David.

Afa, Rex Juda,

Ab An. 5028.
Afa Judæam
Idolis purgat.
3. Reg. 15.
2. Par. 14.

EX viginti duobus Abiæ filiis Afa Patri successit Religiosissimus Princeps. Subvertit enim primo statim Regni aditu omnes peregrini cultûs aras; confregit statuas, succidit lucos, purgavitque universas Idolorum fordes. Insuper *Maacham amovit, ne esset Princeps in Sacris Priapi, subvertitque specum ejus, ac confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.* Idolorum superstitione convulsa præcepit Judæ, ut quæreret Dominum DEum Patrum suorum, & faceret Legem, &

& universa mandata. Implevit quoque votum, quod fecerat Pater ejus ante initum cum Israëlitis praelium, & intulit in domum Domini argentum & aurum & vasa, ut sic prædam Ægyptiorum aliquo modo repararet, cùmque Domino largiente undique pacem haberet, aliquot per Judæam civitates, quas hostibus putavit magis esse expositas, muris circumedit atque munivit.

Interim in Israëlè Regem Jeroboam Dominus *percutit & mortuus est*, omni deinceps posteritati execrandus & detestabilis, *quia peccare fecit Israël*. Successit in Regno filius Nadab, qui tamen, quòd impia Patris vestigia sequeretur, brevi DELI nutu è medio sublatus est, ac per Insidias à Baasa de Tribu Issachar occisus. Tertius igitur in Israëlè regnavit Baasa, Regni que sedem constituit in civitate Thersa. Prima ejus cura fuit scire in Jeroboami familiam, donec eam funditus exscinderet: Id quod Achias Propheta uxori Jeroboam jam tum prædixerat, cùm ab ea de ægritudine filii consuleretur. *3. Reg. 15. v. 16* Deinde Asam post decem annorum pacem bellò appetivit fortassis ut tres urbes, quas Abias Regno Israëlitis eripuerat, recuperaret.

Intestino hosti externus accessit longè potentior. Zara Rex Æthiophum inde ab extrema Africa cum incredibili multitudi-
tudine decies centenorum millium in Judæam venit incertum an alià de causa, an exemplo Ægyptii Regis Sefac & similis spe prædæ. Verùm de tanto hoste Afa Rex æquè fortis ac pius illustrem retulit victoriam. Habuit in exercitu suo portantium scuta & hastas de Juda trecenta millia: de Benjamin verò scutariorum ac sagittariorum ducenta octoginta millia. Cum his Æthiopi progressus obviam instructa ad pugnam acie Dominum intensè pro victorià oravit. Secuta est, & exterriti divinitus Æthiopes ad internecionem Domino cadente contriti sunt. Cùm non amplius essent qui caderentur, victores versi sunt ad ingentem prædam, adeò ut Æthiopia prædæ jacturam ab Ægyptio olim factam compensare videretur. Ut deinde DEO in Templo gratias agerent, immolârunt boves septingentos, & arietum septem millia.

Interim Baasa Rex Israël occupaverat urbem Rama in Judæa sitam, eamque communire cœpit magno Regni incommodo

Domus Jeroboam deletur.

3. Reg. 14. v. 20.

& 3. Reg. 15. à v. 25.

2. Par. 13. v. 20.

Nadab, Rex Israël
Baasa, Rex Israël.

Afa internecione delet Æthiopes.

2. Par. 14. à v. 8.

Contra Regem Israël

evocat Regem Syria.
3. Reg. 15.
à v. 17.
2. Par. 16.
3. Reg. 16.
à v. 1. ad 8.

Domus Baasa
extinguitur.
2. Reg. 16.
à v. 8.
Ela, Rex Israel.

Samaria fit
sedes Regum
Israel.
3. Reg. 16.
à v. 15.
Zambri, Rex
Israel.

Amri, Rex
Israel.

Achab, Rex
Israel.

do futuro, si opus perfecisset. Hanc ut à terris suis servitutem averteret Afa missis per Legatos muneribus Benadad contra Baasam concitavit. Qui & in Israëlitidem irruit, eumque ab opere cessare coëgit; ob quod tamen factum postea Rex Afa à Propheta Hanani objurgatus est, eò quòd habuisset fiduciam in Rege Syria infideli, & non in Domino DEO suo. In poenam insuper, quandiu vivebat Baasa, nunquam pacem habuit; quo tamen intestino hoste demum anno Regni sui vigesimo sexto Afa liberatus est. Mortuus est enim Baasa Rex Israëlis, cum prius interfecisset Jehu Prophetam, qui nomine DEI ipsi impietatem exprobraverat, ejusque posteritati malè vaticinatus erat.

Mortui Parentis thronum conscendit Ela Rex Israëlis quartus. Sed brevi dejectus est. Nam Zambri Dux equitum vitæ ambitione in eum conjuravit, & in Thersa urbe Regia epulantem jamque temulentum interfecit. Ne verò esset, qui occisum Regem ulcisci posset, & secum de sceptro contendere, omnes Regis consanguineos, atque adeò totam Baasæ domum extinxit, uti prædixerat Jehu Propheta.

Zambri quintus Rex Israëlis septem duntaxat diebus regnavit. Nam exercitus Israëlis, qui tum Gebbethon urbem Philistæorum obsidebat, auditâ Regis morte Principem militiæ Amri Regem proclamavit in castris. Iste omisâ priori obsidione cum exercitu festinavit ad urbem Thersa, in qua se Zambri pro Rege gerebat. Fortiter aliquandiu obsidionem tulit. At cum cerneret, se urbemque amplius servari non posse, Palatium ingressus se cum domo regia succendit, & mortuus est in peccatis suis. Amri sextus Rex Israëlis sublatò æmulò vastatam urbem ingressus, vidensque Palatium cum tyranno & regia suppellectile conflagrâsse de quærendâ alia Regni sede cogitavit. Nec diu post montem in Tribu Ephraim situm elegit, in eoque Samariam ædificavit. Atque ita Rex iste mutavit quidem sedem Regum Israëlis, non autem impietatem. *Nam fecit malum in conspectu Domini & operatus est nequiter super omnes, qui fuerant ante eum.* Pacificè tamen vixit cum Afa Rege Juda. Post undecim Regni annos mortuus sepultusque in Samaria, coronam reliquit filio suo Achab.

Achab septimus Rex Israëlis, primus, qui ad cultum vitulorum aureorum adjecit etiam cultum Idoli Baalis. Ad novam hanc

hanc impietatem adductus est à Jezabel Sidoniorum Regis filiâ, quam uxorem duxerat. In hujus gratiam templum in Samaria Baali DEO Sidoniorum ædificavit, aram erexit, & lucum circumquaque plantavit, & servavit Baal & adoravit eum. Regis exemplum etiam populus paulatim urgente Jezabele sequebatur, scilicetque novum latè in posteros ad tempora usque Josiæ propagatum est.

Interim Aſa ultimis Regni annis ægrotavit dolore pedum vehementissimo, frustra que in Medicorum arte confusus anno Regni quadragesimo primo mortuus & sepultus est in sepulchro, quod foderat sibi in civitate David *Fecit, quod bonum & placitum erat in conspectu DEI sui. Cor Aſa erat perfectum cunctis diebus ejus.* Solummodo excelsa non abstulit, aras scilicet in editioribus locis erectas, in quibus populus jam à tempore Salomonis offerre solebat Sacrificia quædam præsertim spontanea & votiva, DEO quidem vero, non tamen grata; locus enim Sacrificiis deputatus erat Templum Jerosolymitanum. Quod si Prophetæ in gravi necessitate aliis in locis sacrificarunt, id fecerant ex singulari dispensatione DEI. Porro populus ejusmodi lucis & excelsis mirum in modum afficiebatur veluti ad omnem animi remissionem idoneis; ob quod Aſa timens populi offensionem non ausus est excelsa destruere.

Josaphat, Rex Juda.

Josaphat restitutum à Patre DEI cultum non tantum conservavit, sed & plurimum auxit pius, & religiosus Princeps. Statim in principio Regni *reliquias effaminatorum, qui remanserant in diebus Aſa Patris, abstulit de terra.* Aggressus est quoque excelsa auferre; quamquam ob contradictionem populi, & seditionis periculum non videatur pium opus perfecisse. Tercio deinde Regni anno Levitas & Sacerdotes quaquaversum misit, qui populum in divina Lege erudirent. Quod ut cum majori fructu & autoritate fieret, addidit illis quosdam de suis Principibus qui essent veluti Duces Sacræ Missionis.

Longè alia Religionis facies erat in Regno Achabi, in quo auspiciis Jezabelis idololatria invaleſcebat, adeo ut brevi quadringenti & quinquaginta Baalis Prophetæ numerarentur, multique

Israel præter vitulos etiam Idolum Baal colit.
3. Reg. 16.
à v. 28.

Aſa moritur.
3. Reg. 15.
v. 23. & 24.
2. Par. 16.
à v. 11.

Ab An. 5069.
Josaphati pro Religione zelus.
3. Reg. 22.
à v. 41.
2. Par. 17.
à v. 3.

In Regno Israel invaleſcit Idololatria.

3. Reg. 16.
2 v. 31.
1. Reg. 10.
v. 5. & 10.

tique de populo genua flecterent ante Baal cum summo bonorum Israëlitarum dolore, maximè Prophetarum. Fuerat jam temporibus Samuelis certum genus hominum, qui Prophetæ vocabantur. Vivebant à reliqua mundi turba remoti: utebantur certo cultûs genere in aliqua communitate sub superiore viventes, quem DEUS illis dabat. Ducebant vitam pauperem & austeram: aberrantes à via DEI tum voce tum scriptis revocabant; qui se perfectioris vitæ studio illis aggregaverant, filii Prophetarum dicebantur. His DEUS se singulari modo communicabat, ut futura prædicerent, & sæpe etiam mira patrent.

Elias fugit, & ne pluat in Israel, Dominum orat.
3. Reg. 17.

Non deerant in terra Israël etiam tunc ejusmodi Prophetæ, qui clamoribus & adhortationibus Achabum, & populum ad meliora provocarent. Inter hos Elias à puero in veri DEI cultu religiosè institutus hoc tempore prodiit vir potens opere, & sermone. Hic cum tantam animarum in Israëlè cladem diutius ferre non posset, oratione oravit ad Dominum, ut non plueret super terram, ut sic Israël intelligeret, à quali & quanto DEO defecisset, cujus benignitatis influxu cessante homines, atque animalia deficerent. Ubi clauso aliquamdiu coelo sensit se voti compotem factum, *in Spiritu Domini venit ad Regem Achab*, dixitque: *Vivit Dominus DEUS Israël, si erit annis hisse ros & pluvia, nisi juxta verba oris mei.* Post brevem hanc concionem Samariâ egressus DEI monitu in solitudine prope torrentem Corith se abscondit. Potum præbebat torrens, corvi verò panem, & carnes manè, similiter panem, & carnes vespertini in cibum afferebant.

Fames in Israel.
3. Reg. 17.
2 v. 7.

Interim fames arescentibus agris Regnum Achabi latè populata est, quam tamen circumjectæ regiones vix sentiebant, nisi quòd Tyrios etiam, atque Sidonios calamitas attingeret, unde profecta erat Jezabel præcipua mali causa. Quam quidem ipsa in Prophetas Domini rejecit, ac propterea multos occidit. Elias, qui à Rege verborum ipsius memore vel maximè perquirebatur ad necem, deprehendi non potuit; nam siccato interea torrente, cum non amplius haberet, quod biberet, inde surrexit, & jussu Domini recessit in terram Sidoniorum; ubi in urbe Sarepta apud pauperem viduam reliquo sterilitatis & famis tempore miraculò sustentabatur. Nam cum ipsa sub adventum

Eliæ

Eliæ ad coquendum hospiti subcineritium panem nonnisi quantum pugillus capere potest farinæ haberet, & paululum olei; tamen ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, ita ut toto tempore esset, quod comederet ipse & illa & domus ejus. Præter istam aliud insigne beneficium accepit hæc Sidonia. Filium ipsius ægrotantem oppresserat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Mater ejulans ad hospitem *quid mihi, inquit, & tibi vir DEI? ingressus es ad me, ut interficeres filium meum?* portavit itaque Elias mortuum in cœnaculum, ubi ipse manebat, positoque super lectulum suum puero clamavit ad Dominum dixitque: *Domine DEus meus, etiãme viduam, apud quam ego utcunque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus?* deinde extendit se atque mensus est super puerum tribus vicibus & clamavit ad Dominum & ait: *Domine DEus meus, revertatur obferro anima pueri hujus in viscera eius. Facta oratione reversa est anima pueri intra eum, & revixit.* Tulitque Elias vivum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit Matri suæ.

Demum, cum jam ultra tres annos non pluisset in terra Israël, jussus est Elias de terra Sidoniorum redire ad Regem Achab. In via obvium habet Abdiam Procuratorem Regis, qui & ipse timebat DEum, & Prophetas quinquagenos & quinquagenos in speluncis absconditos rebus necessariis clam Rege, & Jezabele sustentabat. Hunc jubet Elias nuntiare Regi adventum suum. Achab hoc intellecto veniens in occursum iratusque exostulat, quod ipse immissa sterilitate publicam quietem perturbaret, inquit: *Tunc es ille, qui conturbas Israël?* Cui Elias: *Non ego turbavi Israël, sed tu & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Monuit deinde Regem, ut si pluvias desideraret, juberet universum populum, & omnes Prophetas Baal in monte Carmelo congregari. Collecto itaque jussu Regis populo, quorum plerique DEO simul, & Baali serviebant: *Usquequò, inquit, claudicatis in duas partes? si Dominus est DEus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Deinde modum proposuit, quo decideretur, quis verus esset DEus, ille scilicet, qui misso de cœlo igne Sacrificium sibi oblatum accenderet; quem cum populus uno ore probasset, Pseudoprophetæ, qui coram Rege, & universo populo conditionem

Elias in monte Carmelo Dominum ipsum esse Deum miraculo ostendit.

3. Reg. 18.

respuere non audebant, bovem maectant, & in frustra dissectum strui lignorum imponunt, ignem à Baale magnis clamoribus flagitant, cultris quoque ac lanceolis corpus incidunt ad DEum suum ad commiserationem provocandum, nullo tamen operæ pretio, ita ut insultaret illis Elias. Interim ipse quoque in magna omnium expectatione altare DEI ex duodecim impolitis lapidibus juxta numerum Tribuum erigit, altari struem lignorum imponit, lignis membra maectati bovis, omniàque demum duodecim hydris aquæ perfundit. Ubi tempus Sacrificii adfuit, oravit Elias Dominum, ut verum se DEum ostenderet, & omnes Tribus iterum ad se converteret. Etece *cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides pulverem quoque & aquam; quod cum vidisset populus, cecidit in faciem suam, clamavitque; Dominus ipse est DEus, Dominus ipse est DEus.*

Occidit Prophetas Baal & pluvias im-
petrat.
3. Reg. 18.
à v. 40.

Elias occasione bene animati in DEum populi usus Prophetas Baal comprehensos & ad vicinum torrentem perductos omnes occidit gladiò. Regressus inde in Carmelum monuit Regem, ut prandium sumeret, multam pluviam imminere. Ipse verò ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, dixitque ad puerum suum, ut septies prospiciat in mare, sibi que toties referat, quid viderit. Puer sexies retulit, nihil se vidisse. Demum in septima vice advertit nubeculam parvam quasi vestigium hominis ascendere de mari; quod ubi nuntiavit, citò misit puerum, & Regi dici jussit: junge currum tuum, & descende ne occupet te pluvia. Achab surgens de mensa dum se vertit huc illuc, ecce Cœli conturbati sunt, & nubes & ventus, & facta est pluvia grandis. Festinanter itaque Rex in currum se injecit, currenteque ante eum accinctis lumbis Elia pervenit in Israël.

Elias fugit
ex Jezrael.
3. Reg. 19.
à v. 1. ad 4.

Inde Rex illicò misit in Samariam, & Jezabeli omnia, quæ facta fuerant, referri jussit; quæ ob interfectos præcipue Prophetas suos irâ furens continuo remisit nuntium ad Fliam cum his minis: *Hec mihi faciant Dii & hæc addant, nisi hæc horæ cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis.* Quod Elias audiens fugit ex Jezrael venitque in Bersabee Juda, & dimisit ibi puerum suum.

Jofaphat feliciter regnat.

Quæ dum in Regno Israël geruntur, Jofaphat laudatissimus Rex in urbibus Judæ ædes magnificas erexit, urbes muris, atque

atque praesidiis munivit, justiciamque administrando subditos sibi ita conciliavit, ut Regi certatim munera afferrent. ipseque infinitis divitiis, multaque gloria floreret, quam suis charus, tam erat formidabilis externis maximè Philistæis, atque Arabibus, qui ut ipsum haberent amicum, multa ipsi quoque munera obtulerunt; nam in omnem belli eventum parata habebat undecies centena sexaginta virorum millia.

Elias interim Jezabelem fugiens per desertum Arabiae vagatur, alia ex aliis loca, & latebras per totum reliquum ferè annum mutando, ut mulieris evitaret emissarios. Fortè fatigatus, sedensque subter unam juniperum petiit animæ suæ, ut moreretur ex zelo nempe divinae gloriae, quam proculcatam videre nollet; dum dormit jejunos in umbra juniperi, sub vesperum missus à Domino Angelus cibum cum aqua ad caput dormientis apponit, leviterque motum excitat dicens: *Surge & comede*, quo dicto evanuit. Elias circumspiciens panem sub cinere coctum cum aqua reperit. Comedit ergo, & bibit, rursusque obdormivit, donec reversus est Angelus secundo, monuitque de sumendo jentaculo; ex quo tantum accepit virium, ut quadraginta ipsos dies jejunos perseverans, & per varias ambages, ac voluntarias aberrationes more fugientium ad montem Horeb perveniret, ubi in spelunca delituit. Brevi autem à Domino jussus est reverti in Israelitidem, Jezabele jam aliquorum piorum hominum caede mitigata; cùmque in via identidem gemens diceret: *Remansi ego solus*, Dominus ad consolationem certum ipsum fecit, se multa adhuc millia in Israële conservasse, qui Baali nunquam genua flexissent exiguo sanè Eliæ solatio, qui sperare poterat Achabum, omnemque populum abjecto Baal post demonstratam praeterito anno in monte Carmelo tam luculenter Idolorum vanitatem ad unius DEI cultum interea rediisse. Verùm in unius scelestæ mulieris gratiam, & Rex & populus pergebat in utramque partem claudicare; id quod latere non potuit Jofaphatum, qui nihilominus talium Parentum filiam Athaliam primogenito suo filio Joram uxorem petiit infaustra sine dubio ac malè contracta affinitate; quod postea tum ipsa Domini reprehensio, tum luctuosa eventa docuerunt.

Elias Israelitidem ingressus jussu DEI Elifæum ex agro sibi in socium ac discipulum assumpsit; qui etiam DEO intus im-

2. Par. 17.
à v. 10.

Elias fugiens
Jezabelem
revocatur in
Israelem.

3. Reg. 19.
à v. 4.

Elifæum in
socium assu-
mit.

3. Reg. 19.
à v. 19. &
3. Reg. 20.

pellenterelictis bobus, & aratro eundem secutus est, & ministrabat ei. Non multò post DEUS Achabo duas insignes victorias largitus est, si fortè his converteretur ad Dominum, qui miraculis non poterat. Rex Syriæ Benadad ob negatum ipsi tributum ingentem exercitum regiæ urbi Samariæ admovit habens secum triginta duos Satrapas, quos Sacra Scriptura Reges vocat. Rege cum suis trepidante jussit Propheta quidam ducentorum triginta duorum Principum Provinciarum pedissequos sive servos honorarios primos egredi & inchoare prælium. Qui cum fortiter in hostem ruerent, territi sunt Syri, & in fugam cum magna clade conversi. Sequenti anno Benadad bellum instaurat, assumptisque loco Satraparum aliis triginta duobus Ducibus in planitie pugnare constituit, dicebant enim Syri: *Dii montium sunt Dii eorum, idè superaverunt nos.* Itaque cum infinita multitudine venit Aphec, quod oppidum situm est juxta magnam planitiem Galiliæ. Sed majore quàm antea strage Syri fusi sunt; nam centies mille in acie ceciderunt, & viginti septem millia, qui in oppidum Aphec fugerant, ruinam murorum oppressi sunt. Regi Syrorum ad se adducto Achab non modò pepercit, sed & petenti pacem dedit, hac inter alias conditione, ut ereptam sibi urbem Ramoth Galaad redderet. Debuerat ipse etiam Rex interfici, quod quia non fecit Achab, à Propheta audiit: *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Id quod tertio post anno evenit.

Achabo ejus-
que familiae
ac Jezabeli
interitum de-
nuntiat.
3. Reg. 21.

Longè adhuc graviolem non tantum in se, sed totam domum suam DEI vindictam confecto bello concitavit. Habebat Achab in Jezrael palatium unà cum regio horto, quo animi causa ex Samaria subinde concedere solebat. Hortus nimium ipsi angustus erat; ut verò latiùs extenderetur, obstabat vicina cujusdam civis Naboth nomine vinea. Huic igitur offert justum pro vinea pretium. Noluit Naboth, quòd Lege Mosis vetitum esset hæreditatem Patrum suorum vendere in perpetuum. Res hæc ægerrimè Regem habuit; quod ubi rescivit Regina Jezabel, effecit, ut Naboth per calumniam circumventus, & ab iniquis judicibus damnatus lapidaretur. Extincto Domino possessionem vineæ vix adiit Achab, cum adest Elias, etque totius suæ familiæ exterminationem denuntiat, de Jezabel insuper addens:

Ca.

Canes comedent Jezabel in agro Jezrael. Quæ pœna à tanto Propheta intentata ita terruit Regem, ut scinderet vestimenta sua, & operiret cilicio carnem suam, jejunaret, dormiret in sacco, & ambularet *demisso capite*. Qua demissionis DEum utcunque placavit, ut pœnam ad Regnum filii ejus saltem differret. Ipse verò tertio post annò pœnarum partem morte luit.

Syrus urbem Ramoth etiamnum detinebat contra quam pace conventum fuerat. Igitur Achab exercitum colligit, inque belli socium Regem Juda Jofaphatum invitat, qui etiam cum auxiliaribus copiis venit Samariam. Ante expeditionem Jofaphat Dominum consuli voluit. Jussit igitur Achab adesse quadringentos Pseudo Prophetas, qui omnes uno ore prosperum belli successum ominabantur; unusque insolentior Sedecias cornua ferrea in capite gestans: *His*, inquebat, *ventilabis Syriam, donec deleas eam*. At Jofaphat desiderans Prophetam Domini, rogavit, an non aliquis adesset. Respondit Achab, unum remansisse in Samaria Michæam, addens: *Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore*. Ut tamen Jofaphato gratificaretur, misit, qui eum vocaret. Adductus Michæas, atque de belli eventu rogatus prospera omnia cum reliquis Prophetis vaticinatus est. Verùm Achab ironiam animadvertens adjuravit Michæam, ut non loquatur, *nisi quod verum est, in nomine Domini*. Itaque liberè edixit, Regem in prælio cæsum iri, & Israëlitas dispersos mox ad sua redituros. Simul ostendit, non esse credendum prospera vaticinantibus, quod permisso DEI spiritus mendax esset in ore omnium Prophetarum. Nihilominus retruso in carcerem Michæa Achab cum Jofaphat in aciem progressus est; cùmque comperisset, se potissimum bellò peti, mutavit habitum ad securitatem, ne Rex agnosceretur. At nihil ipsi hæc diligentia profuit. Nam fervente prælio sagittâ in incertum emissâ stans in curru suo confossus est; quo cognito Israëlita, antequam Sol occumberet, reversi sunt ad sua. Jofaphat verò rediit Jerosolymam gravi hæc objurgatione à Jehu Propheta exceptus: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris*. 2. Par. 19. v. 1. & 2.

Ochoziam filium Achab jam antea in Regni consortem assumperat; Patre verò nunc occiso solus regnavit. Primo

Jofaphat ob-
jurgatur ob
societatem
belli cum
Achab, qui
cadit in præ-
lio.

3. Reg. 22.
2. Par. 19.

Ochozias,
gni Rex Israel.

Elias ignem
è cælo evo-
cat.

3. Reg. 22.
à v. 49.

4. Reg. 1.

2. Par. 20.

à v. 35.

gni aditu Jofaphatum invitavit, ut classe in portu Afiongaber, hodie Suez à Turcis dicto, simul navigarent *in Ophir propter aurum*. Placuit Jofaphato consilium. Sed res tristem habuit exitum, imò principium; nam tempestate divinitus immissa confraetae sunt naves, antequam è portu solverent, in poenam inite cum Ochozia amicitiae, & societatis veluti Eliezer Propheta Jofaphato postea affirmavit. Nam *Ochozias ambulavit in via Patris sui & Matris sua, ejusque opera fuerunt impiissima*, brevissimo quidem tempore, quo regnavit. Nam primo Regni anno exeunte gravi per cancellos coenaculi lapsu ægrotare cepit. Sollicitus, an morbus lethalis esset, nuntios misit in Accaron Philistæorum urbem ad consulendum Belzeebub DEum Muscarum, sic dictum, quòd muscas locis illis admodum infestas arcere crederetur, quique certiora tunc ceteris oracula funderè ferebatur. In via nuntiis occurrit Elias, revertique jubet, ac Regi hæc nuntiare: *Quia consuluisti Belzeebub, quasi non esset DEUS in Israël, de lectulo, subter quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*. Quo dicto rediit Elias in Carmelum, nuntii in Samariam. Audito tristi nuntio Rex quæsit, ejusnam habitus & figuræ vir esset; qui istud sibi nuntiari voluisset? cumque dicerent: *Vir pilosus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus*, illicò advertit Eliam esse, misitque militarem manum quinquaginta virorum, qui eum comprehenderent, atque ad se adducerent, coacturus fortasse eum ad exorandam sibi à DEO vitam. Venère in Carmelum, in cujus vertice sedebat Elias. Ad quem Dux militum: *Homo DEI*, inquit, *Rex præcepit, ut descendas*. Sed quod hominem DEI, ut apparet, per ludibrium appellasset, Elias: *Si homo DEI sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos*, quod illicò factum est omnibus cælesti igne ablumptis. Nescius Rex, cur victum non adducerent, aut saltem nuntium remitterent, misit alium cum quinquaginta viris. Sed & iste cum suis parem legationis fortitus est exitum. Missus est ergo tertius quinquagenarius, qui intellecta in itinere priorum fortuna summa corporis, verborumque humilitate Eliam ad Regem invitavit. *Curvavit enim genua contra Eliam, & precatus est eum*. Itaque descendit, & moribundum Regem adiit, sed terrificum illud carmen repetens: *Quia misisti nuntios ad consulendum Belzeebub Deum Accaron, quasi non esset*

DEUS

DEus in Israël, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Mortuus est igitur altero Regni anno Ochozias, cumque liberis careret, successit Joram Frater ejus nonus Rex Israël.

Joram, Rex Israël.

Non diu post ipse etiam Elias ex hac terra abiturus se ad iter paravit. Ac primo dispersa per Israël Prophetarum colonia visitavit, deditque ultima salutis monita. Tum cum solo Elisæo Jerichunte egressus Jordanem transiturus accessit; ubi cum nec navigium, nec yadum inveniret percussas pallio aquas in utramque partem divisit, ita ut transirent ambo per siccum, videntibus quinquaginta filiis Prophetarum, qui Jerichunte post Eliam egressi, à longè in editiore loco steterant desiderio videndi finem: Divinitus enim noverant fore, ut eo die Elias inter mortales esse desineret. Dum ambo ex altera ripa inter varios sermones aliquamdiu procedunt, ecce Elias curru igneo, & equis igneis à latere Elisæi rapitur in cælum, nec deinceps amplius comparuit. Elisæus verò rediens pallio, qui ascendenti incurram Eliæ exciderat, Jordanem percussit, siccumque, ut antea, transivit, cui occurrentes filii Prophetarum proni in terram adoraverunt eum veluti Patrem ac Magistrum suum deinceps futurum. Deductus in Jericho triduo ibi subsistit; qua occasione usi cives eum rogarunt, ut praterfluentem aquam alias amaram & terræ noxiam dulcem, ac potabilem redderet; quod & fecit injecto in fontem sale. Inde ascendens ad alterum Prophetarum Collegium in Bethel per viam incidit in parvos pueros, qui egressi de civitate illudebant ei, clamantes: *Ascende calve, ascende calve*, mox autem petulantiam luerunt; ubi enim eis maledixit in nomine Domini, è vicino saltu accurrerunt duo ursi, qui facto celeriter nunc in hos, nunc in illos impetu lacerarunt quadraginta duos pueros. Elisæus autem post visitatos in Bethel filios Prophetarum, perrexit inde in Carmelum præcipuam Prophetarum coloniam, & locum ordinariæ habitationis suæ, suos, qui eum montem incolebant, de amisso Elia consolaturus.

Elias moritur, cui succedit Elisæus, 4. Reg. 2.

Rex Moabitarum, quem David subactum Regno suo subjecerat, subsecuta deinde Regni divisione hætenus Israëlitis tributarius erat, pendebatque vectigal centum millia agnorum, & centum millia arietum. Nunc verò occiso Achab jugum excu-

Elisæus exercitum siti periturum miraculo servat, 4. Reg. 8.

ferat. Jam quidem Ochozias ftatuerat ei bellum inferre, fed morte præventus eft. Igitur Joram contra fœdifragum fe ar-
 mat, atque in auxilium Jofaphatum Regem Judæ invitat; qui
 etiam ei condixit, licet jam bis ob amicitiam cum Regibus If-
 raël reprehenfus. Conjunctas vires ducunt per defertum Idu-
 meæ, quæ itidem à tempore Davidis Regibus Juda parebat. Hinc
 iftius quoque Regem, vel potius Proregem Jofaphat fecum ad
 bellum Moabiticum venire juffit. Septem dierum iter per de-
 fertum fecerant in fuma aquæ penuria, ita ut Rex Ifraël deni-
 que exclamaret: *Heu! heu! heu! congregavit nos Dominus*
tres Reges, ut traderet in manus Moab. At Jofaphat an non
 adeffet aliquis Propheta Domini inquit, per quem depreca-
 rentur Dominum; cumque audiffet Elifæum effe in castris,
 cum duobus Regibus eum adit; quem dum prior Joram allo-
 quitur, respondit Elifæus: *Quid mihi & tibi eft? vade ad*
Prophetas Patris tui, & Matris tue. Vivit Dominus, quòd fi
non vultum Jofaphat Regis Juda erubefcerem, non attendis-
fem quidem te, nec respexiffem. Deinde juffit Pfalten ad fe ad-
 duci, qui aliquid ex Pfalmis Davidis in DEI laudem caneret;
 quo canente Elifæus Spiritu DEI afflatus, juffit in arido torren-
 te complures foffas erui, quas dein DEUS aquis miraculo fic im-
 plevit, ut orto fole homines & jumenta abundè biberent. Ubi
 hoftiles exercitus convenère, Moabita, veluti Elifæus ante præ-
 dixerat, cæfi funt, & latè vafata Regione in urbem Regiam to-
 tum belli pondus incubuit. Rex desperata urbis defenfione fu-
 per murum obtulit, & exuffit filium fuum in holocauftum Deo
 fuo Moloch videntibus Ifraëlitis; quo afpectu tum indignatio-
 ne in fe ipfos, quòd miferum Patrem eò ufque adegiffent, tum
 commiferatione ipfius commoti ab urbis obfidione recesserunt,
 innovatòque fœdere de tributo priftino ex fide pendendo ad fua
 quisque redièrunt.

Oleum viduæ
 prodigiòse
 auget.

4. Reg. 4.

Reverfus quoque Elifæus continua ferè deinceps atque in-
 fignia patravit miracula. Vidua cujusdam Prophetæ pauperis,
 & obarati timebat, ne creditores, quibus ipfa fatisfacere non
 poterat, duos fuos filios in fervitutem abriperent. Opem po-
 ftulat ab Elifæo, affirmans, fe nihil aliud domi habere, nifi pa-
 rum olei, quo fe ungar. Hic jubet eam à vicinis quotquot pos-
 fet vafa corrogare, in eaque infundere oleum, fore enim, ut le-
 cythus

cythus olei non deficiat, donec omnia vasa sint impleta; quod cum ipsa fecisset, *vade*, ait Propheta, *vende oleum, & redde creditori tuo, quod illi debetur; tu autem & filii tui vivite de reliquo.*

Sunam oppidum ad radices Carmeli situm frequenter transeunti matrona quædam locuples & magno inter suos loco cœnaculum suppellectile instructum viro suo probante paraverat, in quo vir DEI cibum sumere, & commodè quiescere posset. Volens gratiam reddere intelligit à puero suo Giezi, nihil gratius mulieri facturum, quàm si eidem filium à DEO exoraret. Jubit ergo eam vocari, spondetque, nasciturum ipsi filium. Mulier gaudio plena, ac prolis avida, *noli, quaeso*, ait, *Domine mi vir DEI, noli mentiri ancilla tua.* Natus est in tempore, & horâ eâdem, quâ prædixerat Elisæus. Accidit autem, ut tertio ætatis anno puer tempore messis ad Patrem in agrum delatus, ferventique solis radio tactus malè habere inciperet, ac paulò post in sinu matris moreretur. Afflicta Sunamitis posito super lectulum viri DEI puero, stratâque aëna properat in Carmelum, seque ad pedes Elisæi inter singultus & lacrymas abjecit. Vir DEI audita filii morte, misit continuò famulum cum baculo suo, jussitque hunc ponere super corpus pueri. At Giezi brevi reversus rezulit, se quidem id fecisse, neque tamen surrexisse puerum. Itaque ipse cum matre Sunam perrexit, ingressusque cœnaculum suum *clausit ostium super se*, & facta priùs ad DEum oratione *ascendit super lectum, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus super manus ejus*, donec calefieret & aliqua vitæ signa daret, ubi demum oscitavit puer, aperuitque oculos, & reddidit vivum matri suæ.

Famis tempore, quæ septem annos in terra Israël tenuit, Elisæus habitans tunc in Galgalis inter filios Prophetarum, fortè uni de discipulis mandavit, ut deficiente alio cibo, herbas in agro colligeret, ollamque pararet. Iste incidit in Colozynthidas, quæ est herba agrestis, similis labruscæ, seu viti sylvestri proferens fructus rotundos cucurbitæ similes, & amarissimos. Ratus esse cucurbitas concidit, misitque in ollam, & post coctionem apposuit suis. Cibo vix degustato conclamant omnes: *Mors in olla vir DEI*, suspicati herbas esse mortiferas. At Elisæus

X 2

missa

Sunamitidî
filium exorat.
Mortuum de-
inde ad vi-
tam revocat.
4. Reg. 4.
à v. 8.

Ollam ama-
ram reddis
dulcem.
4. Reg. 4.
à v. 38.

miffa in ollam farinula omnem mox amaritudinem abfterfit, ita ut deinde centum viri comederent.

Multiplicat
panes.
4. Reg. 4.
à v. 42.

Eodem famis tempore quidam opportunè attulit panes hordeaceos viginti; quos licet paucos Propheta juffit communi religioforum hominum centum menfæ apponi, panesque Dominus ita multiplicavit, ut non tantum omnes faturarentur, fed & reliquiæ fupereffent.

Securim facit
natate in
aqua.
4. Reg. 6.
à v. 1. ad 8.

Iidem filii Prophetarum probante Elifæo extruebant ad Jordanem novæ colonie domicilium, quia, uti ad ipfum dicebant, locus, in qua habitamus, coram te anguftus eft nobis. Dum ligna ad ripam Jordanis cædunt, uni securis de manubrio fugiens in fluvium incidit. De jaçtura lamentantem homo Dei confolatur, ac manubrium projicit in aquam. Et ecce! lignum recta incidit in foramen ferri, eoque fponde fe induit, ita ut natantem securim lignator manum extendens potuerit arripere.

Jofaphat mi-
rabilem re-
portat de
Moabitis vi-
çtoriam.
2. Par. 20.

Interea quintò poft expeditionem Moabiticam annò graviffimum bellum Judææ incubuit à Moabitis fortiffis vindictæ cupiditate concitatum. Nam ipfi & Ammonitæ & qui habitabant montem Seir, collecta infinita multitudine castra in regione Engaddi juxta mare mortuum pofuerant. Jofaphat accepto nuntio perterritus illicò jejunium prædicari juffit per univerfam Judæam, feque totum contulit ad rogandum Dominum in Templo Domini; quò etiam omnes de urbibus Juda venerunt ad deprecandum eum. Qui dum ftarent coram Domino cum parvulis, uxoribus, & liberis, Levitarum aliquis, fuper quem factus eft Spiritus Domini in medio turbæ Regem & populum in fperâ victoriæ erigens clamavit: *Nolite timere nec paveatis hanc multitudinem, non eft enim pugna veftra, fed DEI.* Ita bene animatus Rex poftero die contra hoftem egreffus in fronte exercitus conftituit Cantores, qui antecederent, & ad laudem Domini canerent Pfalmum: *Confitemini Domino, quoniam in æternum mifericordia ejus.* Sic inftrecta acie antequam ad manus veniretur, debellatum jam erat. Nam hoftes in femetipfos verfi mutuis concidère vulneribus, ita ut adventantium Judæorum unicus labor effet inter strata latè per terram cadavera colligere pretiofa fpolia, tamque multa, ut omnia portare non poffent, nec per tres dies auferre prædæ magnitudine. Quarto demum die reverfi funt, & Jofaphat ante eos, ingreffique funt in Jeru-
icm

lem in lætitia magna cum psalteriis, & citharis, & tubis in domum Domini.

Post duos ab hæc victoria annos dormivit Josaphat cum Patribus suis annò Regni vigesimo quinto, ætatis sexagesimo, & sepultus est cum eis in civitate David unus ex laudatissimis Regibus Juda. Reliquit septem filios, quibus singulis dedit multa munera argenti & auri, & pensationes cum civitatibus munitissimis in Juda, Regnum autem tradidit Joram, eò quòd esset primogenitus.

Josaphat moritur.
3. Reg. 22.
v. 51.
2. Par. 21.
v. 1.

Joram, Rex Juda.

Joram ut primùm se in Regno confirmatum vidit, occidit omnes fratres suos gladio. Deinde quòd iis vivis minimè ipsi impunè licuisset, excelsa in urbibus Juda fabricatus est, ambulavitque in viis Regum Israël, sicut egerat domus Achab, colendo nimirum Idola, & populum pervertendo seductus ab uxore Athalia Jezabelis filia.

Ab An. 9094.
Joram occisus fratribus suis Idola colit.
2. Par. 21.
à v. 2, ad 3.

In Israël necesse erat Regem semper in excubiis stare, ne subito obrueretur à Rege Syriæ Benadad; varias enim ipsi struebat insidias; quas quòd semper eluderet, in suspicionem venit Syrus, ne quis inter suos esset, qui sua eidem proderet consilia. At ubi comperit, Elisæum Prophetam esse, qui indicaret Regi Israël omnia verba, quæ loqueretur ipse in conclavi suo, Elisæum capere constituit: audiensque, eum esse in Dothan oppido haud procul à Samaria sito, misit illuc equos, & currus, & robur exercitùs nocte, qui vallarent urbem, civésque metu cogerent ad dendum Prophetam. Sciens istud Elisæus ipse manè egressus est, & à nemine Syrorum agnitus dixit; non esse in hac civitate, quem quærerent, secum irent, se ostensurum ipsis virum; duxitque imprudentes, & oculis captos in mediam civitatem hostilem Samariæ; ubi poterant à parata jam, & circumfusa civium, ac militum manu ad unum omnes contrucidari. At Elisæus apud Regem intercessit, ut cibo potúque priùs benignè habitos ad sua, & ad Regem suum dimitteret. Generosum facinus debuerat delinire Regem Benadad. At ipse beneficiò magis exasperatus cum exercitu Samariam venit, eamque fame aliàs factis exhaustam tam arcta, tamque longa obsidione premit, do-

Elisæus Samariam obsidione liberat.
4. Reg. 6.
à v. 8.
4. Reg. 7.

nec caput asini octoginta siclis, ac parum stercoris columbarum quinque venundaretur. In tota urbe quinque solummodo equi supererant, reliquis omnibus consumptis. Matres proprios filios devorabant, Clamatur ad Regem: *Salva me Domine mi Rex.* At ipse; *Non te salvat Dominus, unde te possem salvare?* videns denique Rex extremam calamitatem exarsit in Elisæum, ut qui fortassis antea pacis consilia Regi dissuassisset, opem è cælo adfuturam identidem promittens, qualis tamen non apparet rebus jam desperatis, juravitque: *Hæc mihi faciat DEUS, in-quiens, & hæc addat, si steterit caput Elisæi super ipsum hodie.* At statim mutavit sententiam, postquam Elisæus in crastinum diem modium similæ vilissimo pretio, uno nempe statere, in porta Samariæ venditum iri edixit. Promissis respondit eventus. Nam DEUS ea nocte sonitum fecerat audiri in castris Syriæ curruum, & equorum, & exercitûs plurimi, ita ut Syri existimantes adventarè cum Israëlitis Reges Hethæorum, & Ægyptiorum fugerent in tenebris, & dereliquerent tentoria sua, & equos, & asinos in castris, animas tantum suas salvas facere cupientes. Quod cum relatum esset in urbem ab exploratoribus, quos Rex miserat, egressus manè populus diripuit castra Syriæ, modiusque similæ statere uno venditus est juxta verbum Domini.

DEUS Regem
Juda ac po-
pulum gravi-
ter castigat.
2. Par. 21.
à v. 8.
4. Reg. 8.
à v. 16.

Eodem tempore Dominus peccata Regis Juda ac populi se-
verè castigavit. Nam inprimis Idumæi inde à Davidis tempo-
re vectigales defecerunt. Deinde Arabes & Philistæi in Judæ-
am irruentes, vastata fœdè regione diripuerunt omnem substan-
tiam, quæ inventa est in domo Regis; insuper & filios ejus uno
minimo natu Ochozia excepto interfecerunt. Ipse autem Rex
Joram percussus est à DEO alvi languore insanabili, ita ut pau-
latim per singulos dies vitalia egrederentur.

Elisæus Naa-
manum Sy-
rum sanat.
6. Reg. 5.

Sub idem tempus Elisæus illustri rursus miraculo Principem
virum sanavit. Is erat Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ,
vir fortis, sed leprosus. Habebat uxor ejus in famulatu ancil-
lam Hebræam parvulam, quam ex Israëlè captivam adduxerat
milites illi, qui ad comprehendendum Elisæum venerant in ter-
ram Israël. Hæc aliquando ajebat ad Dominam suam: *Utinam
fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, pro-
fectò curâset eum à lepra, quam habet.* Naaman his auditis ac-
cedit

cedit ad Regem Benadad, petitque commendatitias ad Regem Israël; profectusque cum multis muneribus magnoque comitatu defert ad Joramum litteras in hæc verba scriptas: *Cum acceperis epistolam hanc, scito, quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum à lepra sua.* Litteras legens Rex Israël scidit vestimenta sua, ajens: *Nunquid DEUS ego sum, ut possim occidere, & vivificare?* Conversusque ad suos: *Videte, inquit, quòd occasiones quarat adversum me.* Suspiciabatur enim Rex à se peti, ut lepram abstergeret; quod cum audisset Elisæus, Regi dici jubet. *Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse Prophetam in Israël.* Curatusque est Naaman, postquam se lavit septies in Jordane, ac insuper ad verum DEUM conversus.

In Judæa postquam Rex acerrimo viscerum dolore integrum biennium cruciatus fuisset, mortuus est in *infirmirate pessima, & sepultus est quidem in civitate David, sed non in sepulchro Regum.*

Ochozias, Rex Juda.

Ochozias unicus Jorami post interfectos ab Arabibus reliquos filius Patris exemplo ingressus est per vias domus Achab; *mater enim ejus impulit eum, ut impiè ageret.* At breve, unius nempe anni, Regnum ejus fuit.

Mortuus erat Benadad Rex Syriæ. Joram Rex Israël, apertum tempus hoc esse ratus recuperandi urbem & arcem Ramoth Galaad, quam ipsi Benadad eripuerat, exercitum unaque Ochoziam expeditionis focium illuc duxit. Hazaël novus Rex Syriæ acriter restitit, ita ut ipse Rex Joram multis vulneribus sauci bellum deserere cogeretur. Jussis igitur Ducibus, inter quos præcipuus erat Jehu, obsidionem porro urgere ipse interrim deportari voluit in Jezraël, donec curatis plagis rediret. Ochozias verò Jerosolymam reversus est. Diutius tenuit ægritudo Jorami, quam credebatur. Quare Ochozias ad eum invisendum Jerosolymis profectus est in Jezraël, ubi Jezabel sedulam ægri filii curam habebat.

Interea tempus, quo Dominus domum Achabi extincturus erat, advenit. Ergo Elisæus mittit unum de filiis Prophetarum

Joram moritur ex infirmitate pessima.

4. Reg. 8.

v. 24.

2. Par. 21.

v. 19.

Ab An. 3098.

Ochozias & ipse Idola colit.

4. Reg. 8.

à v. 25.

2. Par. 22.

à v. 1. ad 5.

Regem Israel invisit in Jezraeli.

4. Reg. 8.

à v. 28.

2. Par. 22.

à v. 5.

Jehu ungitur Rex Israel.

4. Reg. 9.
2. Par. 22.
v. 7.

tarum in urbem Ramoth Galaad, quam Duces Jorami interim expugnaverant ad inungendum Jehu in Regem Israël, addito DEI mandato, ut domum Achab stirpitis extirparet. Ingressus domum, in qua Duces exercitus Jorami considebant, sevocat Principem Jehu in interius cubiculum, ac eum in Regem Israël inungit, addens, quæ ipsi Elisæus dici mandaverat.

Ochozias, Joram, & Jezabel occiduntur.

4. Reg. 9.
à v. 11.
2. Par. 22.
v. 8. & 9.

Jehu egressus, & quid novi Propheta attulisset, interrogatus se jussu Domini unctum esse Regem super Israël apertè factus est; ad quas voces reliqui Duces divinitus excitati composito raptim ex palliis suis folio, eum in illo collocârunt, Regemque in exercitu voce, tubæque proclamârunt. Rex novus cautò prius, ne quis ex urbe profugus rem in Jezraël deferreret, relicta arcis oppugnatione, in quam Syri amissa civitate confugerant, celeriter cum exercitu movet in Jezraël, ubi adhuc erant duo Reges. Joram à speculatore monitus adventare Jehu cum globo militum, lætæque nuntia sperans cum Ochozia eidem in curru occurrit, quaritque, *pax est Jehu?* at ille: *qua pax? adhuc fornicationes Jezabel Matris tua & veneficia ejus multa vigent.* Territus hac voce Joram converso curru ad Ochoziam ait: *Insidia Ochozia*, volensque per agrum Naboth fugere, transfixus est à Jehu inter scapulas, & egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo. Mox Regem Juda quoque jam longius fugâ abreptum persequi jussit atque interfici; qui pariter accepto non uno vulnere mortuus est, posteaque à suis sepultus in Civitate David. Ipse verò Jehu ad portam Domus Regiæ contendit: ubi Jezabel audito ejus adventu *depinxit oculos suos sibi & ornavit caput suum*; respiciensque per Palatii fenestram his ingredientem verbis excepit: *Num pax potest illi esse, qui interfecit Dominum suum?* At Jehu suspiciens jussit scelestam ab astantibus Eunuchis præcipitari deorsum, ubi pedibus equorum protrita, ac deinde à canibus ex oppido instinctu divino concurrentibus ita fuit discerpta ut, cum Jehu maledictam sub prandio sepeliri præciperet, servi nihil invenirent, nisi calvariam, pedes, & summas manus. Hæc fuerunt tantùm initia tragœdiæ.

Tota domus Achab excinditur.

Erant in Samaria septuaginta filii tum Achab, tum Jorami, quos ex diversis uxoribus susceperant. Igitur continuo scripsit Jehu litteras ad Optimates Samariæ, scireque petiit, an se Regem

gem vellent, an aliquem ex filiis Achab? Illi missis Legatis se quæcunque ille imperasset, facturos esse respondent. Scripsit ergo secundas litteras, iussitque interfici 70. filios. eorumque capita postridie ad se in Jezraël afferri; id quod Præfecti urbis ac Optimates illa adhuc nocte præstiterunt. Necdum cædium finis. In Jezraël perquisiti sunt, qui Achabum consanguinitate vel affinitate contingerent, omnesque interfecti. Inde in Samariam profectus deprehendit in via latitantes in pastoritia quadam domo quadraginta duos filios fratrum Ochoziæ, qui cum ipso Jerosolymis venerant ad salutandos filios Jorami; quos omnes, utpote ex Athalia descendentes occidit. Samariam ingressus percussit ibi quoque omnes, qui quoquo modo Achabum, & Jezabelem attingerent. Demum tragœdiam clausit cæde Pseudo-Prophetarum, & Sacrificulorum Baal. Hos omnes ex universo Israël sub pœna capitis convenire iussit sub specie solennis Sacrificii Baal. Convenerunt ad unum omnes, & repleta est domus Baal. Qui dum sollicitè omnia ad Sacrificium parant, octoginti milites in templum immittit, qui stricto ferro punctim, casimque omnes trucidarunt. Postremo Idola Baalis tum, comminuit, tum combussit, fana ac templa destruxit, ac in probrosissimos usus, latrinas scilicet publicas, convertit. Itaque Jehu delevit domum Achab, ac Baal de Israël. Boni omnes sperabant post extirpatum Baalis cultum fore, ut Rex Jehu sublati quoque ex Dan, & Bethel vitulis aureis integram pietatem Regno Israël tandem restitueret. Sed expectationem fefellit, eosque conservavit perversis & ipse politicorum consiliis deceptus, existimantium, Regnum Israël sine vitulis stare non posse.

4. Reg. 10.
2. Par. 22.
v. 8.

Jehu, Rex
Israel.

4. Reg. 10. v. 35.

Joas, Rex Juda.

UT primum Jerosolymam allatus est nuntius de occiso Ochozia, Mater ipsius Athalia sarrexit, & interfecit omne semen Regium. Neque tamen crudelis, & impia totam domum David extinxit. Nam durante filiorum Ochoziæ carnificina soror Ochoziæ, & Jojadæ summi Pontificis uxor Josabetha natum minimum filium furata est de medio filiorum Regis, absconditque infantulum cum nutrice sua. Athalia stirpe Regia, ut putabat,

Ab An. 3105.

Joadas Pontifex unicuique è Davidis stirpe fureculum servat.

4. Reg. 11.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Y

de-

2. Par. 22.
à v. 10.

deleta, tyrannidem occupat sex annis, quibus collapsum in Israele Baalis superstitionem omni ope fovit in Judæa, atque amplificavit, dum interim Joas in secreto domus Domini cubiculo singulari Jojadæ, & Josâberthæ curâ educatur.

Joas septennis Rex Judæe proclamatur.
4. Reg. 11.
à v. 4.
2. Par. 23.

Cùm Joas septimum ageret annum Jojadas, quam pridem animò versabat curam in rem deducere magno animo statuit. Vocavit ergo ad se quinque de Levitis centuriones viros strenuos. His ostendit puerum Joam, suâque de inauguratione Regis consilia communicat, adjurans eos, ut rem secretam teneant. Horum industria ex omnibus urbibus Juda convenere plurimi Levitæ in Templum Domini, quid rerum ageretur ignari. Constituto deinde die omnes lanceis, aliisque armis ex armamentario Templi de promptis Jojadas instruxit, portasque iis designavit, ubi consisterent ad omnem vim, si opus foret, propullandam. Jussit quoque armatos cingere totum atrium Levitarum in eoque erigi suggestum, è quo Rex puerulus undique ex omnibus atriis conspiceretur. Rebus sic ordinatis, ac presentibus Principibus familiarum jam antea rei consciis produxit Summus Sacerdos puerum, regiisque insignibus ornatum, unicum Davidicæ stirpis surculum Regem inunxit inter plausus populi per omnia Templi atria clamantis: *Vivat Rex*. Excitata his vocibus Athalia è Regia accurrit, vidensque Regem stantem, & Principes, turmasque circa eum, omnemque populum gaudentem scidit vestimenta sua, clamavitque: *Conjuratio, conjuratio!* At jussu Summi Pontificis illico extra septa Templi per centuriones raptata prope regia equorum stabula interfecta est gladio; quod videns populus rediensque è Templo Domini irruit infanum Baalis, Sacerdotes ejus trucidavit, aras destruxit, simulacra contrivit, fanum ipsum à culmine dituit, ac solo æquavit. Rex verò cum insigni Principum ac Legionum comitatu in Palatium deductus *sedit super thronum Regium*, regnavitque deinceps quadraginta annis.

Jojadas adolescentem Regem ad omnem virtutem pietatemque instituit.

Jojadas sciens, quanti ad DEI gloriam, Regni que felicitatem momenti esset recta institutio Principis, adolescentem Regem ad omnem virtutem pietatemque informavit, eidem, ut par est credere Deuteronomium Legis explicando; qui etiam Sanctissimi Pontificis doctrinas, suæque meritis & amore Parentis monita sacutus est, *fecitque, quod bonum est coram Domino*

cunctis diebus Fojada Sacerdotis. Jehu interim, quod DEum cum vitulis aureis coleret, regnabat inglorius immò infelix. Rex enim Syriæ Hazaël non tantum populationibus vastavit Israël, sed eidem etiam Ramoth Galaad, & terras trans Jordanem sitas eripuit. 4. Reg. 8. v. 12. Id quod jam diu antè præviderat Elifæus, cum Damasci cum Hazaële tunc nondum Rege loqueretur, fierétque sciens, quæ factururus esset filiis Israel. Demum post viginti octo Regni annos *dormivit Jehu cum Patribus suis,* & regnavit Joachaz *filius ejus pro eo* Rex Israël undecimus.

In Judæa verò Rex totus erat in cultu DEI augendo. Sarta tecta Templi cum tempore hinc inde non leve vitium passa indigebant reparatione. Athalia quoque multis Templum ornamentis spoliârat, ut iis sanum Baalis ornaret. Igitur ut in statum pristinum splendorémque domus DEI restitueretur, Rex misit Levitas, qui per urbes, & oppida Judææ pro more colligerent pecuniam Lege Moysis ad usum tabernaculi ac postea Templi debitam; quod cum illi negligentius facerent, abrogata hac per Levitas pecuniam colligendi consuetudine nova constitutione voluit, ut in posterum subditi, cum alias ter per annum venirent in Templum Domini ipsi pretium afferrent à Moyse servo DEI constitutum: qua constitutione per Judæam promulgata Regis consilium probârunt, lætatiq; sunt cuncti Principes, & omnis populus, abiitque deinde constitutio in consuetudinem, quæ duravit usque ad tempora Christi. Itaque Jojadas præparavit arcam, seu Gazophylacium, aperuitque foramen desuper, posuitque eam juxta portam Domus Domini, per quam scilicet ex atrio Israëlitarum intratur in atrium Levitarum, breviq; tempore congregata est infinita pecunia; nam ii quidem, qui vigesimum annum impleverant, ex Lege dimidium sili quot annis pendere incipiebant: deinde multi ex voto, alii verò sponte offerebant donaria in Templi usum, inter quos fuit paupercula illa vidua, quam Dominus *Luca 21.* vidit mittentem æram minuta duo. Ex his ergo pecuniis restauravit Domum Domini, mercedem acceperunt artifices, cæsores lapidum, fabri & aris, ex reliqua pecuniarum parte facta sunt vasa Templi in ministerium, & ad holocausta, phialæ quoque, & cætera vasa aurea, & argentea. Joachaz interim secutus est peccata Jeroboam colendo vitulos aureos, unde iratus est furor Domini contra Israël, & tradidit:

4. Reg. 12.
v. 1. 2. 3.
2. Par. 24.
v. 1. & 2. &
4. Reg. 10.
à v. 32.

Joachaz, Rex
Israel.

Joas cultum
DEI restituit,
& Templum
instaurat.
3. Reg. 12.
2. Par. 24.
& 4. Reg. 13.
à v. 1. ad 8.

eos in manu Hazaël Regis, & deinde Benadad Regum Syriae; qui aded attriverunt Joachaz Regem, ut tantum ipsi superessent quinquaginta equites, decem currus, & decem millia pedatum.

Jojadas moritur, & sepelitur in sepulchris Regum.

2. Par. 24.

v. 15. & 16.

Mortuo Jojada faciem

mutat Judæa,

& Joas in

prælio vulneratur.

4. Reg. 12.

à v. 17.

2. Par. 24.

à v. 17.

In Judæa denique senuit Jojada plenus dierum, & mortuus est, cum esset centum triginta annorum, sepultusque in civitate David cum Regibus; dignus profecto tanto honore, utpote de Rege, de Republica sacra & profana optimè meritis.

Mortuo Pontifice mutavit faciem Judæa Principum, auctorumque animi jam dudum pruriebant ad lucos repetendos, quos sub Joram, Ochozia, & Athalia frequentaverant. Verum vivente Jojada simulanda erat Religio. Postquam verò obiit, petierunt à Rege, liceret sibi lucos, & fana, quæ ipse Rex destruxerat, restituere: nec desisterunt, donec Rex precibus fatigatus, eorumque delinitis obsequiis sacrilegæ voluntati acquievit. Ergo *impii dereliquerunt Templum Domini DEI Patrum suorum, servièruntque lucis & sculptilibus.* Restiterunt Prophetæ, quos DEUS mittebat; hortati sunt, ut reverterentur ad Dominum; clamârunt contra Idololatriam à Rege toleratam, à Principibus, & populo frequentatam. *At illi protestantes audire noluerunt.* Zacharias præcipuè Jojadæ filius impietatem redarguebat; quod cum fortè in conspectu populi ardentius faceret, congregati adversus eum *miserunt lapides juxta Regis imperium in atrio Domus Domini,* atque inter Templum, & altare occiderunt. Itaque Dominus non ampliùs distulit iram super Judam, & Jerusalem, Syrique attrita jam Israël etiam Judæam invaserunt. Joas quidem eis obviam cum exercitu progressus est. At licet permodicus venisset numerus Syrorum, tamen *tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem* interfectis cunctis Principibus populi, *ed quod dereliquissent Dominum DEUM Patrum suorum.* Dùmque Hazaël parabat ipsam etiam Regiam urbem Jerosolymam obsidere, Joas, ut obsidionem redimeret, *collegit universum argentum,* quod inveniri potuit in thesauris *Templi Domini,* & in palatio Regis, misitque Regi Syriae, & tunc primùm recessit ab Jerusalem. Joas verò ex acceptis in prælio vulneribus, aliisque accedentibus languoribus lecto affigitur: ubi divina judicicia agnoscens sine dubio præteritarum culparum pœnitentiam egerit, eamque fructuo-

tuosam; & Prophetæ, Rege annuente, aliique viri pii idololatricâ exterminatâ pietatem pristinâ dignitati restituerint; præferim eum cuncti Principes illi impii cultûs restauratores Syrorum gladio occubuissent.

Interim Joachaz bello à Syriæ Regibus cunctis diebus suis pressus suadente sine dubio Elisæo *deprecatu* est faciem Domini, & *audivit eum Dominus; vidit enim angustiam Israël*, quia attriverat eos Rex Syriæ, & dedit Dominus salvatorem Israël, nempe filium ejus Joaz, qui Patre mortuo regnavit duodecimus Rex Israël. Contra Joas verò Regem Judæ, postquam languores ac cruciarus corporis ultra duos annos jam tolleraverat, *surrexerunt servi duo in ultionem sanguinis filii Jojada Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est, sepultusque in civitate David, sed non in sepulchris Regum, fortassis ob pessimam infirmitatem*, ob quam olim etiam Joram hac funebri pompa caruit. Successit ei Amasias filius.

Joas in lectulo suo occiditur.

4. Reg. 12. à v. 20.

2. Par. 24. à v. 25.

4. Reg. 13. à v. 4. ad 10.

& 4. Reg. 13. à v. 22.

Joaz, Rex Israël.

Amasias, Rex Juda.

Amasias primis duodecim Regni annis partes boni ac pii Principis omnino impleverat: ita enim laudatur à Scriptura, ut tantum non Davidi æquiparetur, dum ait: *Fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David Pater ejus, verumtamen non in corde perfecto.*

Rex Joaz licet ambularet in viis Jeroboam, tamen DEO Regnum Israël, quod jam tum noluerat delere, miserante, aliquot annos à crudeli Syrorum vexatione respiravit, immo vires collegit, ut demum ipso bello invaderet animatus ab Elisæo moriente. Magnus hic vir postquam tempore quinque Regum Israëlitarum, Achabi, Ochoziæ, Jorami, Jehu, & Joachaz prophetasset, isto regnante demum ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Cum apud hunc, uti apud cæteros Reges licet vitulorum cultores in magno pretio esset, Rex è palatio descendens decumbentem invisit in domo, quam habebat in Samaria, flevitque coram eo. Æger, ut Regem consolaretur, ei tres insignes contra Syros victorias pollicitus est per Symbolum emisarum sagittarum.

Ab An. 3145.

Amasias primis Regni annis bonus Princeps.

4. Reg. 14. à v. 1. ad 7.

2. Par. 25.

Elisæus moriens Joaz Regi victorias prædicit.

4. Reg. 13. à v. 14.

Motus
mortuum in
vitam revo-
cat.

4. Reg. 13.
2. v. 20.

Elifai Pro-
phetia imple-
tur.

4. Reg. 10.
v. 25.

Amasias vin-
cit Idumæos,
at vincitur à
Joaz, & malè
habetur.

4. Reg. 14.
2. v. 7.

23. Par. 25.

Atque hæc fuit ultima Prophetia; nam brevi mortuus, at-
que in agro suburbano sepultus est. Verùm qui in vita sua fe-
cit monstra, etiam in morte sua mirabilia operatus est. Non
diu post mortem viri DEI Moabitæ quidam latrunculi transmif-
so Jordane circa Samariam prædas agebant; contigit, ut eodem
die mortui hominis cadaver in eundem agrum, ubi jacebat Eli-
fæus, efferretur. Vespillones visa haud procul militari turma,
territi sarcinam in Elifai sepulchrum casu tunc, cùm transirent,
apertum injiciunt, ac se in fugam dant. At ecce! vix cadaver
ossa Elifai terigit, revixit homo, & *stetit supra pedes suos.*

Joaz non diu post vaticinium Elifai Syros bello aggressus,
victo triplici prælio hoste, intra paucos annos recepit urbes,
quas Hazael Regno Israelis ademerat, sola Regione trans Jorda-
nem in Syrorum potestate remanente, quæ filio suo Jeroboam
post ipsum regnatura servabatur.

Amasias quoque contra Idumæos, qui ante annos ferè se-
xaginta à Judæa defecerant, bellum paravit, recessitque à vi-
ginti annis juvenum trecenta millia de Judæa. Insuper mercede
conduxit centum millia robustorum de Israël centum talentis
argenti; qui cùm se jam conjunxissent exercitui Judæorum, qui-
dam homo DEI (creditur fuisse frater Amasias, & Pater Itaiæ
Prophetæ) monuit Regem, ut hos dimitteret: *non est enim,*
ajens, Dominus cum Israël. Reponente Rege, sic perditæ esse
centum talenta, quæ jam distribuisset militibus Israël, dixit Pro-
pheta: *habet Dominus, unde tibi dare possit multò his plura.*
Dimisit ergo Israëlitas, & cum suis solis in valle Salinarum pro-
pè mare mortuum pugnavit ita feliciter, ut decem millia hosti-
um in prælio caderent, decem millibus de alta quadam petra
præcipitatis. Verùm Amasias domum reversus victoriam cor-
rupit incredibili erga DEum ingratitude. Inter reliquam
prædam etiam Idumæorum Deos, ac simulacra, propter pretium
nempe aut artificium conservata Jerosolymam reportavit; hos
postea instigante dæmone, & fortè in eis responsa reddente, de-
mens statuit Deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incen-
sum: neque audist Prophetam fratrem suum ob id reprehen-
sus, ut potius iratus ei diceret: *num consiliarius Regis es? qui-
esce, ne interficiam te.* Ad hæc Israelitarum etiam in se iram
concitavit. Victoria enim contra Idumæos relata, elatus ausus
est

est Regem Joaz palmis longè majoribus contra Syros clarum provocare eique per Legatos dicere: *Veni, videamus nos mutuo*, sperans nempe se Victorem fore, quòd antea à Propheta audisset, DEum non esse cum Israël, quasi DEus non jam etiã ab ipso esset alienus. Joaz per apologum se cedro, & ipsum carduo Libani comparans contemptim respondit, simulque à bello dehortatus est. At noluit Amasias, eò quòd DEI esset voluntas, ut tradatur in manus hostium propter Deos EDOM. At brevi superbiam posuit. Nam commisso ad oppidum Judæ Bethsames prælio percussus est Juda coram Israël, & Amasias à suis desertus in hostis potestatem venit. Jerosolymam adductus amore vitæ, quam aliàs perdidisset, civibus persuasit, ut hostem admitterent. Ubi assensi sunt, Joaz ut quasi triumphans urbem intraret, muros Jerosolymæ dejecit ad cubitos quadringentos à porta nimirum Ephraim usque ad portam Anguli. Per hunc hiatus ingressus, thesauros sacros, prophanosque abstulit, Regem subditosque sibi fecit vectigales: utque tributum suis temporibus ex fide persolverent, præcipuarum familiarum filios obsoles acceperit.

Qua quidem victoria haud diu frui potuit Rex Joaz; nam Samariam reversus hoc ipso anno mortuus est, Regnumque ac thesauros filio suo Jeroboamo reliquit, qui fuit decimus tertius Rex Israëlitarum, cui cum Jonas Propheta hoc tempore florens, victorias prædixisset, inchoatum à Patre suo bellum contra Syros strenuè promovit, eisque non tantum Regionem Galaad trans Jordanem eripuit, sed multis præliis fatigatos omnibus iis terris spoliavit, quæ à civitate Emath ad radices montis Libani sita usque ad mare mortuum versus meridiem protenduntur, quarum quidem victoriarum causa non fuit pietas, aut fortitudo Jeroboami, cum & ipse cum Partibus suis vitulorum impietatem sectaretur; sed DEI commiseratio in Regnum Israël, istud tunc necdum delere volentis.

Amasias post acceptam à Joazo cladem quindecim quidem annos superstes vixit, sed inglorius, neque ausus est inflicitam suo, ac Judaicæ gentis nomini maculam, damnâque reparare, & Regnum ab Israëlitarum servitute liberare; quæ fortassis causa fuit, cur obsidum cognati, ac amici in ipsius caput Jerosolymis conjurarent. Fugit quidem in Lachis urbem munitam; verum

Jonas Israël.
victorias
prædicit.
4. Reg. 14.
à v. 23.
Jeroboam,
Rex Israël.

Amasias occiditur.
4. Reg. 14.
v. 19. & 20.
2. Par. 25.
v. 27. & 28.

verum cum conjuratorum magnus esset numerus, atque potentia, nihilominus eum ibi occiderunt, reportantisque super equos sepeliunt eum eum Patribus suis in civitate David; merito tamen creditur, eum ad se reversum Idolorum cultum abjecisse; praesertim, quia in Regno filii ejus Ozias non legitur, quod sui Patris Idola sustulerit.

Ozias, Rex Juda.

Ab An. 3174.

Ozias domi
forisque mul-
ta praeclearè
agit.

4. Reg. 14.
v. 21. & 22.
& à v. 25.
4. Reg. 15.
v. 1. 2. 3. 4.
2. Par. 26.
à v. 1. ad 11.

SEPulto Amasia ab universo populo filius ejus Ozias annos natus sexdecim constitutus est Rex. Profuit juveni, secum habuisse Zachariam Prophetam. Cum enim sanctis ejusdem doctrinis imbutus requireret Dominum, direxit eum in omnibus, ita ut domi, forisque praecleara ageret. Domi quidem Ierosolymam firmavit turribus, & muris, & si forsitan id Pater ejus neglexit, primo omnium reparavit illam murorum partem, quam Ioaz Rex Israël destruxerat. In turribus quoque diversi generis machinas collocavit, quibus sagittae & saxa grandia in oppugnantes ejici possent. Ubi verò vigesimum aetatis annum, quo Hebraei militiae idonei censebantur, agere coepit, coegit exercitum trecentorum millium, quibus distribuit clypeos, & hastas, & galeas, loricas, arcusque, & fundas ad jaciendos lapides. Toti verò exercitui praefecit Duces bis mille & sexcentos omnes viros fortes. Cum his contra Idumaeos egressus recuperavit ab eis urbem Elath, & ditioni Iudae restituit. Sequentibus annis crebras obtinuit victorias contra Arabes, & Ammonitas, quos denique debellatos tributum sibi pendere coegit. Philistaeis eripuit tres celebres urbes Geth, Iambiam, & Azotum, quas deinde muris exutas in pagi formam redegit; contra in terris Philistaeorum alia oppida munivit ad eos intra fines suos coercendos. A gravioribus belli, Regnique negotiis liber levabat animum faciliore, ac amoeniore ruris cura; extruxit enim turrets etiam in solitudine praeter casas, & tuguria ad tutelam videlicet ovium & pastorum. Effodit quoque cisternas plurimas, eò quod haberet multa pecora. *Agricolas quoque habuit, & vineas, & vitatores in montibus, erat quippe homo, ut ait Scriptura, agricultura deditus.* Ieroboam Rex Israël interea, postquam quadraginta & unum annos regnans restituisset terminos

Isra-

Israël, mortuus est. 4. Reg. 14. à v. 25. Et quidem successit Zacharias filius, sed primum post undecim annos, quibus interregnum fuit ob civiles de Regni successione contentiones.

A tempore Samuelis Prophetarum facta atque oracula solebant inferi communi historiae temporum, nunc verò regnante in Iuda Ozia ipsi coeperunt scribere suas Prophetias, & originali in tabulario Domus Domini pro posteritate depositò, in libris publicas reddere. Porro ejusmodi Prophetæ universim fuere sedecim; è quibus duodecim minores dicuntur, quòd eorum Prophetiæ nonnisi uno libro contineantur. Quatuor majores, qui singuli suos scripserunt libros integros. Minores sunt Osea, Joël, Amos, Abdia, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Majores Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Qui regnante Ozia coeperunt prophetare, fuerunt Jonas, Osea, Joël, Abdia, Isaias.

Jonas quidem, qui jam olim Jeroboamo felicia contra Syros bella prædixerat, hoc tempore ad Ninivitas Prophetæ à DEO destinatus fuit. Circa annum ter millesimum centesimum vigesimum, cum Arbaces Medorum Rex tertium jam annum Assyriorum Metropolim Niniven obsidisset, Sardanapalus ultimus Assyriorum Rex spe omni salutis & servandæ urbis abjecta, ne in hostium veniret manus, gazam opesque regias, Eunuchos, gregem mulierum, seque ipsum in accensam in palatio pyram conjecit, flammisque absumpsit, totamque adeò urbem tum incendio, tum ruinâ deformatam cum toto Assyriæ & Babylonie Regno hosti reliquit: quo casu concidit quidem Regnum Assyriorum, quod à Belo mille & trecentos annos steterat, & ad Medos Arbacemque rerum summa pervenit; tamen aliquanto post intervallo iterum surrexit; nam exolescentibus paulatim Medis & propter ignaviam, ac molliem eorum inclinante fortuna defecerunt primò quidem Assyrii Duce ac Principe Assyrio Phul, qui adeò primus novi imperii Assyriorum Rex fuit: deinde etiam Babylonii, qui proprium quoque Regem Belochum habere coeperunt. Restaurata tum ante, tum regnante Phul urbe in pristinam libertatem restituti Ninivite in pristina quoque vitia ruere coeperunt, obliti jam calamitatis, quam sub effaminato Rege Sardanapalo civitas passa erat, adeò ut DEus eam omnino excindere statueret. Verum, qui non Hebræorum tantum, sed

Prophetæ incipiunt scribere suas Prophetias.

Jonas hortatur Ninivitas ad penitentiam.

Jonas c. 1. 2. 3. 4.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Z

etiam

etiam gentium DEUS semper fuit, noluit planè eos deserere, sed prius opportuno tempore ipsis aliqua salutis præsidia largiri. Igitur ex Israël Jonam Prophetam illuc destinat ad prædicandam civibus pœnitentiam. At iste hanc missionem sibi difficilem, ac uti putabat, periculofam subterfugit, atque è Patria per mare in Tharsis fugere constituit. Discessit igitur in Joppen mediterranei maris portum, ubi conscensa navi vela fecit in Græciam. In medio navis cursu excitatur divinitus tempestas. Gubernator suspicatus ventos & fluctus ob alicujus in navi culpam desævire, hortatur ad preces reliquos, deinde etiam Jonam in inferiore navi dormientem. Cùm nihilominus tempestas nihil remitteret, reum sorte deprehendere conatur, ceciditque fors super Jonam. Eum itaque tulerunt nautæ, ac minimè invitum miserunt in mare; quod mox quievit. Illi navigantes, laudantesque Hebræorum DEum credebant dudum periisse Jonam. At Dominus, cùm injiceretur, præparavit piscem grandem, qui ore & stomacho receptum trium dierum, atque noctium remens itinere ad Joppen reportavit, atque in aridam evomuit. Inde post acceptum iteratò mandatum jam DEO obsequentior in Niniven contendit. Erat Ninive civitas magna itinere dierum trium. Jonas igitur ingressus tertiam urbis partem concionabundus obambulavit, crebrò in vicis & plateis subsistens, clamansque; *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Fuitque admirabilis Verbi DEI efficacitas; nam *crediderunt viri Ninivite in DEum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Ipse Rex Phul *surrexit de solio suo, & indutus est sacco, & sedit in cinere,* indixitque pœnitentiam edicto regio. Et DEUS pro sua misericordia tunc quidem pepercit civitati Jonæ, qui extra urbem sub tugurio everfionem urbis exspectaverat, frustra propterea cum DEO ex postulante.

Oseas prophetat per
14. capita.

Oseas decem Tribubus vaticinatus est captivitatem, Deique jussu in uxorem accepit fœminam antea meretricem ad significandam spiritualem populi Isaaëlitici fornicationem per Idolatriam à DEO. Filiam ex ea natam vocavit *absque misericordia; Filium non populus meus.* Sub quo ænigmate intelligerent decem Tribus se penitus à DEO abjectum iri, nec ampli-

ds fore populum ejus, nec misericordiam post obstinatam tot annorum pervicaciam aliquando consecuturas.

Joël Tribubus Juda & Benjamin captivitatem Babylonicam prædixit, easque ad poenitentiam hortatus est: Prædixit quoque adventum Messiae, & Spiritus Sancti per eum mittendi, & ultimi judicii diem, locumque congregatis omnibus gentibus in valle Josaphat futurum.

Joël per 3.
capita.

Amos ex pastore Propheta contra Damascum Philistæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas prophetavit, eisque ob sua scelera, & præcipuè ob mala, quæ fecere populo DEI, gravissimas minas, ac supplicia intentavit, ab Assyriis nimirum postea infligenda; Prophetavit etiam contra peccata Judæ, & maxime Israëlitarum, quibus etiam denunciavit vicinam captivitatem Assyriacam.

Amos per 9.
capita.

Abdias prophetavit contra Idumæos, quibus non solum prædixit exitium, sed etiam illius causam, quia videlicet tempore captivitatis Babylonicæ futuri essent socii Chaldæorum contra filios Israël.

Abdias per
unum caput.

Isaias è stirpe regia Judæorum inprimis graviter castigat peccata tum præterita, tum futura Principum & populi Judaici. Deinde per sexaginta sex capita prophetavit de futuris rebus, de adventu Christi, de nativitate ejus ex Virgine, de vita, prædicatione, regno, de miraculis, de passione, de sepultura, ac aliis mysteriis, ut Evangelista potius, quam Propheta fuisse videatur. Scripsit etiam de vocatione Gentium, & de gloria Ecclesiæ.

Isaias per 66.
capita.

In Israël vicit denique Zacharias Jeroboami filius, thronumque undecim annis vacuum conscendit. Sed quòd adversa pars necdum quiesceret, conjuratione facta post sex menses à Sello Regni Candidato interfectus est. Atque ita etiam familia Jehu sceptrum amisit, quod in præmium deletæ domus Achab ultra centum annos tenuerat. Sellum nec tam diu regnavit; nam post unum mensem Manhaen regii exercitus Ductor ei vitam & sceptrum eripuit, ita ut uno anno tres Reges in Israël regnarent, magno collabentis Reipublicæ argumento. Manhaen, ut usurpatum propria autoritate Imperium contra discordem tanto jam tempore, sibi que infensum ob crudelitatem in quosdam cives populum stabiliret, ad externa confugit auxilia, & Regem Assyriorum Phul recentibus victoriis celebrem ac formidandum

Assyrii primò
veniunt in
terram Israel.
4. Reg. 15.
2 v. 8.

Zacharias,
Rex Israel.
Sellum, Rex
Israel.
Manhaen,
Rex Israel.

midandum evocavit in Israël, ut esset ei in auxilium, & firmaret Regnum ejus; qui quidem non diu moratus est in terra Israël, sed acceptis in tributum mille argenti talentis, quæ potentes ac divites Israelitæ contribuerunt, in Niniven reversus est.

In Judæa Rex Ozias cum ferè totos quinquaginta annos clarus victoriis, feliciter regnasset, omnem gloriam sacrilego ausu corrumpit. *Num. 3. v. 10.* Filio ipsius Joathan natus erat filius Achaz. Ozias nepote auctus, dum post quadragesimum diem puer in Templo offerretur, ipse Tempulum ingressus præ gaudio voluit in solenni Sacrificio adolere incensum super altare thymiamatis. Resisterunt Azarias summus Pontifex, & octoginta alii Sacerdotes præsentis. Ozias verò tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, *minabatur Sacerdotibus.* At confestim adfuit supplicium, nam statim orta est *lepra in fronte ejus*, quam sentiens illicò è Domo Domini egressus, atque ab hominibus deinceps separatus *habitavit plenus leprâ usque ad mortem*, Regnum administrante filio Joathan.

In Israël Manhaen, postquam decem Regni annos ambulavit per vias Jeroboam, mortuus est, regnavitque Phazeia filius pro eo. Sed nec iste recessit à peccatis Jeroboam. Cumque bienniò regnasset super Israël in Samaria, Phazece Dux militum cum conjuratis eum in turre domus regis, in quam confugerat, occidit, regnavitque deinceps pro eo viginti annis decimus octavus Rex Israël. Non diu post etiam Ozias Rex Juda, cum quinquaginta duos annos regnasset, mortuus & sepultus est in civitate David, in agro quidem Regalium sepulchrorum, *sed non in sepulturis Regum, eò quòd esset leprosus. Fecit quòd placitum erat coram Domino, exceptò scilicet Templi ingressu sacrilego.*

Cum primo sequentis Regis Joathan anno prophanarum rerum certior historia initium duxit; quo scilicet in Græcia certamina seu celebres ludi Olympici restituti sunt. Quæ enim prophani Scriptores de priorum temporum rebus narrant, multarum fabularum admittione, temporumque confusione conscripta esse deprehenduntur. Ab isto verò anno deinceps rerum gestarum tempora accuratè numerantur per ludos Olympicos, seu Olympiades, quæ singulis quinque annis redibant; quæ quidem tempora ac res gestas designandi ratione non solum Græci olim

Ozias leprâ
percutitur.
4. Reg. 15.
v. 5.
2. Par. 26.
à v. 16.

Ozias mori-
tur.
4. Reg. 15.
à v. 22.
2. Par. 26,
à v. 21.
Phazeia Rex
Israël.
Phazece Rex
Israël.

Initium
Olympia-
dum.

olim usi sunt, sed nunc etiam alii Scriptores, sacri quoque, utuntur. Iste igitur primus est annus primo Olympiadis.

Joathan, Rex Juda.

Viginti quinque annorum erat Joathan, cum regnare coepisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem *fecitque, quod erat placitum coram Domino: verumtamen excelsa non abstulit.* Quæ Scripturæ reprehensio fuit ipsi cum laudatissimis Regibus communis, quorum nullus à tempore Salomonis ausus est excelsa destruere ac prohibere, ne populus in locis hujusmodi amœnioribus immolaret, & DEO adoleret incensum. Primis statim Regni annis instauravit, & splendidiorem reddidit Templi portam præcipuam orientalem. Magnam deinde muri partem in urbe construxit cum opportunis propugnaculis, & urbis ornamentis. *Urbes quoque edificavit in montibus Juda, & in saltibus castella & turres.*

At in Israël coepit Dominus tandem seriò ulcisci tam diurnam Regum & populi impietatem. Mortuus erat Phul Rex Assyriorum, cui Manhaën tributum annum pendere consueverat. Istud exspectavit etiam filius, qui Patri successerat, Thelath Phalassar. Quod quia negabat novus Rex Israël Phazee, venit Assyrius cum exercitu per viam, quam ante non multos annos Israëlita ipsi suo Patri monstrarant, & occupata magna Regni parte non tantum trans, sed & cis Jordanem ex Tribu Ruben, Gad, Manasse, & Nephtali transtulit secum in Assyriam plurimas familias, nunquam amplius ad sua redituras.

Quo tempore Michæas prædixit secururam non diu post reliquarum quoque Tribuum captivitatem. Nec mitiora vaticinatus est contra Judam, dum ait: *Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Nam Joathan quidem erat pius Princeps, non autem populus, qui corruptis erat moribus, atque Idolis clam hinc inde serviebat. Promittit tamen latum per Cyrum è Babylonia reditum, & lætiorum adventum Christi, & nativitatem in Bethlehem, Gentiumque conversionem ad Ecclesiam DEI.

Joathan anno Regni sui circiter nono feliciter pugnavit contra Ammonitas, imposito in singulos annos tributo centum argen-

AbAm. 3228.

Joathan pius Princeps instaurat Templi & urbis ædificia.

4. Reg. 15.

à v. 33.

2. Par. 27.

Assyrii secundo veniunt in terram Israël.

4. Reg. 15.

à v. 29.

Michæas propheta per 7. capita.

Joathan feliciter pugnat

contra Am-
monitas &
moritur.
2. Par. 27.
à v. 5.
4. Reg. 15.
v. 37. 38.

argenti talentorum præter decem millia coros tritici, & totidem coros hordei. At post paucos annos ipsemet bello appetitus est tum à Rege Syriæ Razin, tum à Rege Israël Phazeë, qui Regnum Juda hostilibus excursionibus infestare cœperunt, ut scilicet damna ab Assyrio Regnis suis illata Judæorum clade repararent. Quamquam Joathan brevi à DEO subtractus est, ne mala Judææ imminetia videret; nam paulò post cœptum bellum dormiuit cum Patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate Patris sui, & regnavit Achaz filius ejus pro eo.

Achaz, Rex Juda.

Ab An. 3242.

Achaz Rex
impus à Re-
gibus Syriæ
& Israël ma-
gnâ clade af-
ficitur.

4. Reg. 16.
à v. 1. ad 7.
2. Par. 28.
à v. 1. ad 16.

Viginti annorum erat Achaz, eum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem. Ambulavit in via Regum Israël. Imò Reges omnes anteriores tum Juda tum Israël impietate superavit. Unde gravissima mala Regnum Juda ferre debuit propter Achaz, eò quòd *contemptui habuisset Dominum*. Nam primo statim anno *tradidit eum Dominus DEUS ejus in manus Regis Syriæ Razin*, qui percussit eum, magnamque prædam cœpit de ejus imperio, & adduxit in Damalcum. Majorem adhuc cladem accepit à Rege Israël Phazeë; *occisa enim sunt de Juda centum viginti millia in die uno omnes viri bellicatores, ducenti verò millia mulierum, puerorum, & puellarum cum infinita præda capta sunt, & perducta in Samariam*. Quibus quidem Obed Propheta saluti fuit. Hic enim adventanti cum præda & captivis militi occurrit, Ducibusque persuasit, ut captivos ad unum omnes liberos, & comeatu liberaliter instructos ad sua remitterent.

Contra duos
Reges Assyri-
um evocat.
4. Reg. 16.
à v. 7.
2. Par. 28.
à v. 16.

Reges Syriæ & Israël non contenti duplici clade castigasse Achazum ob amicitiam potissimum, quam habebat cum Rege Assyrio, hoste suo, junctis consiliis atque copiis conantur ei etiam coronam detrahere, alterique Principi filio Tabeel imponere. *Is. 7. v. 6.* Quem in finem conjunctos exercitus Jerosolymæ admovent, eamque obsidione cingunt. Trepidante omni Jerosolyma Isaias jussu DEI Regem accedit de auxilio ex Assyria petendo deliberantem, eumque sine metu esse jubet, nihil esse à duobus Regibus timendum, ipsomet brevi perituros; spem suam potius in Domino poneret, quam in Rege Assyriorum. Quòd.

Quodsi verbis suis non credat, signum petat à DEO, qui confirmaturus esset, quod diceret. At noluit Juvenis Rex, misitque nuntios ad Theglath-Phalassar Regem, per quos auxilium his verbis postulavit: *Servus tuus, & filius tuus ego sum: ascende, & salvum me fac de manu Regis Syria, & de manu Regis Israël, qui consurrexerunt adversum me.* Assyrius tam submissis Achazi precibus, tum etiam munerum promissione incitatus cum exercitu venit in Syriam, eamque latè populatur; quo audito Razin relicta oblidione Jerosolymæ ad defensionem Regni sui accurrit; ubi autem prælio ab Assyrio superatus occubuit, ac ipsi Damascum occupandam ac diripiendam reliquit. Phazee à socio desertus, & ipse reversus est in Samariam; ac non diu post ab Osee uno ex conjuratis Ducibus per insidias occisus est juxta verbum Isaiaë. Post eum hic ipse Osee decimus nonus & ultimus Rex Israël regnavit octodecim annis, sed interruptis.

Osee, Rex
Israël ultimi-
mus.

Achaz ut Regi Assyriorum gratias redderet, spoliata Domo Domini, & Domo Regum, ac Principum, profectus est in Damascum, ac ipsi muneris loco ingentem vim auri, argentique attulit; quæ tamen profusio nihil ei profuit; nam Assyrius nihilominus affixit Achazum, & nullo resistente Jerosolymam & Judæam postea vastavit. Interim dum Achaz cum Assyrio Damasci moratur, vidit in templo altare Diis Syrorum erectum; quod cum summopere ob artificium æstimaret, misit illius exemplar Jerosolymam ad Uriam Summum Pontificem; jussitque illi omnino simile in Templo Domini excitari, sancto illo veteri æreo in alium locum amoto, ac super illud fieri consueta sacrificia. *Fecitque Urias juxta omnia, quæ praeceperat Rex Achaz;* ut Damasco redux illud venerari, in eoque ipse Sacrificium suum offerre posset.

Achaz Assy-
rio gratias
refert.
4. Reg. 16.
à v. 8.
2. Par. 28.
v. 21.

Rebus interim Damasci compositis Achaz Regem Assyriæ honoris causâ Jerosolymam deduxit, ac qua potuit magnificentiâ hospitem excepit. Verùm brevi hostem sensit, quem amicum quæsierat. Nam non nisi prius vastatâ, pecuniisque exhaustâ Judæâ, imposito insuper annuo tributo in Niniven reversus est.

At brevi ho-
stem sensit.
4. Reg. 16.
v. 18.

Qua re afflictus Achaz indignationem, quam non poterat in Assyrium, insanus in DEum effudit; diripuitque omnia vasa Domûs DEI, atque confregit, clausitque januas Templi DEI,

Achaz ubique
erigit aras

ut

Idolis, & portas Templi claudit.

4. Reg. 16.
2 v. 12.
2. Par. 28.
2 v. 22.

ut à nemine coli posset. Econtra jussit statuas Baal fundi, erigi altaria in universis angulis Jerusalem, uti & in reliquis urbibus Juda, in excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso ad creandum thus Diis alienis. Ipse per se Rex immolavit Diis Damasci victimas. Ipse est, qui adolevit incensum idolo Ammonitarum, & lustravit filios suos in igne juxta ritum Gentilium. Ob quæ scelera post Assyrium etiam Idumæi venerunt in Regnum Juda, & percusserunt multos, & cœperunt prædam magnam. Secuti sunt Philistæi, qui aliquot Judæ urbes campestris ad meridiem sitas cum pagis suis nemine resistente occuparunt, & habitarunt in eis. Mala ab hostibus Regno illata ipse Achaz postea auxit, dum pauperes, viduas, pupillos, ut impositum vectigal Assyrio mitteret, exactionibus oppressit, veluti Isaïas conquestus est.

An. 3245.

Roma conditur.

Roma conditur, futura aliquando prima Religionis sedes, & Magistra Veritatis. Conditor fuit Romulus juvenis ex Latinorum Regum sanguine progenitus, cui cum Numidor Latinorum Rex ac Romuli avus intra fines sui Regni amplum terræ spatium, quod postea Romanus ager dictus est, concessit, Romulus invitatis multis ex Regno Numidoris tum Nobilibus, tum plebejis, vicinisque accolis locum condendæ urbi designavit, ac postea mœnia, fossam, ac domos moliri cœpit; quibus ad præsentem necessitatem utcunque perfectis à populo Rex salutatus constituto Magistratu Rempublicam ordinavit, his quidem initiis angustam, cum tempore autem futuram Orbis Dominam.

Achaz moritur.

4. Reg. 16.
v. 20.
2. Par. 28.
v. 27.

In Israël interim res tum propter abductas jam antea quinque Tribus, tum ob recentes Assyriorum populationes erant valde accisæ, & Osée vix non precario & gratiâ Regis Assyrii sceptrum imperato, & promisso annuo tributo tenuit. Fecit quidem malum coram Domino, sed non sicut alii Reges Israël; 4. Reg. 17. v. 2. nam ablatis nuper ab Assyrio vitulis aureis, subditis per eum licebat ascendere Jerosolymam ad adorandum; quod priores Reges dispositis etiam ad Regni fines præsidiis severè prohibuerant. Achaz demum toto Regni sui tempore impius dormivit cum Patribus suis, & sepelierunt eum in civitate Jerusalem; neque enim receperunt eum in sepulchra Regum, regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

Eze-

Ezechias, Rex Juda.

Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, & viginti novem annis regnavit sedulus Davidis Patris sui per omnia imitator. Igitur primo statim mense in plateam Templi orientalem Sacerdotes & Levitas convocavit, ferventique oratione hortatus est, ut Templum Domini expiant, mundarent vasa, omnemque suppellectilem, quam polluerat Rex Achaz, sanctificarent, omniaque pristino nitore restituerent. Id quod illi bis octo dierum labore sedulo præstiterunt, omni immunditia in torrentem Cedron ejecta. Monitus deinde Rex parata jam esse omnia, cum Principibus civitatis diluculo ascendit in Domum Domini; ubi ad placandum DEum pro peccato, pro Regno, pro Sanctuario oblata sunt inter tubas, aliâque musica instrumenta, Psalmosque Davidicos canentium voces plurima holocausta; qua oblatione finita *incurvatus est Rex, & omnes, qui erant cum eo adoraverunt.*

Huic primæ pietatis officio ferè tantum cives Hierosolymitani aderant; derepente quippe hoc fieri placuerat. Ut igitur Religionis studium in omnium animis rursus accenderetur, cum consilio suorum Principum Paschalem solennitatem, diu jam intermissam mense secundo maximo apparatu, & populorum frequentia celebrandum, ac non tantum suos subditos, sed Osee Rege permittente, omnes ex universo Israël invitandos esse decrevit. Misit ergo quaquaversum cursores cum epistolis, ut reverterentur ad Dominum DEum Patrum suorum, hortantes; ipsum pro sua clementia facturum, ut non tantum ipsi deinceps ab Assyriis tuti essent, sed etiam Fratres in captivitatem jam abducti in patriam redire possent. Plerique præsertim ex Tribu Ephraim, Zabulon, & Manasse *riferunt nuntios Regis.* Multi tamen ex his ipsis Tribubus, aliisque venerunt postea Jerosolymam. Ubi dum dies Paschalis expectatur, Judæi cum Israëlitis divino zelo incitati destruxerunt *altaria, quæ Achaz posuerat in universis angulis Jerusalem, omnesque Idolorum sordes projecerunt in torrentem Cedron.*

Ipsi porro septem azymorum dies inusitata lætitia inter epulas celebrati sunt, post quos placuit universæ multitudini, ut celebra-

AbAn. 3257.

Ezechias cultum DEI restituit.

4. Reg. 13.

2. Par. 29.

à v. 1. ad 30.

Invitat Israëlitas ad so-

lennitatem

Paschalem.

2. Par. 30.

à v. 1. ad 15.

Celebrat Pascha cum

A a

lebra-

Sacra Veterum Temp. Histor.

Summa so-
lennitate.
2. Par. 30.
2 v. 15.

lebrarent adhuc alios septem dies, quod & fecerunt *cum ingenti gaudio*. Nam Rex præbuerat multitudini mille tauros, & septem millia ovium: Principes verò dederant populo tauros mille, & decem millia ovium, & hilaritate perfusa est omnis turba Juda tam Sacerdotum, & Levitarum, quam universæ frequentia, quæ venerat ex Israël, profelythorum quoque de terra Israël, & habitantium Juda, fuitque hilaritas tantò major, quod à ducentis, & quinquaginta annis uterque populus nunquam convenerat, nisi quando in mutuam armati perniciem infestis gladiis, telisque concurrebant. Facta est igitur grandis celebratio, qualis à diebus Salomonis in ea urbe non fuerat.

Officia & Ministeria Templi ordinat.
4. Reg. 18.
2 v. 4.
2. Par. 31.

frugerunt simulacra, succenderunt lucos, demoliti sunt excelsa, altaria destruxerunt, non solum de universo Juda, & Benjamin, sed de Ephraim quoque & Manasse, donec penitus everterent. Præcipue enituit pro gloria DEI Regius zelus; nam ipse *dissolvit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem aneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum*. Cùmque regnante Achaz sacra Ministeria in Templo Domini fuissent neglecta, Ezechias inter turmas Sacerdotum, & Levitarum ministrandi officia distribuit; ordinavitque, ut Sacrificia manè semper & vesperi, Sabbathis, calendis, & cæteris solennitatibus ritè posthac fierent, sicut scriptum est in lege Moysis, simul autem præcepit populo, ut primitias & decimas Sacerdotibus, & Levitibus rursus darent, ut possent vacare Legi Domini. Commodum eo tempore immincebat messis. Igitur plurimas obtulere primitias frumenti, vini, olei, & mellis, & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt; boum quoque & ovium decimas ac insuper quæ ex privata pietate DEO voverant in ingentia copia.

Salmanassar
Rex Assyrius
venit in Israël.
4. Reg. 17.
v. 3.

Dum hæc fiunt Jerosolymis, interim in Ninive moritur Theglath-Phalassar, eique succedit Salmanassar. Huic vectigalia amplius pensitare cunctabatur Osee Rex Israël. Igitur contra eum ascendit Salmanassar. Res tamen sine bello transacta est: nam *factus est ei Osee Servus*, maluitque se, suosque ultro dedere & rursus vectigales facere Assyriis, quam vires tanti hostis cum certo Regni sui excidio frustra experiri.

Ezechias quidem & ipse de excutiendo Assyriorum jugo cogitaverit; videtur tamen pactum à Patre suo tributum etiam Salmanassari reddidisse, cum illaeso Judæ Regno redierit in Assyriam. Philistæis autem bellum movit Ezechias, quibus in acie cæsis non tantum recuperavit loca regnante Patre suo ab ipsis occupata, sed usus victoria plures alias, ac præcipuas ipsis urbes eripuit.

Hic demum est decretorius ille, & fatalis annus, qui Regno Israëlitarum finem imposuit, postquam 254. ferè annos steterat. Osee post præstita aliquot annis tributa rursum ad defectionem respiciens à Rege Ægyptiorum contra Assyrios auxiliares copias petierat. At cum occultas hujusmodi machinationes deprehendisset Salmanassar, rursus venit cum exercitu, omnemque terram Israëlitis antea pervagatus, Osee congregari non auso, Samariam, in quam confugerat, obsedit. Tertium annum tenuit obsidio. Demum capta est Samaria, Rex in compedes conjectus, Israëlita reliqui in servitutem, ac perpetuum exilium in Assyriam abducti. Unde paulatim per totum Orientem diffusus ac gentilibus permixti ita sensim disparuere, ut cum tempore nullum amplius Tribuum aut Israëlitarum vestigium superesset. *Tob. c. 1.* Tobias, cum ipsius Tribus Nephtali ante triginta quinque annos cum Tribu Ruben, Gad, & media Manasse illuc abducerentur, tum quidem captivitatem effugerat, sed nunc etiam ipse cum uxore, & filio inter captivos erat, divina utrique providentia, ut & bonis esset solatio, & malis ad meliorem vitam incitamento.

Ne verò terra, in qua nonnulli pauperes, agricolæ, vinitores, aliaque viles per bonæ ab hostibus neglectæ remanserant, deserta relinqueretur; Salmanassar ex variis sui imperii gentibus colonias misit, quæ Samariam, aliasque Israëlitis civitates inhabitarent, dicti deinceps omnes uno nomine Samaritani. Hi ubi possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus, *unaqueque gens fabricata est Deum suum*, qualem scilicet habuerant in patria sua: *posueruntque eos in fanis excelsis, & non timebant Dominum.* Ob quod immixtis divinitus Leonibus non pauci Samaritanorum discerpti sunt; quam illi cladem rectè iræ Dei terræ tribuentes petierunt à Rege Assyriorum aliquem ex captivis sacerdotem, à quo discerent ritum colendi DEum terræ;

Ezechias Philistæos vincit.

4. Reg. 13. v. 8.

An. 3262.

Samaria capturatur ab Assyriis & Israëlitis in servitutem abducuntur.

4. Reg. 17. a. v. 4.

4. Reg. 18. a. v. 9.

Colonia Gentilium terram Israël inhabitant.

4. Reg. 17. a. v. 24.

quod cum fecissent, cessavit plaga leonum; nolente scilicet Domino nomen suum penitus aboleri in ea terra, quam lacte & melle manantem suo olim populo habitandam dederat. Verum sicut decem Tribus inde à schismate solos Moysis libros retinuerunt, ita & Samaritani illos tantum receperunt: & sicut illi, ita & isti primam ac præcipuam in iis Legem violârunt; nam circumcissionem, Sabbatha, aliquasque alias cæremonias pentateucho Moysis comprehensas quidem observârunt; at cum *Deum hoc modo colerent, simul Diis quoque suis serviebant* contra primam Legem Exodi 20. *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles.* Cumque nihilominus se Judæorum institutis uti, suadente seu necessitate seu publica utilitate, jactarent, hinc natum est illud odium, ut nunquam Judæi conferrentur Samaritanis.

Nahum per
tria capita.

Post abductas decem Tribus Propheta Nahum prædixit vastationem Ninives per Chaldæos; Judæam verò consolatus est vaticinando non prævaliturum Regem Assyriorum contra Jerusalem, sicut contra Samariam.

Ezechias Assyriis tributum pendere detrectat.

4. Reg. 18.
v. 7.
2. Par. 32.
à v. 2.

Ezechias interim re divina bene constituta, confecto feliciter Philistino bello Rempublicam quoque erexit, deque negando deinceps Assyriis tributo, tyrannicè Patri Achaz imposito propiùs cogitavit, mortuo præsertim Salmanassar Rege; cumque indubitatum bellum, obsidionemque prævideret, ad hanc se paravit evocando undique militem, muros urbis instaurando, capita fontium extra urbem obturando, ut Assyriis difficilior redderetur obsidio penuriâ aquarum. Magnam quoque spem posuit in Rege Ægypti, qui & ipse hostis erat Assyriorum. Ita ad bellum præparatus tributum pendere detrectavit.

Assyrius Jerosolymam venit cum exercitu.

4. Reg. 18.
à v. 13.
2. Par. 32.
v. 1. & à v. 9.

Non diu post cum exercitu ex toto penè oriente contra se adfuit Senacherib, & post occupatas jam alias civitates urbem Lachis obsidione cinxit. Primò qui sem erat Ezechias magna in DEum fiducia; eaque etiam suos animavit, ita eos consolans: *Plures nobiscum sunt, quàm cum eo: cum illo est brachium carneum, nobiscum Dominus DEus noster.* Postea tamen miseratus fortassis tot oppida, quæ à barbaro milite vastabantur, & totum belli impetum Jerosolymam verti cernens, misit Legatos ad Assyrium, qui nomine suo rogarent, ut recederet oblatò, quod postulasset, pretiò. Imperavit Barbarus argenti

trecenta talenta, auri triginta; quibus acceptis non tamen pactis stetit; sed misit cum valida militum manu Legatos, qui Ezechiae ac civibus deditionem suaderent. Petito alloquio Rex ad eos haud procul urbe consistentes tres è suis egredi jussit, qui Assyrios audirent. Inter hos præcipuus Rabšaces, cum potentiam sui Regis primò magnificè exaggerasset, Ezechiae suadere se dixit, ne niteretur viribus suis, aut spem poneret in Rege Ægypti, aut in DEO suo, utpote cujus imperio & voluntate Rex Assyriorum venisset in has terras, ut eas demoliretur; quæ cum altiore voce diceret, ut populus super murum stans exaudire posset, Legati Ezechiae interpellantes rogârunt Rabšacem, non Judaicè, sed Syriacè loqueretur, quam quidem linguam ipsi, non autem populus intelligerent, timentes nempe, ne populus offensus blasphemum sagittis peterent. Ille contra tanto altius ad populum clamavit, ne se seduci paterentur ab Ezechia, nec enim ipsum, nec DEum ipsius posse eos liberare de manu Regis Assyriorum.

Quæ ubi Legati scisis vestibibus Ezechiae narrârunt, ipse quoque scidit vestimenta sua, & opertus sacco ingressus est Domum Domini, missis interim ad Isaiam Legatis, cui omnia, quæ audiissent, referrent. Iste Regem & populum sine timore esse jussit, Regem Assyriorum nuntio accepto confestim ex Judæa abiturum; & verò abiit: nam dum Rabšaces Regi suo refert, Ezechiam & populum Jerosolymitanum DEI sui potentiâ nixos obsidionem ferre paratos esse, eodem tempore nuntiatum est ipsi, Regem Æthiopum Ægyptiis contra se auxilio adventare. Quare duxit exercitum in Ægyptum Jerosolymam occupaturus in reditu, missa interim ad Ezechiam epistolâ; quam cum legisset, ascendit in Templum, litterasque expandit coram Domino, ita orans: *Aperi Domine oculos tuos, & vide, audi omnia verba Sennacherib, qui misit, ut exprobaret nobis DEum viventem. Nunc igitur Domine DEus noster salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia Regna terra, quia tu es Dominus DEus solus.*

Interim Ezechias ex ulcere gravem morbum contraxit, & Isaias ad eum veniens nomine DEI monuit, res suas ordinaret tanquam valetudine jam conclamata. Tristi percussus nuntio convertit faciem ad parietem, dicens: *Obsecro Domine, memento,*

Isaias Regem
& populum
sine timore
esse jubet.

4. Reg. 19.

2. Par. 32.

2. v. 17.

Ezechiae vita
in quindecim
annis divini.

aus protoga-
tur.
4. Reg. 20.
2. Par. 32.
v. 24.

to, *quæso, quomodo ambulaverim coram Te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram Te, fecerim.* Flevitque *fletu magno*; dolebat Rex optimus illud maximè, quòd sine herede Filio, ex quo juxta promissionem Davidi factam Christus nasciturus esset, moreretur. Jam abierat Propheta; at à DEO ex atrio redire, ac dicere Regi jussus est: *audivisse se orationem, & vidisse lacrymas ipsius*; intra triduum sanatum iri, forèque superstitem annos adhuc quindecim; qui nuntius Regem iterum erexit. Quòd tamen Propheta vaticinia tam sibi contraria brevi tempore ediceret, rogavit, ut posteriùs signo aliquo confirmaret. Erat in palatio horologium solare; petente Rege, faceret Propheta, ut in signum veritatis umbra illius reverteretur decem lineis; invocavit Isaias Dominum, & ecce! regresso sole reversa quoque est umbra horologii decem lineis, sive horis spectante Ezechia, & toto orbe diem illum prodigiosè longiorum admirante. Igitur ab Isaiâ applicato ulceri cataplasmate ex ficorum massa confecto curatus est, & tertio die gratias acturus in Templo Domini canticum cecinit: *Ego dixi: in dimidio annorum meorum vadam ad portas inferi.*

Sennacherib
fugit cæsis ab
Angelo 185.
suorum mil-
libus.
4. Reg. 19.
à v. 32.
2. Par. 32.
v. 20, & 21.

Geminâ de Ægyptiis & Æthiopibus victoriâ prætumidus Sennacherib redibat in Judæam, & Ezechias cum Isaiâ & populo constanter DEum orabat; simulque Isaias nomine Domini Regem ac populum in spem erigebat, dicens: *Rex Assyriorum non ingredietur urbem hanc, nec immettet in eam sagittam; per viam, qua venit, revertetur.* Adventavit demum Sennacherib, cumque numerosissimæ copiæ circa civitatem sanctam jam essent congregatæ, factum est in nocte illa, *venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum cæde omnino tacita, strepitu & clamore nullo centum octoginta quinque millia; & in iis omnem virum robustum, & bellatorem, & Principem exercitus Regni Assyriorum.* Rex diluculo surgens, visâque miserabili castrorum facie exterritus cum reliquis fugit in Niniven non minùs ira quàm dedecore plenus; quam eùm in DEum tantæ cladis Autorem effundere non posset, in ejus populum filios Israël, quos jam antea habuerat exosos, desæviit, multosque eorum occidit, ita ut etiam Tobias bonis omnibus spoliatus aufferere cogeretur. *Tob. 1. à v. 18.* At post quadraginta quinque à clade Jerosolymitana dies ipse quoque Tyrannus periit; nam eùm

cum Assarhaddonem filium natu minorem in gratiam Matris designasset Regni successorem, duo majores natu id ægrè ferentes Patrem in Templo peremerunt.

Ezechias verò præter memorabilem omni ætate victoriam cum omni populo suo hostium spoliis vehementer locupletatus est. Nam & quæ Assyrii per Judæam abstulerant, sunt recuperata, & infinita etiam thesaurorum vis & spoliorum, quæ illi Ægyptiis & Æthiopibus sustulerant, est recepta; ut ita Rex non solum Templi ornamenta & donaria cum fœnore posset reponere, sed etiam Regios thesauros insigniter augere; fuitque Ezechias, uti refert sacer Textus, reliquo vitæ tempore *dives & inclitus valde, & thesauros sibi plurimos congregavit argenti & auri & lapidis pretiosi, aromatum & armorum universi generis, & vasorum magni pretii. Apothecas quoque frumenti; vini, & olei & præsepia omnium jumentorum, cavilâsque pecorum adificavit sibi; habebat quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eò quòd dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.*

Ezechias divitiis abundar.
2. Par. 32.
à v. 27.

Regnantè Sennacherib Prorex Babylone erat Baladan seu Nabonassar; Etque sub hoc tempus in Præfectura illa successit Filius Merodach. Hic audita Assyriorum ad Jerosolymæ muros clade Regnum Babylonix in pristinam libertatem asserere, sibi que coronam imponere constituit. Igitur secuta insuper Sennacheribi cæde, rebûsque omnibus in Ninive perturbatis Regem planè agere cepit, & ut Regnum stabiliret cum aliis Regibus amicitiam contrahere, maximè cum Rege Judæ rum, quem ex nupero bello præcipuum Assyriorum hostem esse sciret. Misit itaque ad Ezechiam Legatos cum litteris, & muneribus, qui ipsi recuperatam valetudinem nomine suo gratularentur, simulque interrogarent *de portento, quod acciderat super terram*, in Sole nimirum, quod Chaldæi Astronomix dediti observârant, illudque in gratiam Regis Judæ decumbentis à cœlo factum fama per omnes gentes vulgaverat.

Legatio ad Ezechiam.
4. Reg. 20.
v. 12.
2. Par. 32.
v. 31.

Lætatus Legatorum adventu Ezechias ostendit eis *domum aromatum & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia, qua habere poterat in thesauris suis.* Ab Optimatibus deinde convivii, ludis, festisque gratulationibus exceptos cum litteris ac muneribus

Ezechias Legatis thesauros ostendit.
4. Reg. 20.

à v. 13.
2. Par. 32.
v. 25, 26, 27.
31.

ribus ad Regem suum deferendis iterum dimisit. Has operas ostenderit Ezechias cum quadam elatione animi, non satis memor esse DEI beneficia; unde post Legatorum abitum adfuit Isaias, ei que jussu Domini prædixit, hos omnes thesauros Babylonem deportandos, uti & filios, quos generaturus esset. Audito tristi nuntio acquievit quidem Rex divino decreto; optavit tamen, ne istud fieret se vivente, dixitque ad Isaiam; *Bonus Sermo Domini, quem locutus es, sit pax & veritas in diebus meis.* Et verò voti compos factus est; nam Dominus toto etiam reliquo vitæ tempore ipsi & populo præstitit quietem per circuitum: multi etiam *deferebant hostias & Sacrificia Domino in Jerusalem, & munera Ezechia Regi Juda; qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.* 2. Par. 23. v. 22. & 23.

Tobias in Ninive opera charitatis exercet.
Tob. à c. 2. per reliqua.

Tobias interim in Ninive, quò post occisum Sennacherib reversus omnem substantiam suam recuperaverat, quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, videbátque unicuique, prout poterat de facultibus suis, esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, mortuos sepeliebat, aliáque opera charitatis exhibebat. Assaraddon autem novos misit colonos, qui Regnum Israël frequentarent.

Ezechias sanctè moritur, & magnificè sepelitur.
4. Reg. 20.
v. 21.
2. Par. 32.
v. 33.

Interim vires Assyriorum expeditione Judaica fractæ magis semper ac magis deficiebant, hinc Medis, illinc Babylonis prævalentibus, adeò ut Assaraddon Merodacho, olim subdito, nunc tributa pendere cogeretur; quod jugum cum ferre amplius nollet Assyrius, acie cum Merodacho decertavit. At victus, cæsusque est; simulque Ninive ac totum Assyriorum imperium in victoris jura potestatemque venit. Itaque Merodachus novus Babylonici Fundator imperii Assyriorum simul ac Babyloniorum Rex ac Dominus evasit. Quia tamen Regni sedem Babylone constituit, Rex Babyloniorum potius, quàm Assyriorum voluit compellari, à Scriptura nunc Assyriorum, nunc Babyloniorum Rex vocatur. Ezechias quoque sub hoc tempore non pauca de Israël Regno vel recuperâsse vel acquisivisse videtur, Samaritanis etiam audita morte Assaraddonis sese ultro submittentibus. *Esdra l. 1. c. 4. v. 2.* Verùm non diu post è vivis excessit pietate, observantia in DEum & rebus gestis in paucis clarus pessimi Patris Filius sanctissimus, pessimi Filii Pater

ter sanctissimus. Sepultus est majori magnificentia quam alii Reges, quod tempus mortis tum Rex tum populus præsciret omniâque magnificè apparari possent. Successit Manasses Filius.

Manasses, Rex Juda.

Duodecim annorum erat, cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem. Infelix Adulescens ab Aulicis, qui regnante Patre impietatem per summam hypocriisim tegere nörant, miserè in fraudem inductus ab ipsa Regni inauguratione plenas Idololatriæ permisit habenas. Nam primò quidem solum excelsã veri DEI, quæ Pater ejus dissipaverat, restauravit; sed paulò post in excelsis collibus aras etiam Baali erexit, lucòque circumdedit. Adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam (planetas scilicet & reliqua sidera) in amœno nemore; ubi ad statuas Jovi, Marti, Veneri, omnique militiæ cœli dicatas more gentium Sacrificiis, epulis, choreis, luxuriæ ipse, aulici, & populus vacabant. His non contentus eidem militiæ cœli altaria extruxit in ipsa Domo Domini, seu in atrio Gentium, & Israëlitarum. Immo simulacrum, quod præ reliquis honorari volebat, è luco transtulit in ipsum atrium Levitarum, ut undique conspici & coli posset. Necdum finis superstitionum. Filios suos per ignem traduxit in aliqua valle prope Jerosolymam, qua sacrilega cæremonia eos dæmoni consecravit. Insuper nefarias & diabolicas artes sectatus est per inspectiones astrorum, per observationes somniorum, per avium garritus, & volatus, per Pythones seu ventriloquos, per aruspices sive hostiarum & extorum inspectores. Habuit secum Magos, & incantatores, quin & ipse maleficis ejusmodi artibus inserviebat. Denique fudit sanguinem innoxium multum nimis occidendo sanctissimos homines, qui ejus sceleribus resistebant, atque inter hos senio venerabilem, sanguine proximum, vaticiniis illustrem Isaiam acerbissimo cruciatu serrã dissectum necavit.

Ab An. 3284.

Manasses impiè regnat. 4. Reg. 21. 2. Par. 83.

Hac impietate dum perditus Juvenis septimum jam annum DEum irritavit, Judamque seduxit, & habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes; superinduxit eis Princi

Capitur ac Babylonem abducitur.

Sacra Veterum Temp. Histor. Bb pes



4. Reg. 21.
3. Par. 13.
v. 11.

pes exercitus Regis Assyriorum, factumque est, quod Isaias Ezechiae prädixerat. Merodachum jam a longo tempore ad bellum incitabat cupiditas thesaurorum, quos in clade Sennacheribi Assyriis ereptas Ezechias suis Legatis ostentarat. Verum hactenus nullam ipsi justae offensionis causam Manasses dederat; nunc verò nescio quo Justitiae obtentu tributum à Manasse petiit, quo negato arma in ipsum movit missis cum exercitu Ducibus, captusque est Rex, incertum an fraude an vi aperta, ab Assyriis; qui vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem cum magna Judaicæ Nobilitatis parte, ubi quæ clementia tractatus sit, non constat. Author imperfecti operis in Matthæum agens de vita Manassis in carcere: *Erat, inquit, ligatus & catenatus in domo carceris, & dabatur ei panis hordeaceus ad mensuram modicus, & aqua cum aceto modica ad mensuram, ut viveret tantum. Et erat constrictus in doloribus valde.*

Holofernes
Dux Babylonis
Judæ cum ingenti
exercitu imminet.
Judith c. 1. 2.
3. & 4.

Merodach sive, ut in libro Judith vocatur, Nabuchodonosor post captum Judæorum Regem Rege Medorum Arphaxad etiam in Mesopotamia devictò incredibili arrogancia ad totius orbis Imperium aspiravit; quem in finem Legatos primùm in Palæstinam, Syriam, finitimisque populos; deinde verò cum illos sine honore remississent, iratus Holofernem militiæ Principem cum ingentibus copiis misit, jussum nulli Regno parere, quod contempsisset Imperium suum; ac omnes Deos terre exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur DEUS. Hic devastatis ubique per Asiam flammâ ferroque obviis Provinciis, urbibusque ac lucis excisis eorum etiam, qui venienti obviam euntes sese ultro dediderunt, in Idumæam Judææ vicinam pervenerat. Meritò timuerunt Judæi & reliqui filii Israël, ne hostis hoc faceret Jerosolymæ & Templis eorum. Quare hortante Summo Pontifice Eliakim, qui Rege Babylonem abducto Rempubicam administrabat, & nunc circumibat omnem Israël, fauces montium firmo præsidio occuparunt, omnesque aditus per quos Holofernes Jerosolymam posset penetrare: Simul autem eodem Authore Pontifice ad præsidia divina confugere; *Clamavitque omnis populus ad Dominum instantia magna & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, præcipue Sacerdotes & Levitæ præcincti ciliciis & cinere conspersi Sacri-*

scia offerebant, & ex toto corde suo omnes orabant DEUM, ut
visitaret populum suum Israël, qui sanè tunc adhuc multus erat
non tantum in Judæa, sed & in Regno Israël; plurimi enim, cum
Salmanassar Tribus captivas abduceret, hostium effugerunt ma-
nus, multi, qui tunc in Judæam, Arabiam & Idumæam profuge-
rant, postea in patriam reversi sunt.

De hoc belli apparatu ubi nuntium accepit Holofernes, ve-
hementer indignatus post subjugatos tot populos Regis sui po-
tentiam non timeri à filiis Israël, ad obviam urbem Bethuliam
in inferiore Galilæa sitam exercitum admovit. Ducebat secum
Holofernes non tantum Babylonios & Assyrios, sed ex Madiani-
tis, Amonitis, Moabitis, Idumæis, Syris cæterisque Gentibus,
quas subjugarat, virorum fortium innumerabilem multitudi-
nem, quam ubi adventantem viderunt filii Israël tum ii, qui
erant in urbe, tum illi, qui colles & montes occupaverant, pro-
straverunt se super terram unanimiter orantes ut DEUS Israël
misericordiam suam ostenderet super populum suum; assumptis-
que armis se ad defensionem parârunt. Holofernes urbem in
monte sitam, naturâque munitam procul obequitans advertit
sine multo sanguine vi expugnari non posse; quare aquæductum,
quem reperit, incidi jussit; deinde cum animadvertisset, non
longè à muris esse fontes, ex quibus cives furtim aquas hauri-
rènt, centenos in singulis fontibus custodes constituit, sperans,
cives aquarum penuriâ adactum iri, ut se urbemque dederent;
& sanè cum per viginti dies populis quotidie aqua data fuisset
ad mensuram, siccatis etiam cisternis denique tota civitas siti
defecit, ita ut Ozias primarius in urbe Magistratus insistente
vehementer populo, si intra quinque dies auxilium à Domino
non veniret, urbem se traditurum consentiret.

Rebùs sic in summum discrimen adductis suscitavit DEUS
nobilem viduam, Judith nomine, quæ faceret salutem in Israël.
Hæc cum ancilla urbe egressa ac veluti transfuga ab explorato-
ribus ad Holofernem adducta formæ dicendique gratia Barba-
rum ac circumstantes Duces ita rapuit, ut alter ad alterum dice-
rent: *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchri-
tudine, & in sensu verborum*; ingressura tabernaculum sibi assi-
gnatum, copiam petiit nocte & ante lucem egrediendi foras ex-
tra castra ad orationem more patrio. Liberaliter data est in

Bethuliam
obsidet
c. 7.

Judith ca. 10.
Holoferne
urbem & Ju-
dæam liberat.
c. 8. 10. 11.
12. 13. 14. 15.

Bb 2

tres

tres dies, quarto demum die facta est occasio exequendi consilium suum, quod ipsi DEUS suggererat. Cœnaturus Holofernes cum primis Ducibus per Vagao Eunuchum suum Hebræam quoque invitavit. Et *jueundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis.* Sera jam nocte dilapsus ad sua hospitia Ducibus, abiit & Vagao clausis prius diligenter ostiis; eratque aded Judith sola in cubiculo Holofernis, qui *jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.* Hic illa stans ante lectum, oransque cum lacrimis & labiorum motu in silentio, pendentem ad lectuli caput acinacem arripit; totisque viribus insurgens altero ictu caput jacentis abscidit; resumpto deinde spiritu conopæo involutum ancillæ ante cubiculum stanti tradidit, jussitque immittere in calathum, in quo antea cibos suos posuerat. Re ita perfectâ exierunt ambæ de more quasi ad orationem extra castra. Recepta in urbem confluenti cum luminibus toti populo caput Holofernis ostentat, remque omnem ex ore suo pendentibus enarrat. Ad extremum voluit illud è murorum eminenti ac conspicuo loco suspendi, atque omnes in montibus vicinisque locis paratos esse ad hostem sub ortum solis conjunctis viribus inter clangentes tubas atque ululatus invadendum; fore enim, ut hostes ad excitandum Holofernem concurrentes inventoque sine capite trunco perturbati fugiant, & sub persequentium pedibus conterantur. Quæ, ut prædixerat, facta sunt concisibque in fuga Assyriorum exercitu spoliis & præda ditati sunt universi; quæ tanta fuit, ut vix spatio triginta dierum colligeretur.

Gratias aguntur Deo.
cap. 15. & 16.

Famâ tantæ victoriæ Jerosolymam perlata Joakim Summus Sacerdos cum magno comitatu in Bethuliam profectus obviam venientem Judith eximia cum laude & gratulatione accepit cum omnibus ita eam alloquens: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Præcinente deinde Juditha canticum suum simul omnes choros ducentes laudaverunt DEUM; & omnes populi gaudebant cum mulieribus & virginibus & juvenibus in organis & citharis. Ut verò non in una tantum hac urbe, sed publicè ab omni populo pro communi omnibus victoria DEO gratias agerentur, Jerosolymam postea Israëlita undique ad Templum Domini profecti sunt, ubi quisque vota persolverunt, festosque dies per tres omnino men-

ses agitarunt; ipsaque Judith vasa bellica Holofernis, & Conopæum DEO in Templo Domini consecravit ad perpetuam tanti beneficii memoriam;

Interea Rex Manasses quoque libertate donatus pervenerat Jerosolymam. Angustiæ Babylonici carceris ipsi demum aperuerunt oculos, & cognovit, quod Dominus ipse esset DEUS. Itaque oravit Dominum DEum suum, & egit penitentiam valde coram DEO Patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecravit intentè. Et DEUS exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in Regnum suum. An Merodachus à DEO, in cujus manu sunt corda Regum, motus ultro, an per visum terribus, liberum dimiserit, vel an potentiore aliqua DEI manu captivitati ereptus atque reductus fuerit, ex Sacra Scriptura satis intelligi non potest. Ut primùm autem Jerosolymam est reversus, abstulit Deos alienos & simulacrum de Domo Domini; aras quoque, quas fecerat in atriis Templi & in tota urbe Jerusalem, & projecit omnia extra urbem; instauravit altare Domini, & immolavit super illud victimas & pacifica: *Præcepitque Juda, ut serviret Domino DEO Israël.* Quod quidem obtinuit apud suos, non tamen integrè; nam adhuc populus immolabat in excelsis Domino DEO suo. Restituto divino cultu Regnum contra hostes munivit, præcipue civitatem David, cujus murum altius eduxit, constituitque Principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis, & deinceps *servivit soli Domino DEO in toto corde suo, & in tota anima sua omnibus diebus vite sue.* Exemplum incomparabilis patientiæ, bonitatis & placabilitatis DEI, ut qui immania scelerum portenta perpetrantem paterno solùm flagello castigavit, atque emendavit.

Regnante Manasse Habacuc Propheta prædixit adventum Chaldæorum & Babylonicam captivitatem, quam Sacra Scriptura peccatis Manassis potissimùm tribuit; dum ait: *Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se propter peccata Manassis universa qua fecit, & propter sanguinem innoxium quem effudit, & implevit Jerusalem cruce innocentium, & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.* 4. Reg. 24. v. 3. Et rursus: *Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam propter irrationes, quibus provocaverat eum Manas-*

Manasses liber Jerosolymam dimissus respicit, & cultum divinum restituit
2. Par. 33.
à v. 12.

Habacuc per 3. capita.

ses. 4. Reg. 23. v. 26. Et alibi: *Quia fecit Manasses Rex Juda abominationes istas pessimas, & peccare etiam fecit Judam in immunditiis suis: Ecce ego inducam mala super Jerusalem & Judam: ut quicumque audierit, tinniant amba aures ejus.* 4. Reg. 21. v. 11. & 12. Prædixit idem Propheta vastationem eorundem Chaldaeorum, quæ deinde facta est per Medos & Persas, & tandem prædixit adventum Christi, passionem, & resurrectionem, & secundum adventum in gloria.

Tobias obit
in Ninive.
Tob. 14.

Quadragesimo Regni Manassis anno Tobias, cum filio ac septem nepotibus cæterisque monita salutis dedisset, timoremque DEI ac præcipuè beneficentiam in pauperes inculcasset, obiit in Ninive in senectute bona ac plenus bonorum operum ac meritorum.

Manasses
moritur.
4. Reg. 21.
v. 18.
2. Par 33. v. 20

Demum exactis quinquaginta quinque Regni annis etiam Manasses vivendi finem fecit, sepultusque est *in horto domus sue.* Et regnavit Amon filius ejus pro eo.

Amon, Rex Juda.

Ab An. 3339.
Impius altero
Regni anno
Interficitur.
4. Reg. 21.
à v. 19.
2. Par. 33.
à v. 21.

Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset. Ab impiis Aulicis vivo forsitan adhuc Patre corruptus maluit Parentis Juvenis & in omnem impietatis turpitudinem projecti exemplum sequi, quam ejusdem resipiscens vestigiis inhærere. Itaque Idololatriam à Patre relegatam iterum ab inferis excitavit, & *dereliquit Dominum DEUM Patrum suorum.* Verùm citò impietatis suæ pœnas dedit; nam altero Regni anno *tetenderunt ei insidias servi ejus, & interfecerunt Regem in domo sua.* Qui quidem manus tuas regio sanguine haud impune cruentârunt; nam conjurati omnes interfecti sunt, sepultoque in mausoleo Patris Amone Josias Amonis filius octennis ab universo populo in solium Davidis evectus est.

Josias, Rex Juda,

Ab An. 3341.
Adolevit ad
omnem vir-
tutem.

Josias à pueritia sapiens, indole optimâ atque ad virtutem natus fecit quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David Patris sui: non declinavit ad dexteram
sive

foe ad siniftram. Quâ pietate ultionem, in gentem suam pridem paratam, non fultulit quidem, distulit tamen, omnem, quantum in se fuit profanum cultum ex toto Israële profigandô.

Eodem anno, quo Jofias in Regem inauguratus est, cœpit prophetare Sophonias contra Judæorum Idololatriam & alia peccata minaturque excidium Jerofolymæ & Judææ, simul describit, planctum & ululatum illius temporis. Etiam prædixit excidium Palæstinarum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum & maximè Assyriorum tum propter blasphemias in populum suum, tum propter alia mala illi illata. Demum autem prædixit destruendum tam Judaismum quàm Gentilismum, omnesque gentes subjugandas Christo, eique servituras *humerò unò.*

Jofias duodecimo demum Regni anno grande negotium aggressus est, & Regnum ab Idololatria mundare cœpit; adjutoribus Helcia Summo Pontifice, Sophonia, & Jeremia, qui hoc tempore, cùm esset quindecim annorum adolescens, ad Propheticum manus à Domino est vocatus, ac deinceps 43. omnino annos scilicet usque ad undecimum Regni Sedeciae annum prophetavit: Scripsitque vel dictavit insigne volumen, in quo populum & Principes ejus ad pœnitentiam multis sermonibus hortatus est. Prædixit imminentem ruinam Jerofolymæ & Templi Domini & totius Regni. Prædixit multa de Christi adventu, de Testamento novo, deque aliis Christianis Mysteriis apertissimè. Ad finem libri sui addidit Threnos seu Lamentationes, quibus deplorat ærumnas gentis suæ temporales & spirituales. Addidit denique epistolam ad populum captivum in Babylone, quâ hortatur illos, ut in fide veri DEI persistent; quam Baruch Minister & Amanuensis Hieremias posuit post volumen, quod ipsemet scripsit de incarnatione DEI, & apparitione in carne humana. Quòd Jeremias DEO excusaverit infantiam suam, inde intelligitur, Prophetas non egisse nudos recitatores verborum DEI, sed veros fuisse concionatores ad populum, quarum concionum summa capita mox in scripta referrent.

Itaque Jofias primò Templum Domini, Jerofolymam atque suburbia purgari, omniâque Idololatriæ tum vetera tum recentia monumenta everti, disperdi atque dissipari jussit. Deinde per Regnum tum solitum solum colligi, tum lapides ac ligna undique advehi, ad instaurandum Templum Domini, & sacra vasa

4. Reg. 22.
2. Par. 24.

Sophonias
per 3. capita.

Jofias Idola
destruere, &
Jeremias a-
dolescens in-
cipit prophete-
tare per 52
capita.
2. Par. 34.
v. 3.

Jofias Jeroso-
lymam & Ju-
dæam pur-
gar ab Idolo-
latria.

repa-

reparanda. Interim ipse lustrato reliquo Regno idem ubique fecit, quod Jerosolymæ, incensis lucis, everfis aris atque idolis in pulverem comminutis. Aruspices & Sacrificulos, qui adolebant incensum Baal, & Soli & Lunæ, & duodecim signis, & universæ militiæ Cœli, occidit atque omnino delevit. Sacerdotes verò Domini, qui contra Legem alibi, quàm Jerosolymæ in Templo, sacrificassent, à Sacerdotali munere amoti sunt, atque in Levitarum numerum redacti. Excelsa autem contaminata sunt, & animalium vel impiorum hominum cadaveribus ibi sepultis profanata.

Idem facit
per totum
Israëlem ad-
jutore Jere-
miâ.
4. Reg. 23.
à v. 15.
2. Par. 34.
v. 6. & 6.

E Judæa in Israëlem, quæ tota sese Josiæ permiserat, progressus inde quoque Idololatriam, ubi altiores radices egerat, exterminare exorsus est, ac primò altare, quod erat in Bethel primaria sede Idololatriæ, & Excelsum, quod fecerat Ieroboam, destruxit, atque combussit, & in pulverem comminuit, ac lucum succendit. Deinde Samariam, quæ erat in Tribu Ephraim, & illius oppida purgavit; urbes quoque Manassis, & Simeonis usque ad Tribum Nephtalim, quæ erat omnium remotissima à Ierusalem. Ubique evertit altaria, dissipavit Excelsa, succidit lucos, simulacra contrivit in frustra, delubra demolitus est, ferròque jugulatos Idolorum sacrificulos in suismet profanis altaribus combussit & loco brutarum victimarum immolavit.

Jerosoly-
mam reverti-
tur.

4. Reg. 23.
v. 16.
2. Par. 34.
v. 7.

Absoluto demum intra sex omnino annos tam sancto opere post exhaustas innumeras difficultates superatæque impedimenta Rex reversus est Jerosolymam cum Jeremia itineris socio, qui populum hortando, obsecrando, arguendo, minis imminentium calamitatum terrendo in suis concionibus Josiam egregiè adjuvit.

Renovat fœ-
dus cum Do-
mino.

4. Reg. 23.
à v. 8.
2. Par. 34.
à v. 14. &
4. Reg. 23.
à v. 2.
2. Par. 34.
à v. 29.

Interea dum reparabatur Domus Domini, ab Helcia Pontifice inventus est in quadam arca pecuniaria seu Gazophylacio Liber Legis, ipsum fortassis Autographum Deuteronomii ab ipso Mose scripti & relictæ, quod est quasi compendium Mosaicæ Legis; quem cum per Scribam Saphan Regi misisset, isteque legisset, scidit vestimenta sua Rex præ zelo honoris divini, metuque vindictæ, si neglectas à Patribus suis Leges ipse quoque cum populo suo non observaret. Igitur convocato populo ascendit Rex in Templum Domini, & omnes viri Juda, universique qui habitabant in Ierusalem cum eo Sacerdotes & Prophetæ; ubi

ubi Rex stans in suggestu suo lecto prius Legis volumine percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum & custodire præcepta, & testimonia & justificationes ejus in omni corde & in tota anima, acquievitque populus pacto.

Et quoniam tunc Pascha instabat, voluit illud quantâ possit solemnitate celebrari, simulque arcam in Sanctuario reponi, unde, cum Templum ab Idolorum sordibus purgaretur, fuerateducta. Porro ad Sacrificia per septem dies offerenda Josias largitus est triginta millia ovium, hædorum, & agnorum: boum & vitulorum tria millia. Principes Regni sponte quod voverant, obtulerunt tam populo quam Sacerdotibus & Levitis. Principes Domûs Domini Helcias, Zacharias & Jahiel dederunt Sacerdotibus reliquis pecora duo millia sexcenta, boves trecentos. Principes Levitarum dederunt cœteris Levitis ad faciendum Phasæ quinque millia pecorum, & boves quingentos; toto verò eo tempore Cantores stabant in ordine suo, & Janitores per portas singulas observabant: Levitæ & Sacerdotes juxta verba Legis in suis quisque officiis occupati erant parando victimas, detrahendo pelles holocaustorum, aspergendo sanguinem, offerendo holocausta & adipem. Phasæ affaverunt super ignem, juxta quod in lege scriptum est: pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus. & eacabis & ollis, & festinatò distribuerunt universæ plebi; sibi autem & Sacerdotibus postea paraverunt. Ob multitudinem Sacrificiorum non fuit Phasæ simile huic in Israël à diebus Samuelis Prophetæ.

Josias uti hætenus, ita deinceps ambulavit per omnes vias David Patris sui, ac etiam Judæi cunctis diebus ejus non recesserunt à Domino DEO Patrum suorum; multi nempe: cœteri verò saltem non publicè metu Regis, privatim autem passim colebant Deos alienos, & faciebant placentas Reginae Cœli, Lunæ nempe; veluti conqueritur Jeremias scribens: c. 7. v. 18. In civitatibus Juda & in plateis Jerusalem filii colligunt ligna, & Patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciat placentas Reginae Cœli, & libent Diis alienis, ob quæ aliæque scelera tum ipse tum Sophonias constanter minabantur adventum Chaldæorum & Reipublicæ interitum imminens.

Et certè videtur DEus jam nunc sumendæ vindictæ initium sumpsisse; dum Judææ sanctum Regem præmaturâ morte eripuit

Sacra Veterum Temp. Histor.

Cc

puit

Celebrat Pascha cum summa solemnitate.

4. Reg. 23.

à v. 21.

2. Par. 35.

à v. 1.

Josias & populus pergit in cultu divino.

4. Reg. 23.

v. 35.

v. ult.

In prælio vulneratur &

moritur.
4. Reg. 23.
à v. 29.
2. Par. 35.
à v. 26.

puit. Post Merodachum & Ben Merodachum Babylone hoc tempore Rex erat Nabopolassar dictus etiam Nabuchodonosor senior. Huic ad Euphratem bellum illaturus Necho Rex Aegypti transitum à Josia petiit per Judæam; quò negatò nihilominus Regni fines ingressus est; quare Josias collecto exercitu Aegyptium in campo Mageddo aggreditur. At vix pugnae initium datum est, sagittâ graviter vulneratus concidit, ac brevi post mortuus est; inde Jerosolymam asportatus conditus est in sepulchro suo, & universus Juda & Jerusalem luxerunt eum, Jeremias maximè. Reliquit tres filios Joakim, Joachaz, & Sedeciam.

Joachaz, Rex Juda.

Ab An. 3372.

Joachaz vi-
ctus in Aegy-
ptum abstra-
hitur.

4. Reg. 23.
à v. 31.
2. Par. 35.
à v. 1. ad f.

Juvenis viginti trium annorum factione populari præ fratre primogenito in solium evehctus est, fortassis quòd vel magis strenuus crederetur, vel Religionis libertatem ad vota populi moribus vivendique licentiâ promitteret. *Nam fecit malum coram Domino.* At brevi tum ambitionis suæ tum impietatis poenas dedit; cum enim Pharaò è bello Babylonico post tres menses reverteretur, à Joakimò, ut apparet, requisitus, successio- nis negotium ita composuit, ut Joachaz conjectum in vincula amandaret in Aegyptum, Joakimum verò Regem constitueret; à quo ubi extorta à subditis centum talenta argenti, & unum talentum auri tributi nomine recepit, Aegyptum repetiit.

Joakim, Rex Juda.

Ab An. 3372.

Idolatriam
fovet.

4. Reg. 23.
à v. 34.
2. Par. 36.
à v. 4.

Viginti quinque annorum erat Joakim, cum beneficio Pharaonis regnare cœpit, & undecim annis regnavit in Jerusalem, fecitque malum coram Domino DEO suo; non enim minus, quàm Joachaz Idolatriam fovit, ut populum benevolum haberet, occiditque Uriam, quòd prophetasset adversus Jerusalem & Templum ejus; & projecit cadaver ejus in sepulchris vulgi ignobilis. *Fer. 26. à v. 20.* Ipse etiam Jeremias in periculo erat, ne, cum in atrio Israëlitico ad circumfusam multitudinem prophetaret contra eandem civitatem, poscentibus præteritum sacrilegis Sacerdotibus, interficeretur, à v. 11. adeò regna-

gnantibus Joasæ impiis filiis odiosa erat veritas, & pro DEO contra Idololatriam loquendi libertas. Plura alia præsertim crudelitatis, superbiæ & avaritiæ vitia in hunc Regem congerunt tum Jeremias tum postea Ezechiel Propheta.

Quare Dominus diutius non potuit cohibere manum, quin virgam vigilantem, quam pridem viderat Jeremias, tandem vibraret super Judam & Jerusalem. Annò tertio Regni Joakimi miserat Nabopolassar filium suum Nabuchodonosorem, qui postea Magnus dictus est, ut tum Ægyptium Regem Nechoa castigaret, tum Syros, qui rebellaverant, domaret. Rebûs utrinque bene gestis moritur interim Babylone Parens. Nabuchodonosor redire coactus in speratò venit in Judæam, obsidèturque Jerusalem, ulturus nempe amicitiam cum Ægyptio hoste suo contractam. brevi tempore seu vi seu fraude, seu terrore capit urbem ferendæ obsidioni imparatam; indictòque priùs annuo tributo Regem catenis vinctum cum aliquot aliis illustribus captivis, inter quos de semine regio puer Daniel, Anania, Azaria, Misael, Babylone abducit cum parte sacrorum vasorum, quæ reposuit in Templo DEI sui, atque hinc septuaginta annorum captivitatis Babylonicæ initium est, quam *Jeremias cap. 25.* populo denunciavit.

Joakim supplex tyranno factus post aliquot menses libertati Regnòque suo redditur retentis Daniele & sociis velut obsidibus, qui Babylone variis literis erudiebantur divino potius, quam humano magisterio; nam cum expleto triennio starent in conspectu Regis, ad omne verbum sapientiæ, quod sciscitatus est ab eis Rex, cum admiratione respondebant, decuplo doctiores cunctis Ariolis & Magis Chaldæorum, erantque etiam formosiores reliquis regiis pueris, licet isti regio cibo vescerentur, illi solis leguminibus & aquæ potu contenti essent.

Joakim Jerusalem reversus tribus annis Nabuchodonosori tributum ritè persolvit, deinceps verò id reddere cunctatus est, vana spe inductus expeditionis Ægyptiacæ contra Chaldæos; quod cum graviter ferret Babyloniis, neque tamen bellis aliis implicitus ipse in Judæam recurrere posset, misit nihilominus copias ex latrunculis, id est, militibus Chaldææ, Syriæ, Moab & Amon raptim collectas, à quibus subinde variis cladibus affecti Judæi: denique finiente anno undecimo Regni Joakim, planè

Capta urbe
captivus cum
multis aliis
Babylone
mittitur.
2. Par. 36.
à v. 6.
Dan. 1. à v. 1
ad 3.

Liberatur.
4. Reg. 24.
v. 1.
Dan. 1. à v. 21.

Interficitur.
4. Reg. 24.
à v. 2.
Jer. 22. v. 18.
& 19.

subacti, & rursus servituti subjecti sunt Rege Joakimo etiam morte sublato, cujus deinde cadaver extra portas Jerusalem projectum, & sepulturam asini sepultum est, veluti Jeremias praedixerat; & regnavit Jechonias filius ejus pro eo, jure ad ipsum devoluto scepro.

Jechonias, Rex Juda.

Ab An. 3383.

Jechonias
eum Judæis
in Babylo-
nem abduci-
tur.

4. Reg. 24.

à v. 8.

2. Par. 36.

v. 10.

Jechonias decem & octo annorum erat, cum regnare coepisset, & fecit malum coram Domino juxta omnia, quae fecerat Pater ejus. Regnavit tribus solum mensibus. veritus enim Nabuchodonosor, ne memor Patris tam indignè à Chaldæis occisus deficeret, seque Ægyptiis aut Tyriis, qui jam tunc erant, hostibus jungeret, rursus venit cum exercitu, & Jerusalem obsidione cinxit. Jechonias diffusus viribus suis de consilio Matris ac Jeremiæ Procerumque egressus se Babylonio dedit. Speravit Jechonias, cum nullius criminis contra Babylonium sibi conscius esset, eum nihil mali illaturum civitati. At iste Jerusalem ingressus abstulit primo thesauros Domus Domini, & Domus regia; deinde Jechoniam Regem, Matrem, & uxores ejus, universos Principes, decem millia virorum fortium, 8000. opificum, Sacerdotes & Prophetas, inter quos Ezechiel, Josedec & Mardocheus, captivos duxit in Babylonem relictis solis pauperibus iisque, qui huc illucque diffugerant.

Sedecias fit
Rex.

4. Reg. 24.

à v. 17.

2. Par. 36.

à v. 10.

Sedeciam verò tertium Josiæ Filium & Jechoniæ Patrum Regem Judææ constituit jurejurando adstrictum, ut fidem servet, nihil in Regno mutet, Ægyptios non juvet, & tributa cum fide pendat. Rebus ita in Judæa compositis Nabuchodonosor recessit; quod ubi percerebuit, ii, qui magno numero antea metu Chaldæorum in Ægyptum aliisque loca confugerant, reversi sunt, & Regnum Sedeciæ paulò splendidius reddidit.

Sedecias, Rex Juda.

Ab An. 3383.

Jeremias Re-
gem & popu-
lum frustra

Vigesimum & primum annum ætatis habebat, cum regnare coepit, & undecim annis regnavit, & fecit malum coram Domino juxta omnia quae fecerat Joakim ejus Frater. Jeremias, qui DEI nutu Jerusalem remanserat ad curandas populi reliquias,

liquias, sæpenumerò illum adiit, obtestans ut omissis impietatibus Justitiæ curam gereret, nève aut Principibus suis mentem adhiberet, quòd essent mali plerique, aut falsis Prophetis crederet eum decipientibus. At Sedecias agnoscebat quidem Prophetam vera dicere, sed per amicos rursum depravatus abducebatur à Jeremiæ consiliis in diversum, quocunque vellent. Sed & *universi Principes Sacerdotum & populus pravaricati sunt inique juxta universas abominationes gentium, & polluerunt Domum Domini.* DEus illos sollicitè per servos suos quotidie commonebat; at illi *subsannabant nuntios DEI, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio.*

Non minùs sollicitus erat Jeremias pro iis, qui Babylonem transmigraverant. Inter eos quidam sibi nomen Prophetarum usurpabant, & brevi redituros in patriam mentiebantur præcipuè Achab & Sedecias imposturâ & nequitia magis insignes. Cùm igitur Rex Sedecias Legatos in Babylonem mitteret, usus occasione Jeremias epistolam scripsit ad exules, qua ipsis suasit, ne crederent Pseudo-Prophetis & somniatoribus, se brevi reversuros in Judæam; id nonnisi expletis septuaginta annis futurum. quare ædificarent domos, plantarent hortos, acciperent uxores & generarent filios & filias, ut non essent pauci numero. Ne præ se beatos existimarent, quibus in patria remanere licuit; brevi enim futurum, ut Dominus persequatur eos in gladio, & in fame & in pestilentia; & det eos in vexationem, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum & in opprobrium cunctis gentibus. Ipsi verò promittere Dominum multam prosperitatem, suamque protectionem, vitarent Chaldæorum mores, ritus & superstitionas observationes; abstinerent ab Idolorum cultu; hanc enim captivitatem non alio ex fonte, quàm ex ea impietate promanasse.

Hoc tempore Babylone contigit historia Susannæ, quæ illustrium ejus virtutum nobilissima documenta continet, sicut & divinæ providentiæ & justitiæ erga probos & improbos. porro duo illi senes, Susannæ accusatores, creduntur fuisse illi ipsi Pseudo-prophetæ Achab & Sedecias; qui à Daniele puero calumnix convicti, cùm lapidandi essent à populo, jussu Nabuchodonosoris igne exusti sunt.

ad meliora
hortatur.
2. Par. 36.
à v. 11.

Scribit ad captivos Babylonem.
Jer. c. 29.

Susanna in Babylone accusatur & absolvitur.
Dan. c. 13.
Jerem. 29.
v. 22. & 28.

Jeremias ob
salutaria mo-
nita multa
patitur.

Jer. 51. à v.

59.

Jer. 20. à v. 1.

et. 38. à v. 4.

Quarto Regni anno Sedecias Rex ipse Babylonem profectus est, nempe ut Jechoniam nepotem in vinculis & reliquum populum consolaretur, Regem salutaret & Judæis mitiorem redderet, tum etiam ut pactum tributum persolveret, qua occasione rursus Jeremias ad exules scripsit, hortatusque est tum ipsum Regem Sedeciam tum populum, ut dominatum Chaldæorum patienter ferant ac servitatem; venturum tempus, quo Babylonii ipsi suorum scelerum poenas luant. Quoniam verò etiam Jerosolymæ tum contra falsas promissiones Pseudo prophetarum, tum contra civitatem constanter prædicaret, multa propterea absente Rege passus est; cumque aliquando stans in atrio domus Domini nomine Dei ad omnem populum diceret: *Ecce ego inducam super civitatem hanc & super omnes urbes ejus universa mala, qua locutus sum adversus eam; quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos*: Audiens hæc Phassur unus ex primis Sacerdotibus, percussit Jeremiam, & misit in subterraneum carcerem; ex quo altero die eductus nihil quidem à pristina libertate loquendi remisit; querebatur tamen, se Prophetam in ea incidisse tempora, quibus sermo Domini esset in hominum derisum & subannationem tota die.

Ezechiel per
43. capita.

Quinto transmigrationis anno cœpit prophetare Ezechiel in medio captivorum super flumina Babylonis, ubi sedebant, & fiebant, cum recordarentur tui Sion, habuitque mirabilem illam visionem de similitudine quatuor animalium. Post alias deinde variâsque visiones de clade & interitu Jerosolymæ, de fuga & comprehensione Sedeciæ Regis, de publicis privatisque sceleribus Judæorum prædixit reversionem populi ad propria loca: vaticinatus est de adventu Domini, de baptismo, de aliis Christi mysteriis, & de structura Templi.

Nabuchodonosor eversâ
Ninive Ty-
rum obsidet
Ezech. 26.
à v. 7. &
p. 27. & 28.

Nabuchodonosor superatis intereâ Medis subactisque, Niniven, quæ ad istos jam aliquoties defecerat, expugnavit, rotisque perfidam funditus evertit, atque ita delevit, ut nulla deinceps reperitur ejus mentio vel in sacris, vel profanis litteris. Post Medos, Armenos quoque, atque Hyrcanos, ac deinde Elamitas sive Persas subjugavit. Amplificato latè per Orientem imperio arma in Occidentem convertit, ac Tyrum, cujus potentiam ac superbiam ferre non poterat, obsidere cœpit. Hæc enim urbs paulò post diluvium à Thira septimo Japheti filio in

insula maris mediterranei condita inventa primò re nauticâ ad tantam denique pervenit potentiam, ut tunc toto penè mari mediterraneo longè latèque dominaretur, sèque ipsam præ superbiam ob divitias & pulchritudinem non caperet; nam *edificavit Tyrus munitionem suam. & coaccervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum. Zach. c. 9. v. 2.*

Dum Nabuchodonosor obsidione Tyri occupatur, Rex Sedecias jugi Babylonici, quod septem jam annos portaverat, impatiens, cœpit illud excutere, ratus, si cum Ægyptiis Chaldæorum hostibus vires conjungeret, nihil sibi suoque Regno metuendum à Chaldæis præsertim Tyrio bello distentis; spem quoque faciebant Pseudo-Propheta, quibus unus Jeremias, sed frustra, resistebat. Itaque à Nabuchodonosore deficiens cum Ægyptiis societatem iniit, datæ fidei immemor, & jurisjurandi.

Audita defectione Nabuchodonosor cum parte copiarum in Judæam irrumpens obsidionem Jerosolymæ inchoavit, ad quod nuntium exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto opem Sedeciae laturus. Chaldæi ne simul cum gemino hoste sibi pugnandum esset, recesserunt ab Hierusalem contra Ægyptios. Timore soluti cives se deinceps à Chaldæis tutos fore credebant. At Jeremias constanter edixit reversuros; & verò redierunt fugatis Ægyptiis, & extruxerunt in circuitu urbis munitiones, & clausa est civitas atque vallata. Consultus à Sedecia Jeremias tum ipsi, tum populo omnino suasit deditioem, si salvi esse velint. Nam agebat: *quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem profugerit ad Chaldaeos, vivet. Et: Tradendo tradetur civitas hac in manu Regis Babylonis, & capiet eam.* At hujusmodi vaticiniis bonus Propheta non nisi vincula retulit, verbera, carceres, & mortis minas. Interim *prevaluit fames in civitate, nec erat panis populo terra.* Secuta est pestis cum innumeris calamitatibus, quæ eò magis augebantur, quò longius extrahebatur obsidio. Paulò ante quàm veniret urbs ac Templum in potestatem Chaldæorum, quidam Sacerdotes hortatore sine dubio Jeremia tabernaculum, arcam fœderis, altare incensi, ignem perpetuum, nonnullaque alia, quæ facilè asportari poterant, in subterraneo quopiam loco absconderunt. *2. Mach. c. 1. à v. 19.* Factum id est

Sedecias fidei Nabuchodonosori frangit.

4. Reg. 24. v. 20.
2. Par. 36. v. 13.

Jerosolyma obsidetur, capitur Sedecias, oculis orbatur.

4. Reg. 25. à v. 1.
2. Par. 36. à v. 17.
Jer. 38. à v. 2.
& Jer. 39. à v. 1.
& Jer. 52.

est providè & in tempore. Nam Chaldæi perrupto exteriori muro, apertaque portâ piscium irruentes, secundam quoque interioris muri portam occupârunt; quo viso *Rex Sedecias, & omnes viri bellatores fugerunt, & egressi sunt nocte de civitate per viam horti regii, & egressi sunt ad viam deserti.* Hostes verò patefacta interim secunda quoque porta in urbem irruentes omnia cædibus, rapinis, infanda omnis generis libidine replent. Ipsa atria Domûs Domini, quò miseri magno numero salutis causâ confugerant, impleta sunt interfectis, solique illi servati sunt, qui tunc furenti per urbem hosti non occurrerunt, sed latebris clausi se servituti reservârunt. Regem fugitivum hostes non procul à Jerichunte assecuti sunt; quò videntes amici & Duces fugæ comites, relicto Sedecia dissipati sunt, quâ quemque spes fugæ tulerat; ipse vürò desertus cum liberis & paucis amicis in hostium potestatem devenit, perductusque est ad Nabuchodonosorem. Erat hic tunc in Reblatha in finibus Judææ sita, exspectans eventum obsidionis tum Jerosolymæ tum Tyri. Ubi in conspectum Nabuchodonosoris venit, iste fœdifragum & ingratum gravibus primò verbis increpuit, mox iussit ipso Sedecia & aliis captivis inspectantibus filios ejus & amicos trucidari, ipsi autem, priùs oculis orbatò catenas injici, & Babylonem abduci; ubi non multò post præ animi mœnore ac oculorum dolore è vivis abiit.

Postquàm ferè mensis abiit in cædibus & populatione Jerosolymæ, visum est Regi civitatem omnino delere. Misit igitur Nabuzardem Ducem cum mandatis, ut priùs Templum, & regiam spoliaret, deinde in cineres redigèret, muros, turres, ac urbem funditus dirueret, ac reliquum populum in Babylonem traduceret relictis solis vinitoribus, agricolis. & pauperibus terræ; quò ipse accuratè præstitit. aucta sunt, quæ à priori spoliatione reliqua erant universa saxa domûs Domini tam majora, quàm minora, thesauri Templi, & Regis, & Principum cum omni supellectile: muri Jerusalem per circuitum subversi: turres dejectæ: undique subjecti ignes, quibus Templum, Regia, urbs tota conflagravit; cùnque post incendium firma murorum compages adhuc staret in Templo, eos demoliti sunt, & *dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum.* Cives, qui jam antea se dediderant cum plurimis aliis è Judæa Babylonem

Jerosolyma
& Templum
incenditur.
4. Reg. 25.
2 v. 3.
2. Par. 36.
2 v. 19.
Jer. 39. 2.
v. 11.
Jer. 40. a v. 2.
Jer. 52. a v.
13.

nem sunt translati, Saraias verò Summus Pontifex cum quibusdam aliis, qui primùm nunc è latebris suis exhibant, missi sunt in Reblatha, ubi percussit eos Rex Babylonis, & interfecit. Jeremiam voluit Nabuchodonosor humaniter tractari, quem virum sanctum esse, & deditiōnem semper suasisse ex transfugis audiverat. Quare Nabuzardan eidem potestatem dedit aut demigrandi Babylonem, aut in Judæa manendi, aut quocunque libuisset abeundi.

Maluit manere in patria apud reliquias populi, deque sacro deposito sollicitus divino monitu in tempore locum adit, in quo nuper arca, altare, tabernaculum, abdita fuerant; eaque per fidos homines trans Jordanem in montem transtulit, ex quo olim Moyses terram Chanaan à longè lustrarat, ibique in spelunca recondidit. Hoc ministerio perfunctus rediit, & Jerosolymam per otium contemplatus jam non amplius plenam populo, civitatem perfecti decoris, Dominam Gentium Principem Provinciarum, gaudium universa terra; sed solam nunc, & desertam, super carbonem denigratam factam quasi viduam, sub tributo, derisum omni populo suis lamentationibus amaro animo suspirans & ejulans deslevisit.

Jeremias manet in patria.
Jer. 40. v. 6.
2. Mach. 2.

Jechonias, Rex Juda exautoratus & captivus Babylone.

Sciente hac in sanctam civitatem tempestate è reliquo Regno Judæi magno numero in tutiora loca, & plerique in Ægyptum se receperunt. Iis qui remanserant, aut ex fuga redierunt, Præfectus relictus est Godolias, ab omnibus valde amatus propter bonitatem ejus & humanitatem. At brevi Judæa creptus est invidia Ismaëlis; hic enim eam dignitatem affectans consilio atque etiam auxilio Regis Ammonitarum Godoliam & Chaldæos, qui cum ipso erant in Maspeth, occidit; qua cæde Judæi non solum afflicti, sed ita turbati sunt, ut turmatim rursus in Ægyptum fugerent; secumque frustra renitentem Jeremiam & Baruch ipsius scribam abriperent, veriti scilicet, ne Nabuchodonosor necem Godoliam & Chaldæorum Judæis omnibus sine discrimine imputaret, eamque ulcisceretur.

Judæi magno numero in Ægyptum fugiunt & Jeremiam secum abriperunt.
Jer. 40. v. 7.
& Jer. c. 41.
42. & 43.
4. Reg. 52.
à v. 12.

Ægyptum ingressi confederunt primò in Taphnis, deinde

Lapidant Jeremiam,

Sacra Veterum Temp Histor.

D d

verò

Jer. 43. v. 7.
& Jer. 44.
Martyrolog.
8. Maji.

verò in Memphim aliasque urbes dispersi sunt. Jeremias sollicitus, ne in terra Idolis dedita relaberentur sui in pristina scelerata, frequenter iis affirmavit, causam desolationis Juda & Jerusalem, omniumque malorum fuisse Idololatriam. Illi verò calamitates potius DEI cultui, pacem autem & felicitatem Idolistribuentes, non horruerunt impudenti ore Prophetæ in faciem dicere: *ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Regina Cæli, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus, quando verò id fecimus nos, & Patres nostri, Regis nostri & Principes nostri in urbibus Juda & in plateis Jerusalem; & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus,* unde & passim colebant Deos alienos in Ægypto; ac præsertim mulieres sacrificarunt Reginae Cæli, ei que faciebant placentas ad colendum eam, & libandum ei libamina. Itaque nomine ac ore DEI minas intentans: *visitabo inquit, super habitatores terra Ægypti sicut visitavi super Jerusalem in gladio & fame & peste, & non erit qui effugiat de reliquiis Judæorum.* Quas aliasque ejusmodi minas cum crebrius repeteret, sanctum Prophetam denique furentes lapidibus obruerunt in Taphnis Ægyptiorum, ubi etiam ab Ægyptiis, apud quos magno in honore fuerat, juxta Regis palatium sepultus est.

Baruch Babylonem ad captivos proficiscitur.
Baruch c. 1.

Orbatus Magistrò Baruch relicta Ægypto in Babyloniam profectus est; ubi Judæis jam certæ sedes attributæ erant, ac inter eos Josedec post occisum in Reblatha Saraiam Patrem Summi Pontificis titulum gerebat; Jechonias verò in carcere detinebatur. Ut captivos consolaretur, librum, quem Jeremia dictante conscripserat, convocatis recitavit, qui audientes plorabant, & jejunabant & orabant in conspectu Domini, miserunt quoque per eundem collectam pecuniam ad Sacerdotes, qui in ruinis Jerusalem morabantur, ut ad placandum Dominum sacrificia offerrent ad aram DEI tumultuario opere in loco pristino excitatam: vexatio nimirum dedit intellectum captivis, ut jam quærerent solum DEum Patrum suorum.

Nabuchodonosor Judæos ex Ægypto in Babylonem abstrahit.

Nabuchodonosori demum etiam Tyrii post toleratam tredecim annos obsidionem se dederunt, cum prius pretiosiora navibus imposita Carthaginem evexissent, quorum exemplum postquam secuti sunt etiam Sidonii, Rex inde bellum transtulit in Ægyptum, quæ cum magna parte Africae subjugata inde re-

nectens iter Idumæos, Philistæos, Moabitas, Amonitas, Ismaëli-
 tas, Agarenos, Syros, Arabes, Cyprum, Rhodum, Cycladas aliâs.
 que maris mediterranei insulas, cœteros demum circumquaque
 populos torrentis instar inundavit, *vinôque furoris Domini inebriavit* juxta Jeremiæ vaticinium, abduxit quoque innumeros
 undique, inter quos non pauci Judæi illi Ægyptiaci, captivos in
 Babyloniam, incendit ubique delubra Deorum, & simulacra di-
 sperdidit, aut in transmigrationem, nominatim Chamos Moa-
 bicarum, & Melchom Amonitarum, abripuit. *Jer. 48. 7. &*

49. 3.
 Pacato jam Imperio, latèque perdomitis gentibus Nabu-
 chodonosor mysticum illud somnium vidit de rebus futuris per
 grandem statuum adumbratis, quò cum conterritus esset spiritus
 ejus, tenuémque solum ac confusam ejus memoriam retinisset,
 convenire in Regiam jussit Chaldæos Astrologos, Genethliacos
 omnèsque somniorum conjectores, ut sibi somnium in memo-
 riam revocarent, ac deinde, quid portenderet, explicarent, ra-
 tus scilicet, eos, qui interpretationem cœlitus scirent somnio-
 rum, eodem beneficio etiam somnia inde posse cognoscere. Illi,
 placeret Regi, quid somniâset, aperire, se postea somnium inter-
 pretaturos. Rex somnium suum fugisse à se ait, illud ipsi sibi
 rursus indicarent; cùmque illi reponerent, istud hominis non
 esse, sed Deorum, Rex in furore & in ira magna præcepit inter-
 fici omnes sapientes Babylonis, veluti impostores. Crudelis
 sententia vix à facie Regis egressa mox executioni dari cœpta
 est, quærebatúrque etiam Daniel & socii ejus ad necem, quòd re-
 rum capitalium Præfecti inter Ariolos ac Prophetas non distin-
 guerent: quod ubi Arioch Princeps militiæ Danieli indicavit;
 Regem adiit, divinitusque per revelationem edoctus visiones
 capitis ipsius tam distinctè eidem in memoriam revocavit, tamque
 fidelem somnii interpretationem addidit, ut Nabuchodonosor
 cadens in faciem suam Danielem adoraret, etque hostias & in-
 censum sacrificari præciperet; repugnante verò Daniele & talem
 honorem soli DEO tribuendum indicante, exclamaret: *verè*
DEUS vester DEUS Deorum est, & Dominus Regum & revelans
mysteria. Constituit postea Danielem Principem super omnes
 Provincias Babylonis, & Præfectum Magistratum super cun-
 ctos Sapientes Babylonis; tres verò ipsius socios, Misach, Si-
 drach

Jer. 42. à v. 9.
 & Jer. 44.
 à v. 11.

Daniel oblin-
 terpretatio-
 nem somnii
 Princeps su-
 per omnes
 Provincias
 constituitur,
 Dan. 2.

drach & Abdenago nunc Chaldaicè appellatos, petente Daniele præfecit super omnia opera Babylonis, ut sic tuis in captivitate apud Regem & Magistratum possent esse præsidio.

Daniel propheta per 14. capita.

Hoc itaque Monarchiæ Nabuchodonosoris anno secundo cœpit prophetare Daniel, scripsitque multa de Christo, de tempore Adventûs, de tempore mortis ejus, de Antichristo & præliis ipsius, item de exccœcatione Judæorum, prædixit progressum quatuor præcipuorum Regnorum, & de bellis futuris inter Græcos & Persas, & inter successores Alexandri Magni, tanta pertpicuitate, ut aliqui putaverint, sed falsò, ea scripta fuisse multò posterius, quàm revera fuerint.

Nabuchodonosor jubet statuam suam adorari. Dan. 3.

Nabuchodonosor pro suâ sapientiâ intelligere poterat ex Danielis verbis & exemplo, nulli homini quantacunque virtute aut potentiâ præcellenti, sed soli DEO cœli ac omnium Domino adorationem ac sacrificia deberi; tamen non diu post victoriis ac triumphis insolens Monarcha divinitatem affectans imaginem suam sive statuam auream erigi jussit instar novi Dei publicè adorandam, ad id sine dubio incitatus tum adulatione, tum maxime invidiâ Procerum, ut sic tribus Judæis insidias pararent, quos Provinciarum operibus Præfectos esse dolebant, scirentque nunquam Idolum aureum adoraturos. Statua in amplissimo campo Dura Provinciæ Babylonis erecta 60. cubitos erat alta, sex lata, incredibili auri pondere, si ex solido auro conflata esse credamus. Ad dedicationem statuæ convenire jussi sunt ex omnibus Regnis & Provinciis Satrapæ, Magistratus, Principes, Duces, omnesque Optimates in potestatibus constituti, ita ut tribus operum Præpositis abesse non liceret, solo Daniele primo Ministro, cui tunc fortassis Rex solemnitati præsens innitebatur, ab hac cæremonia exempto. Præsentibus omnibus promulgatur edictum Regis de adoranda statua sub comminatione, ut, si quis eam non adoraverit prostratus, eadem horâ mittatur in fornacem ignis ardentis ordinariæ apud Chaldæos reorum supplicium. Igitur datò tubis aliisque instrumentis musicis signò prociidunt in terram omnes, & adorant statuam, soli tres Judæi stant immoti, mox deferuntur ad Regem, qui eum videret, nulla ratione eos adduci posse, ut Deos suos colerent, & statuam auream adorarent; pedibus vincti conjiciuntur in fornacem in eodem campo paratam, ac septuplo magis, quàm aliàs, succensam; at illi ceci-

ceiderunt quidem in medio camino ignis ardentis colligati; mox autem vinculis flammâ solutis surgentes ambulârunt in medio ignis, ac DEI laudes cantârunt cum Angelo, qui missus à cœlo se ipsis sociârât, quo miraculo attonitus Rex evocatos cum Optimatibus congregatis satis contemplari non potuit, ac mirari, quòd nec capillus capitis eorum esset adustus, demum in laudes divinæ potentia prorupit propositâ etiam pœnâ, si quis contra DEUM Hebræorum posthac convicia jactaret; neque enim, inquiebat, est *alius DEUS qui possit ita salvare*

Nabuchodonosor ob magnificentiam urbis Babylon superbit. Dan. 4.

Unus & alter annus abiit, cum novi fastûs ansam Nabuchodonosori dedit ipsa regia civitas Babylon; quæ totius Orientis immensis opibus locupletata, innumeris ædificiorum, præsertim duplicis palatii, templi Belis, hortorum pensilium, obeliscorum aliisque regis magnificentiæ miraculis ornata demum perfecta est, quam in solario supra tectum palatii fortè contemplan, seque ipsum potiùs quàm urbem admirans: *Nonne, inquiebat, hæc est Babylon magna, quam edificavi in domum Regis in robore fortitudinis mea & in gloria decoris mei?*

Sed incredibilem Regis superbiam denique DEUS portentosa pœnâ depressit, phantasia ejus ita turbatâ, ut se bestiam esse crederet. igitur abjectis insignibus regiis nudus hominum confortia fugit, sylvestribus sese feris aggregat, & quadrupedis instar incurvus in sylvis locisque aviis pluvias solésque perpessus, pilis toto corpore hispidus, unguibus quasi aquilinis armatus, sine articulata voce ejulans atque instar feræ ululans, herbis ac radicibus victitans per septem annos vitam Rex infelix post homines natos inauditam traduxit, usurationis ita destitutus, ut tamen per intervalla ejus & pristinae dignitatis sensum haberet, & pœnam suam sentiret; atque ita ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, veluti Daniel somnium ipsi de mirabili arbore explicans clarè prædixit.

Inauditâ pœnâ per septem annos punitur. Dan. 4.

Exacto demum pœnitentiæ septennio levavit oculos suos ad cœlum & animi sensum recepit, atque ab Optimatibus Regni requisitus & Regno redditus est magno totius populi gaudio. exinde Nabuchodonosor non, cessavit mirabilia in se opera DEI prædicare, Regem Cœli laudare, magnificare & glorificare, donec post annum vitam cum morte commutaret; quam, ut fert communis opinio, æterna felicitas est consecuta.

Moritur. An. 3420. Dan. 4.

Novus Rex
Jechoniam &
Danielem in
honore ha-
bet.

4. Reg. 25.
à v. 27.
Jer. 52. à v.
31.

Successor in Monarchia fuit filius Evilmerodach, qui Regni curam infano Patre jam habuerat. ut primùm autem thronum conscendit, Jechoniam è longo triginta septem annorum carcere liberavit, eumque non solum regiè habuit, sed & præ cæteris Regibus, quos è subjugatis populis Parens Babylonem duxerat captivos, honoravit, sed & Danielem non minore honore atque amore quàm Parens profecutus est propter præclara in hunc merita, & spectatam jam pridem sapientiam & sanctitatem, quam utramque etiam huic Regi duo recens comprobârunt exempla.

Daniel Regi
fraudes sacri-
ficulorum Be-
li detegit.
Dan. c. 14.

Rex admodùm devotus erat Belo, & ibat per singulos dies adorare eum, falsò existimans esse DEum viventem, quòd quotidie præter panem sat multum comederet oves quadraginta, & sex vini amphoras biberet. rogatus fortè Daniel, cur non etiam ipse adoraret Bel, hac occasione usus est detegendi Regi imposturam, ostenditque nequaquam Idolum intrinsecus luteum; & forinsecus æreum, sed sacrificulos septuaginta esse cum suis familiis, qui nocte per cuniculum subterraneum ingrederentur templum, & cœnam illam quotidie Belo appositam absumerent; quam fraudem ubi Rex ex vestigiis virorum, mulierum & infantium sparso per pavementum cineri impressis deprehendit, sacrificulos omnes cum suis familiis jussit interfici; Bel verò tradidit in potestatem Danielis, qui subvertit eum & templum ejus.

Daniel libe-
ratur è lacu
leonum.
Dan. c. 14.
à v. 22.

Erat Babylone in fovea quadam Draco, & colebant eum Babylonii. Rex Danielem rursùm tentans fortè ei dixit: *nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens, adora ergo eum.* At Daniel: *Rex, inquit, da mihi potestatem, & interficiam Draconem absque gladio & fuste.* Dedit eam Rex. Tulit ergo Daniel picem & adipem & pilos, & coxit pariter, fecitque massas & dedit in os Draconis, & disruptus est Draco; quod ubi audierunt Babylonii, in seditionem versù clamârunt: *Judeus factus est Rex: Bel destruxit: Draconem interfecit; & Sacerdotes occidit; simulque Regem adorti; trade nobis, inquit, Danielem; alioquin interficiemus te & domum tuam.* Rex vim metuens furiosus Danielem permisit; quem illi continuò miserunt in lacum seu subterraneam fossam à septem leonibus devorandum. At DEUS conclusit ora leonum, ut licèt sex totos dies jejuni, servum DEI ne quidem attingerent, ipsi verò Danieli, ne fame

fame moreretur mirabilem mensam paravit; nam Habacuc pulmentum, quod in Judæa messoribus suis tum coxerat, ferre jussus est Danieli, portatusque capillo capitis sui ab Angelo in Babylonem Danieli in prandium apposuit. Septimo die lacum accedens Rex, cum videret sedentem in medio leonum, exclamavit voce magna Rex dicens: *Magnus es Domine DEUS Danielis*, extractoque Daniele in lacum injici jussit seditionis Authores, qui devorati sunt in momento coram eo.

Interim Babylone vitam finiit Jechonias Rex infelix ultra quadraginta annos captivus. reliquit filium Salathiel in captivitate genitum, quem deinceps Judæi Ducem suum agnoverunt.

Jechonias moritur. Efdæ 4. v. 16.

Salathiel in transmigratione Dux populi Judæorum.

Salathiel utique & ipse Evilmerodacho gratus fuerit ob commendationem Patris, divinâ providentiâ, quæ Davidis familiam in spem Messia sustentabat, egregiè patrocinate. Porro non diu admodum illius gratiâ frui potuit; nam Rex vigesimo tertio Regni anno propter injustitias & libidines à Sororis suæ Marito est interfectus. Ei successit in Monarchia Baltasar Magni Nabuchodonosoris Nepos.

Salathiel gratus apud Regem.

Hujus anno primo Daniel in nocturno somnio vidit quatuor cœli ventos ac totidem bestias, quibus 4. Imperia significabantur Babyloniorum, Perfarum, Græcorum, & Romanorum, quod excipiet Antichristus, cujus dominatus Judicio generali & consumatione sæculi terminabitur. Anno deinde Baltasaris tertio in spiritu Susas translatus celebrem illam visionem habuit, in qua de eversione Perfarum per Alexandrum, deque Antiochi Illustris in Judæos crudelitate, impietate, nefandisque sceleribus varicinatus est. ægroravit postea Daniel per dies; sed ubi convalevit, sese regis negotiis de more iterum applicuit.

Danielis visiones. Dan. c. 7 & 8.

Balthazar interim Patre suo haud temperantior non tantum sibi, sed & imperio denique perniciem ultimam per ignaviam & voluptates procreavit. Quodam Diis Babyloniis festo die celebrius convivium instituit invitatis ad id mille Optimatibus;

Daniel Regi Balthazar verba in pariete scripta

interpreta-
tur.
Dan. 5.

tibus: jam temulentus iussit ad mensam afferri sacra vasa aurea & argentea, quæ Avus è Domo Domini Babylonem deportaverat. Dum in eis bibunt Rex & Optimates ejus, uxores & concubinæ illius, simulque laudant Deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos; ecce apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aula regiae. Rex cum omnibus contritus ita ut genua ejus ad se invicem colliderentur, fortiterque exclamans convocari iussit Magos, Chaldaeos & Aruspices. verum quod verba scripta essent per capita vocabulorum, conjunctim nihil significantium, Sapientes Chaldaeorum non poterant scripturam legere, nedum interpretari. Regina suggerente accersitur Daniel; qui divinam in Regem sententiam tribus verbis *Mane Thecel Phares* expressam Regi denuntiat. Credidit Rex, tristitia à Daniele nuntiata longo primùm post tempore eventura, at postremo hoc profanatorum vasorum sacrilegio mensura iniquitatum Regis & populi Babylonici jam erat impleta. Eadem enim nocte conspiratione Principum inprimisque Darii Medici sive Nabonidi interfectus est Balthasar, etque in Regnum successit Darius iste consensu reliquorum conjuratorum Rex Babylonis delectus, qui, quia à Medis oriundus erat & Parentes ejus è Media profugi Babylone confederant, Darius Medus vocabatur, annos natus sexaginta duos.

Daniel divi-
nitus è lacu
leonum libe-
ratur.
Dan, c. 6.

Ab hoc Rege Daniel magis, quàm à prioribus fuit honoratus; nam non contentus eum inter tres præcipuos Regni Principes collocasse, insuper cogitabat constituere eum super omne Regnum, ut ipse unus proximus esset à Rege. at istos honores in Judæum collatos mox iterum Satraparum invidia secuta est, collaborantium, ut Daniele à regiò latere amoverent, cumque in regionum negotiorum administratione nec suspicionem culpæ reperire possent, quasièrunt occasionem perdendi eum in Legge DEI sui. Solebat Daniel quotidie ter, tertiâ nempe, sextâ & nonâ horâ, flectere genua, & fenestris apertis conversus contra Jerusalem adorare; quod illi observantes communi consilio Decretum conficiunt, quo vetitum erat, ne ad triginta dies quisquam ab ullo vel DEO vel homine quippiam petat, præterquam à Rege poenâ propositâ, ut, qui contraverit, leonibus obijciatur devorandus. Decretum exhibent Regi, atque iste legem
tam

Salathiel in transmigratione Dux populi Judæorum. 215

eam tam injustam quam inutilem ac difficilem confirmat. Daniel pergit in pristina orandi consuetudine. Hoc illi continuo deferunt ad Regem, & Daniel, inquit, *de filiis captivitatis Judæa non curavit de lege tua, sed tribus temporibus per diem orat.* Rex videns dolensque se fraude circumventum posuit cor suum, ut liberaret Danielelem; at urgentibus ejus inimicis, Decretum à Rege semel constitutum non licere immutari, cessit invitum, ut leonibus objiceretur, ajens ad Danielelem: *DEUS tuus, quem colis semper, ipse liberabit te,* noctemque illam sine cibo & somno transegit Rex sollicitus pro Daniele fidelissimo sibi & amantissimo. Et verò DEUS jam secundo misit Angelum tuum & conclusit ora leonum, ne nocerent servo suo; quod ut vidit Rex summo mane festinans ad os laci, plenus gaudio Danielelem educi jubet, accusatores contra cum filiis & uxoribus demitti; qui vix pervenerunt ad pavementum laci, *acceperunt eos leones & omnia ossa eorum comminuerunt.* Rex verò Darius scripsit universis populis, Tribus & linguis habitantibus in universa terra hoc Decretum: *Pax vobis multiplicetur: A me constitutum est Decretum, ut in universo Imperio & Regno meo tremiscant & paveant DEUM Danielis. Ipse est enim DEUS vivens, & æternus in sæcula.*

Interea Cyrus Persa, qui victo Astyage Medorum & Cræso Lydiorum Regibus, insuper Asiam inferiorem penè universam subegerat, aditum sibi per multiplices victorias ad Babyloniam denique occupandam, & Imperium in Persas transferendum munivit. Itaque Harpagum Ducem Asiæ inferiori cæterisque Provinciis, quas Persarum jugum subire coëgit, præfecit. Ipse verò in Babyloniam expeditionem suscepit, victoque, qui cum copiis occurrerat, Dario Medo Babyloni exercitum admovit, quâ demum vi occupatâ extinctoque adeò Assyriorum & Babyloniorum Imperio Cyrus Persa imperavit.

Cyrus Persa extincto Babylónico Imperio fit Monarcha.
2. Par. 36.
à v. 22.
Jer. 25. à v. 12.
Cyrus Rex Persarum primus.

Zorobabel, Dux Judæorum.

Isaias c. 44. v. 26. 27. 28. & c. 45. v. 1. 2. 3. 4. ante centum & amplius annos prædixerat, Cyrum fore, qui ad subigendos totius Asiæ populos à DEO delectus Judæos tandem iterum liberos in patriam dimitteret, quam de se Prophetiam, cum nunc,

Ab An. 3465.
Judæi è captivitate redierunt in patriam.
Esdra 1. & 2.

Sacra Veterum Temp. Histor.

E e

lug

suggerente fortassis Daniele, qui adhuc in vivis erat, didicisset, eam primo statim Monarchiæ anno implevit, edictoque regio Templum Jerosolymæ instaurari non tantum permisit, sed etiam jussit regiis sumptibus! Reddidit quoque vasâ tum aurea tum argentea quinquies mille & quadringenta, quæ olim tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat in Templo DEI sui. Itaque post septuaginta annorum captivitatem iuxta verbum Jeremiæ c. 29. v. 10. Duce Zorobabele Salathielis filio cum Josue Summo Pontifice iter ingressi magno numero in Judæam reversi sunt, & suas rursus suorumve Patrum sedes incolere coeperunt.

Altare extru-
unt.
Esd. 3.

Post reditum prima Ducis ac Summi Pontificis cura fuit in pristino loco extruere altare, quod ubi primum super bases suas fuit collocatum, indicto ad illud dedicandum conventu, à primo die mensis septimi, sive Septembris consueta juxta legem Moysis Sacrificia simulque ineidens tunc Festum tabernaculorum celebrarunt. Inde de Templo ædificando actum conventumque est cum latomis, cæmentariis & fabris lignariis de pretio materiæ, de vecturis cum Tyriis & Sidoniis quoque, qui de monte Libano ligna cedrina adveherent usque ad portum Joppen Jerosolymæ viciniorem.

Fundamenta
novi Templi
jaciunt.
e. 3. à v. 8. &
e. 4. à v. 1.
ad 4.

Anno secundo adventus jacta sunt Templi fundamenta, quibus perfectis inter tubas & cymbala in hymnis & psalmis DEO laudes sunt cantatæ, totaque latè vicinia tum lato populi clamore, tum magno Seniorum, qui prius Templum viderant, fletu personuit; quod cum audivissent Samaritani, accesserunt Zorobabelem aliosque populi Principes, rogantes, ut ipsi quoque in partem tam pii laboris atque operis admitterentur; nam etiam se querere DEum Judæorum, eidemque victimas immolare inde a tempore Assaraddonis Regis Assyriorum, à quo in has terras adducti essent; 4. Reg. 17. v. 41. sed quod essent gentes istæ *timentes quidem Dominum, sed nihilominus Idolis suis servientes*, rejecta est eorum petitio; qua ignominia offensi quibus potuerunt artibus ac fraudibus deinceps fabricam impedire conati sunt, corrupendo etiam Regios Præfectos, ut nonnisi tarde sumptus suppeditarent, aut alias atque alias, ut fit, causas prætexentes omnino negarent; unde etiam Judæi in opere tum Templi tum mutorum urbis, quos simul erigere utcumque coeperant, lentè

lentè progrediebantur suis potiùs & amicorum, quàm regiis sumptibus; Cyro, quid in Judæa ageretur, nesciente, ac primis annis in alia Regni negotia, deinde etiam in bella præsertim contra Massagetæ ad mare Caspium distracto, à quibus cùm etiam acie victus cæsúsque esset; tum verò apertâ etiam vi Samaritani sese Judæis opposuerunt.

Vix mortem Cyri fama vulgaverat, etque in Imperio successisse Cambysem filium, datis ad hunc literis Judæos accusarunt; eos muros Jerusalem instaurare, ut iis perfectis civitas *rebellis & pessima* tributum & vectigal & annuos redditus Persarum Regibus deneget, ob quam causam etiam olim destructa fuisset; id quod Rex in libris Historiarum scriptumque in commentariis invenire posset; qua quidem accusatione obtinuerunt, ut Rex rescripto prohiberet urbem ædificari. Etsi verò hac prohibitione Templum non comprehenderetur, studium tamen illius extruendi vehementer refrixit; causam rogatus populus, nondum tempus advenisse dicebat, quòd non liceret extruere muros urbis, per quos Templum esset in tuto, cùm interiorem ipsi nihilominus sibi domos magnificas extruerent, ob quod etiam sterilitate terræ à DEO puniti sunt. *Aggai 1. v. 3. & 4. 10. & 11.*

Cambyfes interim in Ægyptum movet, qua subacta totam Africam domare tentat triplici expeditione; at cùm nulla feliciter cessisset, in Ægyptum reversus est, in qua dum crudeliter, præcipuè in Ægyptiorum Deos horumque templa sævit, ipsum etiam fratrem in Persidem amandatum Sufis clam occidi curavit; veritus ne aliàs somnium, quo in regio solio sedentem vidisset, impleretur. at paulò post ipse etiam, cùm femoris musculum acie ferri læsisset, mortuus est in Ægypto. Nuntio demortue Cambyfis in Persidem perlatò Magus quidam Smerdis nomine occiso Regis fratri habitu corporis simillimus Regnum invasit Artaxerxes dictus. Aliquot mensibus Impostor latuit; at tunc re detectâ septem Principum virorum conspiratione occisus est. Novi Regis electio casui permilla est, conventumque inter Principes Regni Candidatos, ut cujus equus sub ortum Solis, quem Persæ adorabant, in campum eductus primus hinnisset, Rex esset. Darii Hystaspis equus famuli industriâ primus hinniit, ipseque Rex est salutarus.

Ab An. 3471.

Structura
Templi im-
peditur.
Esd. 4.
Cambyfes
Rex Persarum.

Darius Zoro-
babilis ami-
cus fuit Rex
Persarum.

Ab An. 3479.

Zorobabel
Sufas profici-
fcitur & re-
dit.

1. Efd., c. 6.

Zorobabel auditò, Darium Regem esse, Sufam, ubi erat Persarum Regia, profectus & confirmatò antiquò Cyri Decretò, & Darii novo plenam instaurandi Templi potestatem cum necessariis ad id subsidiis obtinuit; sed & plura alia ob veterem Cyri tempore cum Dario amicitiam, & nunc ob novam resolutà sapienter de fortitudine quæstione initam gratiam ab optimo & munificentissimo Rege impetravit. 3. Efd. c. 3. & 4. Itaque reverso Jerosolymam cum multis rursùm Judæorum familiis Zorobabele structura Templi conjunctò omnium studiò strenuè urgetur, ad quod Prophetarum Aggæi & Zachariæ hortatu vehementer Judæi sunt animati: Hoc enim anno secundo Darii ille Spiritu DEI agi & prophetare cœpit mense sexto: iste verò mense oétavo,

Aggæus pro-
phetat per
aria capita.

Aggæus ardentè hortatus est Judæos ad extruccionem Templi, eos increpans, quòd diligentius suas quàm DEI domum ædificarent. prædixit, Templum hoc secundum, licet de impolito lapide structum, fore multò gloriosius, quàm primum; quòd istud præsentia suà corporeà, doctrinà & miraculis esset ille illustraturus, *qui veniet desideratus cunctis gentibus.* denique vaticinatus est de Christo sub nomine Zorobabelis, ejus Regnum cœteris corruentibus sempiternum fore, utpote à DEO singulari cura conservatum, quasi *annulum signatorium in manu sua.*

Zacharias
per 14. ca-
pita.

Zacharias pariter hortatus est ad ædificationem Templi, ob cujus neglectum hætenus non fuissent grata DEO Sacrificia, prædixit multa de futura Ecclesiæ felicitate sub typo Jerusalem; de Christo venturo; de fructu passionis ejus; de Judæorum excœcatione; de Antichristo, & Christi Regno, cujus vitam penè instar Evangelistæ recenset.

An. 3485.

Dedicatio
Templi se-
cundi.
Efd., 1. c. 6.

Templum sexto Darii anno ultimam denique manum accepit, dedicatumque postea fuit cum incredibili Judæorum & multorum de cœteris Tribubus gaudio: qua in solennitate oblati sunt vituli centum, arietes ducenti, agni quadringenti, hirci caprarum pro peccato totius Israël duodecim juxta numerum Tribuum Israël. In hoc novo Templo ut deinceps sacra Ministeria ritè peragerentur, *statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis super opera DEI in Jerusalem sicut scriptum est in Libro Moysis.* Non diu post dedicationem celebra-

lebratum est Pascha legitimo tempore cum septem azymorum diebus eò majori cum lætitia; quòd non tantùm plurimi de cœteris Tribubus undique à coinquinatione gentium separati adventassent ad solemnitatem, sed etiam multi desertis Idolis ad verum DEum facti Profelythi converterentur, ritusque Hebraicos celebrarent.

Dum sic Judæi res tum ad cultum divinum, tum ad Rempublicam pertinentes ordinant, gratiâque Darii patriam suam rursus in pace incolunt, ipse interim gravissimis bellis tum in Asia, tum in Europa fuit occupatus. Primò exercitum duxit contra Babylonios, qui ab ipso defecerunt, eosque vigesimo demum mense subjugavit insigni facinore Zopyri unius è septem Principibus, qui Smerdem interfecerunt. Hic præcisus sibi met naribus auriculisque fœdè mutilatus in urbem, veluti hæc passus esset à Dario, transfugit, fide obtentâ perque aliquot eruptiones in Persas confirmatâ, clavibus sibi à Magistratu permissis portas Dario patefecit, qui urbe potitus muros circumcidit, & portas omnes amolitus est; tria millia Procerum patibulis affixa; cœteris venia data. Inde in Scythas Europæos expeditionem molitus est, ac per pontem Bosporo, deinde Danubio impositum in Scythiam traduxit exercitum, verùm cum Scythis se subducentibus in deserta loca pertraheretur, magna exercitûs parte deletâ in Asiam ægè ipse servatus redire coactus est, relictis tamen in Europa 80000. millibus, qui Græciam subjugarent. unde omnia bella deinceps Græcos inter & Persas profeminata sunt, donec tandem ipsum Persarum Imperium armis Græcorum & maximè Alexandri Macedonis eversum est.

Sub idem ferè tempus Romæ mutata est Reipublicæ forma. Inde à Romulo Reges habuerat, nunc verò pulsò Româ Tarquiniò superbo, ultimo Rege, extinctâque regia potestate ac nomine, constituti sunt deinceps duo Consules, qui annuo Magistratu pari Jure atque autoritate fungerentur, ut alter alterum revereri, & si quando res ferret, in officio continere posset. Primi fuerunt L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, & reliquo anno Magistratùm hunc gesserunt usque ad undecimum Calendas Maji, quo, cum is sit conditæ urbis dies, annus apud Romanos inchoabatur; Tum etiam primum fœdus inter Romanos & Carthaginenses initum, quo tempore Romani vix us-

Judæi favore
Darii in pri-
stinum sta-
tum republi-
cam restitu-
unt.
Esd. 1, c. 6.

Romæ muta-
tur Reipubli-
cæ forma.
Darii, Zoro-
babelis & Jo-
sue Pontificis
mors.

que ad decimum septimum lapidem agrum possidebant. Persæ subinde copiis aucti post Thraciam & Macedoniam subactam cœteros quoque Græcos magna ex parte subjugarunt. verum cum nunc hi nunc isti deficerent præsertim Athenienses, bellum in multos annos protractum est; donec demum Darii Duces ab Atheniensibus Duce Miltiade ingenti prælio devicti sunt. contraxit quidem Darius novas atque innumeras copias tum Græciæ tum Ægypti, quæ post Marethoniam pugnam ab Imperio defecerat, injurias ulturus; verum in ipso belli apparatus supremum diem obiit, cum prius Xerxem ex Atossa Cyri Magni filia susceptum Regni Successorem instituisset; quo ferè etiam tempore Jerosolymæ mortuus est Summus Pontifex Josue, & Zorobabel Babylone, quò ut Hebræi tradunt, aptata æde Sanctuarii reversus est ad Judæorum reliquias, qui ibi adhuc morabantur. reliquit filium Abiud, per quem deinceps propagata est Genealogia Salvatoris: Josue verò Joachim filium Ducem simul Judæorum & Pontificem. *Esdræ. 2. c. 12.*

Joachim Pontifex, & Dux Judæorum.

Xerxes favet
Judæis.

Xerxes uti Regni, ita & hæres paternæ pietatis fuit; nihil enim, ut ait Josephus, *l. 11. ant. c. 5.* ex Patris Institutis circa divinum cultum mutavit, & Judæos summâ benevolentia profecutus est, qui tamen miseri nihilominus erant etiam sub bonis Principibus; nam inde à captivitate nunquam deinceps planè fuerunt sui Juris; & uti nunc Persis, ita postea Græcis, ac demum Romanis servièrunt, vel potius eorum subditi & vèdligales fuerunt in patria sua. Duces & Magistratus quidem habuerunt, verum ex alienigenarum voluntate ac venia. Summi Pontifices, qui sæpe simul erant Reipublicæ Principes, quamvis Patribus suis naturali generatione in officio succederent, ab illis tamen approbari & confirmari debebant; hinc ab eis sæpe institutos legimus atque exautoratos.

Sumptus ad
Sacrificia ad
exemplum
Patris suppeditat.
Esdræ. 6. à v. 8.

Xerxes altero Regni sui anno Ægyptum recuperavit, & fratri suo tradidit gubernandam. Ipse verò comparato per totum quadriennium ex tota Asia exercitu appetente vere gemino ponte Hellepontis freto impositò in rebellem Græciam trajecit octingenta millia militum non annumerato exercitu navali mille

mille ducentarum navium. In aditu Græciæ Lacedæmonii strenuè ad Thermopylas resistunt cæsis Persarum viginti millibus; victus deinde Xerxes ad Salaminam per Themistoclem Atheniensem Ducem navali prælio fugit Helespontum versus, ac relicto in Græcia Mardonio Duce ac Gencro suo in Asia minore confedit, unde cum per biennium quinque præliis suorum clades ac interneconem spectasset, rediit in Persidem, cumque aliquot adhuc annos regnasset ab Artabano demum regionum satellitum Principe occisus est, qui si ex Patris Institutis, ut ait Josephus, nihil circa divinum cultum apud Judæos mutavit, ipse quoque Sacrificiorum sumptus Jerosolymæ magna saltem ex parte suppeditavit. Eidem in Imperio successit filius Artaxerxes, qui & Assuerus dicitur, & Longimanus ob unam mahum alterâ longiorem.

Artaxerxes
sive Assuerus
Rex Pers.

Eliafib, Dux & Pontifex Judæorum.

Filius Joachim Esdræ 2, c. 12.

Artaxerxes bellum contra Græciam profecutus quidem est, at infelici semper eventu Græcis præsertim Atheniensibus terrâ marique prævalentibus; ut denique ignominiosam pacem inire cogeretur ea lege, ut Græcas Asiæ minoris urbes liberas relinqueret, néve ad mare propiùs intervallo, quantus equi cursus est, accederet. felicior fuit contra Ægyptios iterum rebelles, quos licet ab Atheniensibus adjutos demum perdomuit. Tertio Imperii anno constitutis ab India usque Æthiopiam per centum viginti septem Provincias Præfectis aliisque Principibus viris ac Ducibus ad gloriæ ac magnificentiæ suæ ostentationem exhibuit grande convivium per 180. continuos dies; septem diebus ultimis Susanos quoque urbis regiæ cives à minimo usque ad maximum mensæ suæ adesse voluit in atrio regionum hortorum ac nemorum instructæ. ut verò oculos omnium convivarum insigni aliquo spectaculo etiam delectaret, ultimo convivii die, cum Rex esset hilarior, & incaluisse mero, monuit Eunuchos, Reginam posito super caput ejus diademate introducerent, ut ostenderet cunctis populis & Principibus pulchritudinem ejus; at illa renuit venire. Rex contemptum se putans à muliere è sententia septem Principum, quos habebat consilia-

Ab An. 3535.

Artaxerxes
Estherem puellam Judæam in Reginam assumit,
Lib. Esther
c. 1. & 2.

rios

rios intimos, eam repudiavit; totóque Regno quæri jussit Virgines forma præstantes, è quibus loco Vasthi Reginam eligeret. In harum numerum venit Esther puella Judæa, quam Mardocheus nobilis in aula Judæus mortuo utroque Parente adoptarat in filiam, educata deinceps cum aliis electis Virginibus in domo regia, & assumpta deinde ab Assuero in Reginam ob eximiam præ cæteris pulchritudinem.

Esdra cum Sociis in Judæam venit. Efd. l. i. c. 7.

Hoc tempore apud Babylonem degentium Judæorum primarius Sacerdos erat Esdras Legis Doctor & Scriba, ut eum Artaxerxes vocat, doctissimus. Is cum accepisset Jerosolymis multa tum quæ ad DEI cultum tum quæ ad mores pertinent, esse depravata, statuit illuc cum sociis præsertim Sacerdotibus & Levitis proficisci, ut prolapsos Judæorum mores emendaret, & omnia ad primævam Legis normam corrigeret, cumque gratiã valeret apud Artaxerxem, non solum licentiam deducendi novam rursum Judæorum coloniam, sed & literas publicas ab eo obtinuit plenas regiis favoribus cum amplissima potestate veluti Commissarius Regius constituendi Judices & Præsides inter Judæos, horumque delicta pœnis coercendi. Itaque post jejunium fusasque pro itinere prospero preces cum collectis Babylone mille septingentis septuaginta quinque sociis septimo anno Artaxerxis iter ingressus est, deferens secum vasa aurea & argentea, multaque talenta auri & argenti, quæ Rex & Optimates alique in Judæorum Legem & gentem benè affecti DEO Israël offerri voluerunt, instructus præterea literis ad Præfectos regios trans flumen, scilicet Euphratem datis, quibus jubebantur de thesauro & fisco Regis Esdræ præbere sine mora quidquid petierit, *usque ad argenti talenta centum; & usque ad frumenti coros centum, & usque ad vini batos centum; sal verò absque mensura.*

Esdra reformavit Judæorum mores. c. 8. v. 32.

Intra quatuor menses Jerosolymam venerunt; tres dies quieti & mutuis officiis dati; quarta adventus die appensum est aurum & argentum & vasa in domo DEI; peractis Sacrificiis tradita sunt Satrapis edicta Regis, qui tam populum, quam Domum DEI honore ac favore prosecuti sunt visâ Regis in eos tam insigni benevolentia. Inde Esdras reformationis negotium aggressus est. præcipuus ipsius labor fuit disjungere illegitima cum alieni-

alienigenis connubia, quibus non solum multi de populo sed & Principes, Sacerdotes & Levitæ coinquinati erant.

Sub istud reformationis tempus opportunè quoque surrexit Malachias Prophetarum ultimus, & imprimis Judæos arguit ingratitude in DEum tantorum bonorum Authorem, deinde Sacerdotibus negligentiam, socordiam & impietatem exprobrat, prædixit abolito Sacerdotio & Sacrificio Aaronico subsécutorum aliud longè nobilius & jure Sacrificium Eucharisticum, reprehendit illegitima cum alienigenis connubia, promittit adventum Christi, ejusque Præcursores Joannem, ob negatas DEO decimas & primitias minatur perituras Judæis fruges, demum denuntiat extremi Judicii diem, ejusque Prodromum Eliam, qui reliquias Judæorum convertet ad Christum, mortuus demum est adhuc Juvenis, ac in proprio agello juxta majores suos repositus, ut testatur Epiphanius in libro de vita & morte Prophetarum.

Malachias
prophetar
Per 4. cap. 22.

Interim Susis gravissima tempestas in Judæos excitata est. Asuerus Amanum gente Macedonem recens exaltaverat super omnes Principes, quos habebat, eumque juxta Imperium Regis adorabant omnes tervi, qui in foribus Palatii versabantur. solus Mardochæus prætereunti non flectebat genu; quod ille in sui contemptum interpretatus non ipsum tantum in crucem agere, sed totam Judæorum gentem, cujus jam prius hostis erat, perdere decrevit. commodo suis consiliis tempore Regem adit, monetque, populum quendam per omnes Regni ipsius Provincias dispersum & à se mutuo separatim novis uti legibus & cæremoniis, Regisque etiam Imperia contemnere, haud sanè Regno expedire, eum tolerari, ne amplius insolescat; decernat, ut populus ille pereat. Rex, cujus animus ab Amano possidebatur, dat ei potestatem agendi de populo, quidquid ipsi placeret. Igitur primo mense litteras Regis annulo obsignatas variisque linguis scriptas per cursores regios quaquaversum mittit ad Satrapas & Magistratus, quibus jubebantur die decimo tertio mensis ultimi Judæos omnes interficere à puero usque ad senem parvulos & mulieres, statimque etiam Susis urbe regia pependit edictum cunctis Judæis, qui Susis erant, stentibus. Verùm Regina, à Mardochæo monita jam non amplius dissimulatâ patriâ ac populo suo periculum discussit. Aman jussu Regis audita illius machinatione &

Regina Esther gravissimam in populum suum tempestatem avertit. Esther c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 16.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Ff

cro-

crudelitate in Regem quoque redundante, in patibulo, quod Mardocheus paraverat, suspensus est: Mardocheus, cujus fide & beneficiis ob detectam olim duorum Eunuchorum conjurationem Rex se vivere affirmavit, ad dignitatem & locum Amani evectus: edictum in Judæos irritatum, eisque præterea facultas data est, se de inimicis suis eo ipso die, quo ipsi perire debebant, ulciscendi, occisæque sunt præter decem filios Aman & quingentos viros in urbe Regia per omnes Regis Provincias septuaginta quinque millia, quo factum est, ut grandis cunctos Judaici nominis terror invaderet, ipsique Provinciarum Judices, & Duces & Procuratores Judæos extollerent timore Mardochei, quem Principem Palatii & plurimum posse cognoverant. Plures quoque alterius gentis & sectæ Judæorum Religionis & cæremoniis sese junxerunt. Rex verò publicis literis Judæos justis utentes legibus & filios altissimi & maximi semperque viventis DEI, atque hujus beneficio Patribus suis & sibi Regnum esse traditum & usque hodie custodiri testatus est.

Nehemias
obtinere à Re-
ge facultatem
reparandi
muros Jeru-
salem.

Esd. 1. sc. 1. &
2.

Inter tot tantisque jam aliquot Regum favores nihilominus Judæi, qui habitabant Jerosolymis, hætenus semper erant in afflictione magna & opprobrio apud vicinas gentes, præcipue Samaritanos, à quibus deridebantur, quod *murus Jerusalem diripatus* adhuc jaceret, nec à tanto tempore licuisset mœnia instaurare, ut tum Templum tum civitas esset in tuto, neque pateret omnium injuriis. nunc verò tandem etiam istud obtinuerunt. Erat Susis Nehemias Judæus Artaxerxi à poculis & in paucis charus. Hic per nuntium Jerosolymis missum edoctus miserabilem murorum urbisque statum captata occasione Regi ad mensam cum Regina sedenti ministrans tristiori vultu exponit. Rogante Rege, quorsum istud diceret, petiit, ut si Regi bonum videretur, mitteret se in Judæam cum potestate ædificandi muros Jerusalem. Esthere negotium promovente annuit Rex ea tamen lege, ut præstituto tempore Susas rediret.

Nehemias, Dux Judæorum.

Ædificantur
muri Jerusa-
lem.

Esd. 2. sc. 1. &
2.

Itaque vigesimo Artaxerxis anno cum regionum equitum committatu è Perside in Judæam iter ingressus est. Tertio ad-

ventus sui die convocatis populi Principibus *venite*, inquit, & *edificemus muros Jerusalem, & non simus ultra opprobrium*; simulque ostendit plenam adesse à Rege potestatem; designatâ deinde operum Præfectis ea murorum parte, quam quisque haberet instaurandam, simul undique per circuitum admoveatur operi manus; surguntque omnibus ex locis muri, turres, portæque duodecim. Non omiserunt Judæorum hostes conferre consilia, si qua ratione possent eos clam & per insidias invadere opusque disturbare, cum aperto Marte regiâ auctoritate fultos obruere non auderent; at Nehemias imploratô DEI auxiliô *speculatores super muros diurnos nocturnosque constituit*, qui adventum hostis nuntiarent: post murum verò variis locis armatorum præsidia collocavit, ut hostem venientem non imparati exciperent; itaque conatus & consilia Samaritanorum eludit, ut irritis omnibus eorum insidiis, minis, calumniis machinisque intra quinquaginta duos dies murus completeretur, quod in opere tam vasto sanè meritò miratæ sunt omnes vicinæ gentes, quæ stupore simul & timore exanimatæ palam professæ sunt, à DEO factum esse hoc opus.

Inde Nehemias voluit murum DEO dedicari, ut peculiari cura protegeret tam mœnia ipsa, quàm quæcunque eorum ambitu continentur. itaque misit nuntios, qui Levitas undique convocarent, ut facerent dedicationem & *letitiam in actione gratiarum & cantico & in cymbalis, psalteriis & citharis*, cumque tunc incideret etiam festum Scenopegia, habitârunt omnes filii Israël in tabernaculis, quæ fecerant sub dio ex scenis frondeis per septem dies, & *fuit letitia magna nimis*. Esdras autem toto solennitatis tempore quotidie à mane usque ad meridiem in platea, quæ erat ad portam aquarum, coram universo populo legit librum legis, Deuteronomium scilicet; in quo cum audirent horribiles in Prævaricatores Legis comminationes, quas in seipsis experiebantur, solvebantur in lachrymas, quos tamen Nehemias & Esdras consolabantur, & ad lætitiâ invitabant.

Quæ quidem eò major fuit, quòd per hos scenopegia dies inventus fuerit sacer ille ignis, quem Jeremias olim ante ruinam Templi de altari sumptum in loco subterraneo abscondi jusserat; qui licet interea in aquam crassam mutatus, nunc tamen insigni

Es. 2. c. 3. 4. &
c. 6. v. 15. &
16.

Dedicatio
murorum.
c. 12. à v. 27.
& cap. 8. to-
to.

Sacer ignis à
Jeremia olim
absconditus

invenitur.
2. Mach. 1.
v. 18.
2. Mach. 2.
v. 7. & 8.

miraculo rursus in ignem reversus inspectante populo Sacrificium absumpsit. Qua occasione creditur inventam quoque fuisse arcam fœderis, tabernaculum Mosaicum cum altari thymiamatis, suoque loco restituta; quanquam graves Authores putent, has Judæorum arrhas à Jeremia defossas etiamnum latere, ac primum novissimo tempore per Enoch & Eliam producendas in lucem, ut eorum conversioni ad Christum deserviant. Ipsi etiam Thalmudici negant arcam fuisse amplius inventam, sed loco illius in secundo Templo positum fuisse lapidem tres digitos è terra eminentem.

Fœdus cum
DEO reno-
vatur.
2. Esd. 9. v. 38.
& 2. Esd. 11.
v. 1. & 2.

Ab his curas suas Nehemias convertit ad emendandos populi mores. postea renovatum est fœdus DEum inter & populum; ac postremo, ut sancta civitas fieret iterum plena populo, jussi sunt Principes populi, ac decima pars plebis missa sorte Jerosolymis domicilium figere præter eos, qui *se sponte obtulerant, ut habitarent in Jerusalem.*

Nehemias in
Persidem re-
vertitur.
Esd. 2: c. 5, v.
14.

His aliisque rebus compositis Nehemias reversus est ad Regem in Persidem. Esdras verò cœpit Sacrarum Literarum Codices, earumve partes variis locis dispersas ac tempore captivitatis haud diligenter conservatas summa diligentia colligere, ordinare, & in unum quasi corpus, nominatim libros Regum & Prophetarum Psalmosque redigere, aut etiam negligentia Sacerdotum temporibus Regum Juda multis locis corruptas corrigere. Porro in describenda S. Scriptura usus est characteribus Chaldaicis; nam tempore captivitatis ac deinceps ob commercium Judæis Chaldæorum lingua facta est familiaris; cumque suæ esset valde vicina ac ferè solis literis differret, antiquas Hebraicarum literarum figuras mutarunt scripseruntque characteribus Chaldaicis tum quòd essent ustatiorens tum quòd facilius formari possent; hinc est, quòd ab eo tempore Sacra Scriptura non nisi Chaldaicis literis inter Judæos scripta inveniatur. Antiquum modum scribendi soli Samaritani eorumque posterii retinuerunt, à quibus habemus scriptum Hebraicis literis Pentateuchum. Creditur quoque Esdras per libros Paralipomenon seu Chronicorum res gestas populi antiquas in compendium redigisse, quibus deinde addidit historiam sui temporis, quam ipso, incertum quo anno, mortuò postea Nehemias absolvit.

Hic enim retenta semper Ducis autoritate post mortem Artaxerxis, quæ contigit quadragesimo Regni sui anno, Jerosolymam rediit; ubi post multa rursus honesta & laude digna opera jam senex defunctus est, vir, ut ait Josephus, ad virtutem & justitiam natus & in populares suos beneficentissimus relicto sempiterno sui monumento in Jerosolymitanis mœnibus.

Nehemias redit Jerosolymam, ibique moritur. Ef. 2. c. 13. v. 6. & 7.

Silet Historia Sacra per 250. annos.

Cum morte Esdræ & Nehemiæ sacra quoque quiescit historia per ducentos & quinquaginta annos; nullus enim sacer Scriptor toto illo tempore fuit, qui nobis quippiam de rebus Judæicis scriptum relinqueret; unde pauca, quæ ad Judæos pertinent, ex profanis Historicis petenda sunt, quorum primus Herodotus hoc Esdræ & Nehemiæ tempore scribere cœpit, ob id à profanis Authoribus Pærens Historiæ appellatus, qui tamen nihil ferè de Judæorum gente attigit, quòd Græcia, in qua scribebat, nullum cum iis bellum aut commercium haberet. Ad pertexendam igitur annorum seriem deinceps præcipua de rebus Regni Persarum, ac deinde Græcorum indicare placuit, donec iterum ad sacram Machabæorum Historiam perveniamus.

Jojada, Pontifex Judæorum & Dux.

Filius Eliasib, Esdræ 2. c. 12.

Xerxes hoc nomine secundus, unicus Assueri legitimus filius post Patrem mensibus solam duobus regnat, quo occiso Sogdianus Frater thronum septem mensibus occupat. Istò quoque à militibus interfecto tertius Frater Darius secundus deinceps novendecim annis imperavit; ejus auxiliò Lacedæmones post bellum cum Atheniensibus viginti septem annis gestum ipsas denique Athenas diu obsessas ceperunt.

Jojada succedit Nehemiæ. Xerxes II. Sogdianus. Darius II. Ab An. 3575.

Jonathan, Pontifex Judæorum & Dux.

Filius Jojadæ, Esdræ 2. c. 12.

Darius ex hac vita decedens duos filios reliquit Artaxerxem & Cyrum. Ille Rex, iste Asiæ Administrator à Patre designatus est. Cyrus regnandi avidus, acceptis à Lacedæmonibus, qui ipsius partes tuebantur, copiis Fratri bellum infert; cui tamen postea in prælio interfectus pacatum Imperium relinquit.

Jojadæ succedit Jonathan.

Artaxerxes. Ab An. 3594.

Ff 3

Non

Non diu post Lacedæmones ipsi, qui hoc tempore rebus Atheniensium planè afflictis per Græciam dominabantur, Artaxerxem adoriuntur. causa belli fuerunt Græcæ in Asia minore civitates; at ob intestina Græciæ bella revocati pacem facere coacti sunt eâ lege, ut illæ urbes Regi subditæ manerent. Artaxerxes post aliquot annos in Ægyptios rebelles movens prius Græcos ad pacem inter se ineundam hortatur; quod deinceps quoque, sed frustra, fecit, illis non tam pro patria quàm gloria certantibus; donec tandem à Thebanis victi sunt Lacedæmones ad Leuctra Epaminondæ præclarissimi Ducis virtute; quâ victoriâ concidit etiam Sparranorum gloria, accisâque est ingens potentia. Post quadraginta Regni annos moritur Artaxerxes secundus, Princeps Pacis insigniter amans, quam & in Regno suo & in Græcia magno studio maximisque sumptibus stabilendam curavit; bel-
lis tamen implicitus penè perpetuis in fratrem, Græcos, Ægyptios, Satrapas rebellantes.

Jaddus, Pontifex Judæorum & Dux.

Filius Jonathan, *Esdraë* 2. c. 12.

Artaxerxes
III
Ab An. 3634.

Plurimos Judæos ex Ægypto in Hircaniam transfert.

PATris thronum conscendit Artaxerxes tertius, à quo rursus primo statim Regni tempore Ægyptus defecit, quod cum impune fecisset, alii quoque in Asia populi Satrapæque jugum excussere; cumque Rex omnia per Præfectos ageret, horum vel perfidia vel imperitia non exiguas præterea clades accepit. Igitur ipsemet denique contra defectores arma sumere decrevit, ac primò Phœnices perdomuit; Sidoniorum Regem interfecit simulque Sidonios miserandâ ftrage extinxit. Redacta deinde iterum in potestatem Cypro cum magnis tum suis tum Græcorum, maxime Thebanorum amicorum copiis Ægyptum petit, quâ potitus ingentem Judæorum multitudinem ex Ægypto in Hircaniam transtulit & ad mare Caspium habitare præcipit; quos, ut scribit Orosius *l. 3. c. 7.* ibi in hodiernum diem amplissimis generis sui incrementis consistere atque exinde quandoque erupturos opinio est. Artaxerxes verò gloriâ clarus spoliisque onustus Babylonem reversus est.

Perfarum Imperium ruinæ

Interim Philippus Macedonum Rex Magni Alexandri Patrens multis Provinciis Regnum suum auxerat; ita ut Rex Perfarum

farum nimia jam Macedonis incrementa veritus hostibus contra ipsum auxilia mitteret; & Thebani & Athenienses Demosthene ad id valde hortante bellum in eum decernerent. At Artaxerxes veneno tollitur, ei que succedit filius Arses. Quo post tres annos etiam sublato in Regnum evehitur Armenia Satrapa Artaxerxis Patruelis, qui Darii nomen assumpsit, atque hic est Darius hoc nomine tertius, in quo Persicum Imperium interibit, Orbis Monarchia tandem ex Asia in Europam migrante.

Paulò antè quàm Darius ad Regnum perveniret, Philippus Athenienses & Thebanos ingenti prælio vicit Alexandro filio in auspiciis futuræ gloriæ cornu alterum regente. Sparsâ deinde famâ de bello à se Persis inferendo ad liberandam à tam potenti hoste patriam, indictus fuit apud Corinthum conventus publicus, in quo Græciæ totius contra Persas cum summa potestate creatus est Imperator. Verùm dum omnia apparantur ad bellum, in Cleopatraz filiaz nuptiis inter ludos & spectacula occiditur, filioque gloriam evertendi Imperii Persici relinquit; nam Imperatoria potestas antea Patri concessa celebrato rursus Corinthi Græcorum concilio in Alexandrum translata est; qui ut tanti dignitatem nominis expleret, viginti duorum annorum juvenis appetente vere per Hellespontum transmisit exercitum. Primus cum Darii Ducibus conflictus fuit in Phrygia, victi Persæ, & tota littoralis Asia partim vi partim deditioe recepta est. Interim Darius ipse cum exercitu adventat; at ipse quoque ab Alexandro in Cilicia ingenti prælio vincitur; fugitque Babylonem ad colligendas ibi belli reliquias. Alexander verò Damalcum, Sidonem aliasque urbes Asiæ in potestatem redegit. Tyrus fortiter resistens properantem septem menses remota est.

Hanc dum obsidet, Judæorum Religio gravissimum vulnus accepit. Manasses Frater Jaddi summi Pontificis uxorem duxerat Filiam Sanaballat Samaritani, quem Darius Provinciæ illius Præfectum constituerat. Jaddo & Concilio Jerosolymitano ipsum urgente, ut alienigenam dimitteret, potius ad Schisma Samaritanum defecit. Inde eò impietatis devenit, ut Templum in Samaria erigere cogitaret, cui ipse Summus Sacerdos præesset. probatò consiliò Sanaballat focer nunc ejus exequendi occasio-

proximum.

Arses.
Ab An. 3660.

Darius III.
Persarum Rex
ultimus.
Ab An. 3664.

Alexander
Magnus in
Persas movet.

Templum
Samaritanum in monte
Garizim erigitur.
Jof. l. 11. c. 5:
221.

nem

nem esse ratus defecit à Dario, assumptisque octo millibus de sua Provincia in Alexandri castra venit. ab hoc libenter acceptus petiit, liceret sibi Templum in sua Provincia excitare, eique generum suum Sacerdotem praeficere: facile annuit Rex; atque ita prope Samariam in monte Garizin inchoatum est Templum Jerosolymitani æmulum in ruinam & everisionem multorum in Israël & perpetuum inter Hebræos rixarum Seminarium.

Alexander Macedo Jerosolymam venit, & Judæos in fidem recipit.

Jos. l. 11. c. 8.

Judæi interea Dario constanter fideles auxilia, quæ Alexander postulaverat, mittere recusarunt; quos ulturus captâ Tyro in via Ægyptum versus iter flectit Jerosolymam; dum autem videt obviam sibi procedentem Jaddum cum Sacerdotibus ordinis sui solenni cultu, Religione tactus Pontificem complexus est, & ascendens in Templum immolavit DEO ex praescripto Sacerdotis, *non utique, ut ait S. Augustinus, l. 18. de Civ. c. 45. ad ejus cultum vera pietate conversus, sed impia vanitate cum Diis falsis colendum putans*; cumque ei ostensus esset Danielis liber, in quo Græcum quendam Persas debellaturum prædixerat, locum illum pro se interpretatus concessit, quidquid ab eo postulatum, nominatim ut patriis legibus vivere liceret; atque illi non minùs Alexandro deinceps, ac antea Regibus Persiæ fidem servarunt.

Alexander Alexandriam condit.

Jos. l. 2. c. 6.

App.

Ipse verò cum exercitu iter profectus Gazâ post duos menses expugnata in Ægyptum pervenit; quâ occupatâ ad Nili ostium urbem condidit & ex suo nomine Alexandriam vocavit, caput Ægypti futuram permultis undique incolis etiam Judæis illuc confluentibus.

Monarchia orbis ad Græcos transit.

An. 3670.

Rebus per hyemem in Ægypto compositis ad Euphratem contendit, quò transmissò per Melopotamiam versùs Babylonem tendens in itinere intelligit, Darium ad Tigrim fluvium confedissem, ibique se transitu prohibere velle. Igitur illuc movet, ac nemine prohibente rapidissimum flumen transivit. Motis inde castris per Assyriam duxit exercitum atque in campis Ninives cum Persis configit; ubi victus iterum Darius trans montes Armeniæ in Mediam fugit. Victor verò Susas profectus in throno Darii confedit. Unde dum in Persidem atque inde in Mediam movet, ac Darium prosequitur, iste à Besso Bactrianorum Dynasta proditoriè occiditur; atque ira Persarum Imperium variis Alexandri incursionibus concussum atque ad ruinam impul-

pullum denique postremâ Darii clade ac morte planè prostratum est.

Tanto Imperio necdum contentus Caucasum Taurumque montes transgressus Bactrianos deditione accepit; inde ultra Tanain movens Scythas, qui hæctenus invicti esse credebantur, devicit. Tum reliqua Sogdianorum regione perdomita Indiæ fines ingressus victo Poro Rege ad Gangein usque penetrasset, si adducere potuisset milites victoriis jam dudum fessos. Igitur reversus est Babylonem, ubi auditis totius ferè orbis terrarum Legatis febri per potûs intemperantiâ contractâ mortuus est.

Alexander moritur,

An. 3676.

Onias, Pontifex Judæorum & Dux,

Cum Alexander Successorem designare nolisset, vastissimum Regnum inter præcipuos ipsius Duces divisum est; inter quos Prolomæus Ægyptum, Seleucus Syriam, cujus pars erat Judæa, ac Babyloniam obtinuit; qui tamen nonnisi post victum casumque Antigonom, cui in illa partitione Asia obtigerat, suum stabilivit Imperium, cœpitque Rex Syriæ atque Asiæ neminem Superiorem agnoscere; unde & qui sacram Machabæorum historiam scripsit, ab hoc mundi 3688. veluti primo Imperii Græcorum anno exordium ducit, ac si Alexander hucusque regnasset.

Ab An. 3682

Imperium Alexandri inter præcipuos Duces dividitur.

Prolomæus, Rex Ægypti, Seleucus, Syriæ Rex.

An. 3688.

Seleucus condidit in Syria novas urbes. Jos. l. 12. c. 1.

Confirmato Regno Seleucus urbes condidit; ac inprimis Syriæ Metropolim ac Regni Sedem ad Orontem fluvium, quam à nomine Patris sui Antiochiam appellavit; deinde Laodiceam à Matris, Apameam ab uxoris, Seleuciam à suo nomine dici voluit.

Simon, Pontifex Judæorum & Dux.

Accepere Judæi novum Pontificem Simonem Oniæ filium, cui justo cognomentum fuit propter sollicitam in DEum Religionem & pronam in suos cives clementiam. Iste reparavit substructiones, quibus Templi fundamenta fulciebantur, curavit quoque, ut aquæductus restituerentur.

Ab An. 3702.

Templi substructiones Jerosolymæ reparantur.

Seleucus verò in eas urbes, quas hæctenus ædificavit, Judæos quoque transtulit; Jus eis Civium pari cum Græcis Jure per-

In novas urbes Judæi

Sacra Veterum Temp. Histor.

Gg

quòque mi-
gram.
Jol. 1. 12.
ant. 6. 9.

permittens; vixeruntque deinceps Judæi quietè tum in patria tum per reliquam Syriam in novis his civitatibus secundum leges & ritus patrios sub isto & sequentibus Regibus Syriæ & Asiæ, sed & in Ægypto eos Ptolomæus stabilivit.

Eleazar, Pontifex Judæorum & Dux.

Ab An. 3713.
Eleazar mir-
dit Regi Æ-
gypti 72. Ju-
æos, qui li-
bros sacros
vertant in
linguam Græ-
cam.
Ptolomæus II.
Philadel-
phus dicitur
Ægypti Rex.

Mortuo Simone, qui duodecim ferè annis Pontificatum sanctè atque utilitèr administravit, successit Eleazar Simonis Frater, non Onias Simonis Filius, quòd tum adhuc parvulus esset. Non diu post moritur Ptolomæus Ægyptiaci Fundator Imperii; successit Filius Ptolomæus secundus, quem consortem Imperii præ aliis Filiis vivus adhuc Pater assumpserat. Iste Regni sui initio iussit in Insula prope Alexandriam celebrem Pharum seu altissimam turrem construi; ne nautæ in Insulam impetuosi provecti in portu naufragium facerent, sed maturè, dum adhuc in alto navigarent, accensa in Pharo face monerentur. Erat quoque Rex iste literarum atque doctorum hominum valde amans; unde celebrem Alexandriæ Bibliothecam erigere cœpit; quam ut etiam Hebræorum libris, quos ipsi divinos profitebantur, ornaret, ab Eleazaro Summo Pontifice per epistolas petiit peritissimos quosque probatissimosque Interpretes, qui eos in Græcam linguam, tunc in Syriam ac Ægypto etiam inter Hebræos jam valde communem verterent. Annuente itaque Eleazaro in urbem regiam Alexandrinam convenère septuaginta duo Judæi utriusque linguæ insigniter periti, quorum opera Sacri Codices in linguam Græcam summa fide translati sunt divino planè beneficio, ut sic ethnicis quoque Nationibus præpararetur salus, apud quos Græca tunc lingua, ut in Græcorum Imperio, frequentabatur.

Romani sub-
actâ Italiâ
et am in mari
dominari in-
cipiunt.
Antiochus,
Rex Syriæ,

Dum hæc fiunt in Ægypto, Seleucus ex commilitonibus Alexandri Magni ultimus superstes per insidias occiditur; Syriæque ac Asiæ Rex fit ejus filius Antiochus. Ptolomæus vero missis ad Romanos muneribus amicitiam cum iis primò pepigit, quâ re delectati Romani vicissim Legatos in Ægyptum misere, qui à Rege magnificè donati redierunt. Porro Romani subactâ demum post quadringentos & octoginta annos pacatæque ferè tota Italiâ potentiam suam hoc tempore etiam foras pro-

producere cœperunt. Eos excivit nimia Carthaginensium potentia non in Africa solum sed & Hispania, Corsica, Sardinia, vicina Sicilia, terra marique dominantium; quare etiam nunc primum rem nauticam attigerunt, classemque parârunt, primò quoque argentum signârunt, postquam collegerunt ingentem illius vim ex debellato Pyrrho Epirotarum Rege & tam multorum jam populorum tributis.

Ab An. 3719.

Manasses, Pontifex Judæorum & Dux.

Leazaro in Pontificatu successit Manasses ilius Patruus. Antiocho verò pariter mortuo filius Antiochus secundus; quo regnante totius ferè orientis ultra Euphratem populi à Macedonibus, qui à tempore Alexandri eis dominabantur, defecerunt; sed & jam antea certantibus inter se Alexandri commilitonibus excusso Græcorum jugo surrexerant Regna Ponti, Bythiæ, Pergami, Armeniæ, & Cappadociæ, quod ultimum Mithridates Pater & Filius fundârunt.

Varia Regna excussò Macedonum jugo in Asia iurgunt. Antiochus II. Ab An. 3737.

Inter Reges quoque Ægypti & Syriæ ab aliquot annis enatae sunt hostiles iniuicitiæ, quibus ut demum finem imponeret Ptolomæus, filiam suam Berenicem Antiocho uxorem dedit unâ cum ingenti auri argentique summa dotis nomine; ob quam aliâsque dotes eidem Antiochus coronam imposuit locoque Reginæ habuit, Laodice, quam jam antea uxorem habuerat, in concubina locum detrusâ; quæ contemptum ultura post aliquot annos Antiochum primò, deinde etiam Berenicem ejusque filium necavit, simulque nefariis his cadibus suo filio Seleuco adiutum ad Regnum patefecit. Itaque post Antiochum regnavit in Syria Seleucus hoc nomine secundus. Eodem anno in Ægypto vivere desinit Ptolomæus secundus, & imperare cœpit ejus filius Ptolomæus tertius. Sed & Manasses hoc tempore senex mortuus est; cui in Pontificatu successit Simonis Justi filius.

Pax inter Ægypti & Syriæ Reges.

Seleucus II. Ab An. 3752.

Ptolomæus III.

Onias II. Pontifex Judæorum & Dux.

Ptolomæus infanda Laodices scelera ulturus cum exercitu in Syriam venit, quam etiam victo Seleuco ac Laodice interfecta totam ferè occupavit, multòsque deinceps annos tenuit, unâ

Ab An. 3771.

Judæa venit in potestatem.

Regem Aegypti.

una cum Judæa; quæ paulò post gravissimæ calamitatis discrimen subiit Summi Pontificis culpâ. Hactenus Judæi Regibus Syriæ annuum tributum viginti talentorum argenti solverant, Onias mutatò nunc Dominò Patriam hoc onere levaturus illud pendere omisit, id quod Ptolemæus gravissimè accepit. imminentem calamitatem avertit Josephus vir nobilis ad Regem ablegatus.

Onias accipit literas à Lacedæmonibus. 1. Mach. c. 12. à v. 20.

Sub hoc tempus ad Oniam venère literæ ex Græcia à Spartanis datæ, quæ sic habebant. Arius Rex Spartiarum Oniæ Sacerdoti Magno salutem: Inventum est in Scriptura de Spartiatis & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham, & nunc, ex quo hæc cognovimus, benè facitis scribentes nobis de pace vestra, sed & nos rescripsimus vobis: pecora nostra & possessiones nostræ vestræ sunt, & vestræ nostræ; mandavimus itaque hæc nuntiari vobis. fuerit nempe colonia aliqua Abrahamitarum ex Cetura aut Agar Susceptorum in Græciam agrumque Spartanum deducta, resque ipsa ad posteritatis memoriam annalibus, quos hic Rex Arius Scripturam vocat, commendata. Non diu post acceptas has literas Onias ex hac vita decessit, ac Simon ejus filius Pontifex esse cœpit.

Simon II. Pontifex Judæorum.

Ab An. 3785.

Rex Aegypti adhuc tenet Judæam.

Seleucus III.

Antiochus III. postea Magnus dicitur.

Seleucus Syria magnaque parte Asiæ à Ptolemæo spoliatus dum hostem fugit, equo præcipitatus interiit, & Regnum factis jam angustum filio natu majori reliquit, qui dictus est Seleucus III. Hic dilato in aliud tempus contra Aegyptium bello prius movendum censuit in Regem Pergami, qui regnanti adhuc Patri omnem cis Taurum Asiæ eripuerat, at ubi Taurum magno cum exercitu jam esset transgressus, dolo appetitus occiditur. Recuperata verò nihilominus cis Taurum Asiæ per strenuum fidumque exercitûs Ducem Antiocho Fratri restituitur, qui postea dictus est ob res gestas Magnus. Prima quidem hujus consilia fuere Aegyptios è Syria ejicere; at cum audivisset Mediæ & Persidis Satrapas à se defecisse, illuc arma convertit. Itaque Euphratem transmisit, assumptisque, quas ibi habebat copiis præcipuum Mediæ Satrapam vicit; simul vicinis earum partium Dynastis terrorem injecit, ne posthac tam facilè Satrapis in defectione auxilio essent.

Interim Alexandria vivendi finem fecit Ptolemæus III. cœpitque regnare filius ejus Ptolemæus IV, qui cùm lascivia ac turpi otio torperet, Syriæ Præfectus infamis vitæ contemptu redeuntem ex Asia Antiochum vocavit, eique Ptolemaidem ac Tyrum tradidit, quibus receptis quasdam adhuc alias per Syriam urbes partim vi partim deditioe sibi subjecit; sperans se reliqua conditionibus pacis, de qua per Legatos Alexandria agebatur, accepturum. at Ptolemæus consiliis præcipuorum Ducum excitatus ac potiùs prælio decernendum ratus ineunte vere adversùs Antiochum septuaginta millia peditum, equitum quinque cum septuaginta tribus elephantis educit. victus prælio Antiochus, atque Antiochiam reversus de pace Legatos misit ad Ptolemæum, & inducias in annum impetravit.

Ptolemæus IV.

Prælio vincit Antiochum.

Ptolemæus verò tres menses in Syria commoratus etiam Jerosolymam venit, ubi Templi pulchritudinem admiratus etiam adyta penetrare voluit. Simone verò ac Sacerdotibus sese vehementer opponentibus Deique opem implorantibus cum atrocibus in Judæos minis Alexandriam recessit; iramque in Judæos Ægyptios effudit. nam primò Judæorum gentem famosis libellis vexare cœpit; deinde etiam ad ejurandam Religionem & ad ritus Ægyptios compellere. & multi etiam voluntati Regis assenserunt.

Rex Ægypti Jerosolymam præsumit adyta Templi intrare. l. 3. Mach.

Cæteros in Religione patria constantes Alexandria in hippodromo convenire jussit ab efferatis elephantis numero quingentis proterendos discerpendosque; qui tamen divinitus liberati Rege DEum ipsorum protectorem agnoscente, iterum ad sua liberi dimissi sunt; nam primo quidem die præparatis jam omnibus longiore Regis somno crudele spectaculum impeditum est, alterò animum Regis oblivio divinitus ita occupavit, ut jam amplius nesciret, quid de Judæis antea statuisset, cùm verò non ita multò post monitus decretum suum exequi vellet, ipseque elephantis prodeuntibus in hippodromo jam adesset, duo terribiles visu Angeli è Cælo descendentes Rege inhorrescente rem disturbârunt. Deinceps Ptolemæus recuperatione urbium in Syria contentus factâ post unius anni inducias omnimoda pace pristina otia reperit, donec demum vitæ turpitudine infamnis decessit relicto filio quinquenni Ptolemæo V. cùm jam aliquot annos antè Simon Summus Sacerdos functus esset vitâ, eique successisset filius Onias III.

Ægyptios Judæos elephantis proterere tentat, ac illi divinitus liberantur. l. 3. Magh.

Ptolemæus V.

Onias III. Pontifex Judæorum & Dux.

Ab An. 3907.

Judæa cedit
ad prius
Dominum
Syriæ Regem.
Jof. 1. 17.
ant. c. 3.

INtellectâ Ptolemæi IV. morte Antiochus, qui hæcenus res in Asia circa montes Taurum & Caucasum præclarè gesserat, foedus cum Philippo Macedonum Rege in it ad inferendum communibus viribus Ægypto bellum. Qua conspiratione intellecta Alexandrini Romam Legatos misere, rogantes, Romani tutelam Ptolemæi Pupilli susciperent, Regnumque Ægypti tutarentur, quod inter se Philippum & Antiochum factâ pactione jam divisisse dicebant. Romanis, qui devicta cum Annibale Carthagine jam latè terrâ marique dominabantur, grata Legatio fuit, causam belli adversus Philippum jam diu quærentibus, ut qui Carthaginensibus contra se favisset. Itaque in Græciam copias mittunt contra Macedonem, ad Antiochum verò Legatos, qui Pupilli Regnò abstinere juberent. At iste Syriam ab Ægyptiis dudum occupatam, ad se autem & majores suos pertinentem nihilominus invadit. Scopas, qui Ægyptiacæ militiæ Dux præerat, fortiter ubique se irruenti opponit, positò, uti in aliis urbibus, ita & Jerosolymis ac in ejus arce Sion forti præfidiò; donec commissò ad fontes Jordanis prælio Scopas superatus est; tunc enim urbibus Syriæ sese passim victori deditibus Judæi quoque ultro deditionem fecere, receptumque intra mœnia Jerosolymæ Antiochi exercitum liberaliter aluerunt; & oppugnantibus præsidium, in arce à Scopas relictum, impigrè auxilium tulerunt; quapropter Antiochus etiam benignè cum Judæis egit.

Romani Antiochum Magnum terræ marique vincunt.

Philippus interea post varias clades à Romanis pacem petiit & impetravit; hæc inter alias conditione, ut Macedoniæ antiqua possessione contentus Græcas omnes civitates liberas esse suisque legibus uti permetteret. Eodem anno Antiochus quoque pacem cum Ptolemæo iniit, huicque filiam suam Cleopatram despondit. Coacto ad pacem Philippo Romani quidem Græcos ab ipsius servitute liberaverant, at ut illos suo paulatim jugo assuefacerent; quippe tres urbes veluti Græciæ compedes Demetriadem, Colchidem & Corinthum sibi retinuerunt, quod Græci ægrè ferentes Antiochum contra Romanos evocarunt; atque hic, quòd ipsemet eorum potentiam ampliùs ferre non posset,

posset, iis bellum inferre decrevit. Annibal, qui ante tres annos ex Africa ad Antiochum profugerat, Author ipsi fuit ut bellum in Italiam transferret, ibi tantum Romanos vinci posse; at ipse in Græciam trajecit, ubi primò ad Thermopylas, deinde etiam navali prælio victus rursus in Asiam regressus est, ubi serò ipsum pœnituit, non fuisse secutum Annibalis consilium.

Sed istud gravioris pugnae præludium fuit; sequenti anno Scipio, cui Senatus Romanus Græciam Provinciam decreverat, cum fratre suo Africano, qui ipsi Legatus additus fuerat, trajecit ad Hellepontò primus Romanorum in Asiam duxit exercitum, & Antiochum prope Magnesium adortus tanta clade affecit, ut pacem petere cogeretur. data est hac lege, ut tota Asia, quæ eis Taurum sita esset, cederet, totasque belli impensas redderet. Itaque Scipioni interea, dum satisfaceret, obsides misit, in quibus fuit junior ipsius filius Antiochus; qui deinde Romam cum Legatis ad pacis confirmationem profecti sunt. quarto post anno dum Antiochus tam gravi pacis tributo à Romanis pressus pecuniæ inopia Templum Jovis in Susiana depradari nocte aggredditur, re prodita concursu Incolarum cum omni militia occisus est; Regnumque Syriæ ac Asiæ adiit filius natus major Seleucus IV.

Hoc regnante Simon unus est Præpositus Templi Jerosolymitani iniquum aliquid in civitate moliebatur; cui cum resisteret Pontifex Onias, ille ad Apollonium, in iis partibus Seleuci Præfectum, se contulit, ut per hunc voti compos fieret; atque ut hominem in suas partes traheret, Templi gazophylacium prodidit, eique viam ostendit, quâ ex eo Rex Seleucus exhausto suo ærario succurreret. Re per Apollonium intellecta Rex, qui ingenti adhuc tributo Romanis erat obnoxius, Heliodorum regis negotiis Præfectum mittit Jerosolymam, ut sacras pecunias regio ærario vindicaret. Iste Jerosolymam profectus mandata Regis Oniæ Pontifici exhibet, eoque frustra rationibus precibusque obnitente, ærarium Templi vi cum suis spoliare attentat; at hic Deus ostento singulari se præsentem ac Propugnatorem sancti loci ostendit. Ingredientibus enim apparuit Eques ornato splendido armis aurò rutilantibus, vultu minaci; & equus in Heliodorum insurgens anterioribus unguis impulsus prostravit in terram. Jacentem invadunt duo insigni gloria & decore

Scipio Antiochum in Asia rursus ingenti clade affecit.

Seleucus IV. Ab An. 3809.

Heliodorus sacrum ærarium spoliare tentat. 2. Mach. 3.

core Juvenes plagisque afficiunt, donec multa caligine circumfusum famuli rapuerunt atque in sella gestatoria positum ex gazophylacio ejecerunt. periisset; at offerente pro ipso Sacrificium Onia restitutus est sanitati, reversusque ad Regem à destinato Sacrilegio eum revocavit. Simon verò cum post tam illustre miraculum tamen Jerosolymis turbas cedere ac Oniam calumniari pergeret, Onia ad Regem profecto demum auctoritate regia jussus est cessare à stultitia sua, *c. 4. à v. 1. ad 7.*

Incipiunt luctuosa Reipublicæ Judaicæ tempora.

Ptolomæus VI.

Antiochus IV. Epiphanes Syriæ Rex. Ab An. 3821.

VI. annus

3821

3822

3823

Antiochus dejecto Onia Jasonem Pseudo-Pontificem creat. 2. Mach. 4.

Interim in Ægypto ex hac vita decessit Ptolomæus V. Regnique heredem reliquit filium adhuc adolescentem Ptolomæum VI, ex Cleopatra natu majorem. Antiochus verò Seleuci frater tertium decimum jam annum obses Romæ agebat, quem ut tandem Seleucus repeteret, Legationem misit ad Romanos unà cum filio suo Demetrio; ac illi dimiserunt quidem fratrem, filium verò Demetrium ejus loco detinuerunt. Interim Seleucus per insidias occiditur; quo audirò Antiochus iter accelerat, & Regnum Syriæ, quod Demetrio debebatur, invadit. Atque hic est Antiochus hoc nomine quartus, in quo *S. Hieronymus in c. 11. Dan.* Antichristi Præcursores agnovit; nam cum hæcenus sancta Jerosolyma civitas habitaretur in omni pace, leges etiam optimè custodirentur, cum & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & Templum maximis muneribus illustrarent; nunc verò cum Regno hujus Antiochi, atque hoc Regni Græcorum anno centesimo trigesimo septimo incepere luctuosissima Reipublicæ Judaicæ tempora, quæ duo Canonici Machabæorum Libri describunt.

Onias Pontificatum annos benè multos gesserat contra spem Jasonis, qui Fratri jam pridem succedere optabat; longioris demum moræ impatiens nunc novum Regem adit, magnam auri vim promittens, si se Pontificia dignitate ornaret. Antiochus pecuniarum tam avidus quam indigus deturbato Onia Jasonem intrudit, qui obtento Principatu nefario ac inaudito scelerè ad vota Regis statim cœpit gentilium instituta ritusque profanos inducere, eosque contribules non pauci ipso Authore atque hortatore deserta Religione secuti sunt, & recesserunt à testamento sancto. Ipsi Sacerdotes jam non circa altaris officia dediti erant, sed contempto Templo & Sacrificiis neglectis festinabant ad theatra & palastras, ut participes fierent præmiorum, quæ

quæ in ludis iſis & luſtis erogabantur victoribus, patriſque honores jam nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.

Antiochus interim ubi ſe in Regno Syriæ atque Aſiæ confirmatum ſenſit, Ægypti quoque Sceptum, quod Ptolemæus adhuc pupillus gerebat, ſub ſpecie Tutoris ad ſe rapere moliebatur. Itaque in Ægyptum miſit Legatum, qui cum Optimatibus ageret, ut ſibi tanquam Avunculo Tutelam Regis committerent; quod cum illi conſiliorum ejus non ignari recuſaſſent, vi Ægyptum invadere conſtituit; Tyroque profectus Joppen & inde Jerofolymam veniens à Pſeudo Pontifice magno cum honore ſuſcipitur, pergens inde in Ægyptum redactis in poteſtatem aliquot urbibus Alexandriam tamen expugnare non potuit; quare ſolutâ obſidione cum multis ſpoliis in Syriam rediit relicto tamen Peluſii valido præſidiô, ut cum vellet, ruruſ in Ægyptum exercitum induceret.

Jafon ex quo ante tres annos Pontificatum emit, necdum Regi ſatiſfecerat, nunc debitum haud amplius differendum ratus collectam denique pecuniam per Menelaum, Simonis ſacri-legi illius proditoris fratrem, fidum ſibi, ut credebat, hominem Antiocho mittit. Iſte Jafone non minus ambitioſus hac occaſione in rem ſuam uſus adulatione ac promiſſis inſuper trecentis talentis Summum Sacerdotium decepto ac dejecto Jafone obtinet, homo eo gradu non ſolùm indignus ſed etiam ineptus, ut qui de Tribu Benjamin etiam generis defectum haberet. Accepſto hoc nuntio Jafon in Amonitidem profugit; Menelaus verò Jerofolymam reverſus Pontificatum adiit; qui tamen quòd poſtea Regi pro pecuniis verba tantùm daret, brevi amotus eſt Lyſimacho ejus fratre ipſi ſuffecto, aut potiùs ab officio ſuſpenſus, donec promiſſam pecuniam expediret. Interim Rex in Ciliciam excurrit ad componendas quasdam turbas, quæ ibi erant exortæ, relicto Antiochiæ Pro Rege Andronico, hunc ut ſibi demereretur Menelaus, aurea quædam vaſa è Templo ſuratus donavit Andronico & alia vendiderat Tyri & per vicinas civitates; quod cum innotuiſſet Oniæ, hætenus Antiochiæ latentis, continere ſe non potuit, quin magno zelo Sacrilegium argueret; quod ille non ferens, Virum Sanctum ab Andronico prope Antiochiam exaſylo dolo educatum interficiendum curavit.

Sacra Veterum Temp. Hiſtor. Hh debe-

Antiochus
Jerofolymam
venit,
2. Mach. 4.
à v. 21 ad 23.

Menelaus
Pontificatum
vendit, qui
poſtea Oni-
am occidit.
2. Mach. 4.

debeatur quidem ab Oniæ morte Sacerdotii summi dignitas Oniæ ejusdem filio; at iste deturbato ante quatuor annos Patre profugus erat in Ægypto; & Menelaus Lysimacho ob multa consilio Fratris perpetrata in Templo Sacrilegia ab iratis civibus juxta ærarium Templi occisò, Pontificatum iterum gerere à Rege permissus est.

Jason Jerosolymæ multa civium strage Menelaum depellere tentat.
2. Mach. 5.

Non diu post Antiochus alteram expeditionem in Ægyptum suscepit. Dum est in via, Jerosolymis visa sunt ad dies quadraginta militaria in aere ostenta futurorum malorum prænuntia, quibus initium dedit apostata ille Jason; nam cum falsus percrevissent rumor, Antiochum in itinere Ægyptiaco esse mortuum, Jerosolymam, à civibus fortassis, qui ipsius partibus studebant, monitus cum mille viris advolat, Pontificatum sibi rursus vindicaturus; urbemque improvisò irrupens multa civium cæde grassatur, ita ut Menelaus in arcem Sion fugeret, neque tamen obtinuit Principatum, sed conglobatâ civium manu urbe rursus expulsus est. veritus postea, ne à Rege propterea ad mortem quæreretur, fugiens de civitate in civitatem ad Lacedæmonios in Græciam se recepit, apud quos demum miserè periit.

Antiochus Jerosolymam cædibus replet, Templum diripit.
2. Mach. 1.
à v. 23.
2. Mach. 5.
à v. 11.

Interea Antiochus Pelusiò movens Alexandria jam imminabat: cum à Legato Romanorum, quorum opem imploraverat Ptolemæus, absterritus tota Ægypto, quam spe jam devoraverat, excedere cogitur. ut conceptam inde iram effunderet, copias Jerosolymam atque in Judæos convertit, quos jam antea erga se malè affectos, nunc etiam defectionem ad Regem Ægypti veterem Dominum moliri suspicabatur, suspicionem auxilium sparsus de sua morte rumor ac gaudium, tum quòd cum exercitu adventans portas urbis videret clausas à majori fortassis civium parte, quæ discissa in factiones urbe adversaretur Menelao atque ad eò Regi, qui illi Pontificatum reddiderat. Ergo vi irrupit, fit cædes nullo sexûs ætatisve discrimine, ita ut triduo ferro caderent quadraginta millia, totidemque servituti manciparentur, ausus est etiam intrare Templum & sacra vasa diripere; ablatisque insuper mille & octingentis talentis de Templo Antiochiam reversus est, relictis tamen Præfectis uno quidem Jerosolymis, altero in Samaria, qui gentem Judæorum per fortunarum expilationes, servitutes ac cædes pergerent affligere;

gere; cui utrique adjunxit Pseudo-Pontificem Menelaum totius hujus tragœdiæ auctorem & architectum.

Nondum hic stetit furor Tyranni; nam post duos annos misit Apollonium aliàs odiosum Judæis Principem Jerosolymam jussum omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac Juvenes vendere; qui pacem aliquandiu simulans, demum quodam die Sabbathi improvisò cum armatis prorumpens ingentem multitudinem peremit eorum, qui ad spectanda Sacrificia aliàque festo Sabbathi propria in publicum processerant, Judæis propter festi solemnitatem non ausis arma capere & Tyranno resistere. Deinde postquam accepit spolia civitatis, & succendit eam igni, & destruxit domos ejus & muros ejus in circuitu, validum in arce Sion, quam instauravit murisque ac turribus munivit, præsidium collocavit, nusquam ut Judæi se commovere possent.

Quod verò summum malorum erat, misso Jerosolymam & in omnes civitates Juda diplomate regio voluit, ut Judæi relinquere patrias & DEI leges, & sequerentur leges gentium terræ, quem in finem vetuit Jerosolymæ ampliùs Sacrificia fieri; jusse Sabbatha & dies festos tolli; antiquavit ciborum delectum, circumcisionem morte proposita prohibuit; novam quoque Templi dedicationem aut execrandam potiùs profanationem fieri jusse decima quinta die mensis noni, quò altari holocaustorum impositum est magna celebritate abominandum Jovis Idolum, templumque Jovis Olympii nominatum. Idem fiebat per universas civitates Juda: ædificabantur aræ: ante januas domorum & in plateis incendebantur thura, & sacrificabatur; sacri Libri comburebantur igne, & apud quem inveniebantur, aut qui Legem Domini observabant, ex Regis edicto trucidabantur; eùmque extra terram Juda dispersi essent Judæi, decreto suo obligatos voluit esse etiam proximas gentilium civitates, ut pari modo & ipsi adversùs Judæos agerent, ut sacrificarent: eos autem, qui nolent transire ad instituta gentium, interficerent, *erat ergo videre miseriam.*

In hac tanta Religionis ac morum ruina Judæi quidem multum sese ad eos aggregarunt, qui jam priùs cum Jafone dereliquerant Legem Domini; inventi tamen sexùs utriusque sunt, qui constantes pro patriis Legibus etiam usque ad mortem decertarunt; ita duæ mulieres quòd infantes suos circumcidissent, na-

Hh 2

tis

Submittit Apollonium, qui post magnam rursus civium eadem in arce Sion præsidium ponit.
l. 1. c. 1. à v. 50.
l. 2. c. 5. à v. 24.

Antiochus jubet Judæos ad instituta gentium transire.
l. 2. c. 6.

Multipro patriis Legibus fortiter mortem oppetunt.

I. 1. c. 1. v.
55. & 1. 2. c. 6,
& 7. totæ.

tis ad ubera suspensis per muros præcipitatae sunt : alii latenter in speluncis diem Sabbathi celebrantes flammis suffocati : pro ciborum delectu Eleazar & Mater cum septem filiis de immuni Tyranno in ipsa urbe regia Antiochiæ egregiè triumpharunt. Funditus propemodùm, quod quærebat Antiochus, perierat Hebræorum Respublica, Leges, Religio, Sacerdotium ; cum DEUS hæc ipsa sublevavit juxta vaticinium Danielis *auxilio parvuli* Mathatiae videlicet & filiorum ejus.

Mathatias, Dux Judæorum.

Ab An. 3834.

Mathatias se
cum filiis suis
Tyranno op-
ponit.
I. 1. Mach,
c. 2.

Cùm præteritò anno Apollonius Jerosolymæ omnia cædibus repletet atque vastaret, inde fugerunt habitatores Jerusalem non pauci ; inter quos Mathatias Sacerdos cum quinque filiis suis Joanne, Simone, Juda, qui nominabatur Machabæus, Elezaro & Jonatha se recepit in oppidum Modin. hinc dum mala Israël & civitatis sanctæ deplorant, scindunt vestimenta sua, operiunt se ciliciis & plangunt valde ; adventat Præfectus regius, qui, uti in aliis urbibus Juda factum jam erat, in hoc quoque oppido cogeret Judæos Idolis sacrificare. Ergo jussu Regis omnes conveniunt, & Mathatias præcipuè Princeps & clarissimus in ea civitate, à Præfecto invitantur, ut Regi obediant, sicut fecerunt, inquit, omnes gentes & viri Juda, & qui remanserunt in Jerusalem ; monuit simul Judæum ad id jam constitutum, ut reliquis exemplo præiret ; qui cum accessisset in omnium oculis sacrificare Idolo, Mathatias zelo divinæ Legis accensus, & insiliens trucidavit eum super aram ; conversusque Præfectum quoque regium interfecit, simul populum ad defectionem evocat voce magna clamans : *Qui zelum habet Legis, exeat post me.*

Jungunt se
alii & armati
regis Præ-
fectos præse-
quuntur.
I. 1. c. 2. à v. 29.

Plerique Judæorum læti adesse, qui eos duceret, vexillum pietatis ac Mathatiam urbe egressum in montana secuti sunt ; quibus sese brevi alii ex aliis per Judæam locis aggregarunt tanto numero, ut exercitum conficerent. Hi Duce Mathatia armatundique circumferentes persequuntur regios Præfectos, Judæos Apostatas vel occidunt vel fugant, destruunt aras cum Idolis suis, circumcidunt pueros, quotquot invenerunt in finibus Israël.

Quæ

Quæ dum strenuè aguntur, appropinquaverunt dies Ma-
tathiaë moriendi & appositus est ad Patres suos in Modin, cum
priùs domui suæ Simonem, belli verò Ducem Judam Machabæ-
um filios suos præfecisset.

Machabias
moriatur.
l. 1. c. 2.

Judas Machabæus, Dux & Pontifex.

Hujus clarissimi Ducis auspiciis Judæi non respirare modò sed
& hostibus terrori esse cœperunt. A morte Patris colle-
cta sub signis habebat sex millia virorum. cum his invocato pri-
ùs divinò auxiliò superveniens castellis & civitatibus improvi-
sus succendebat eas, & opportuna loca occupans non paucas ho-
stium strages dabat. post has quasi velitationes justis etiam præ-
liis contra Duces Antiochi pugnavit, & primò quidem Apollo-
nium sibi cum ingenti exercitu occurrentem vicit, ipsumque
suomet gladio occidit. Pari felicitate alterum prælium habuit
cum Serone Apollonii Successore, quem cum auxiliis impiorum,
apostatarum scilicet Judæorum, octingentis occisis fugere
cœgit.

Ab An. 3835.
Judas contra
Præfectos re-
gios feliciter
pugnat.
l. 1. c. 3. &
l. 2. c. 8.

Antiochus minoribus viribus nihil agi contra Judæos cer-
nens congregavit exercitum universi Regni sui, militique si-
pendia prærogavit in annum; utque exhaustum sic ærarium re-
pararet, statuit ipse partem exercitûs trajecto Euphrate ducere
in Persidem aliasque Asiæ superioris Provincias ad pecunias in-
de tributis colligendas. Alteram exercitûs partem tradidit Ly-
siæ, quem Pro regem constituit, cum mandatis, ut, donec ipse
è Perside rediret, funditus deleret Judæorum nomen; aliisque
deinde populis terras eorum habitandas sorte distribueret.

Antiochus
cum exerci-
tûs parte in
Persidem
abit, relictò
in Syria Pro-
Rege Lysia.
l. 1. c. 3. & v. 27.

Igitur Rex commendatâ Lysiaë Regni & filii sui Antiochi
curâ profectus Antiochiâ cum exercitu trajecit Euphratem. Ly-
sias verò tres belli Duces Ptolemæum, Nicanorem & Gorgiam
contra Judæos misit cum quadraginta millibus pedum, septem
millibus equitum, & magno numero perfugarum Judæorum.
Judas nonnisi septem millia virorum secum habebat congrega-
tos in Maspha veteri & publico orationis loco; ubi cum inter
jejunia, cilicia & cineres unanimi prece cœlestem opem implo-
râssent, aciem partitus est in quatuor partes, quarum singulis
singulos fratrum suorum præfecit, hortatusque ad mortem po-
tius

Judas Præfe-
ctos à Lysia
Pro - rege
missos vincit.
l. 2. c. 8. & v.
8. & l. 1. c. 4.

enter
pro
mani
runt.
He-
DEus
vult
libus
crusa-
e filii
Elea-
la Il-
a sua,
regi-
oque
Regis
arilli-
nt, si-
anfe-
itum,
nium
ntus,
rafe-
onem
cent
illom
sunt;
tai-
arma
daos
dolis
us Il-
Quz



tiùs pro patria & legibus subeundam, quàm vitam in ignava fer-
vitate trahendam movit in hostem, qui castra posuerat ad Em-
maum haud procul Jerosolymis. Gorgias cognito Judæorum
adventu cum sex millibus eis obviam processit, ut eos nocte in
suis castris adhuc imparatos opprimeret. At Machabæus usus
opportunitate invadendi divisum hostem tota nocte iter fecit,
atque ad ortum Solis ad Nicanoris castra pervenit, cum quo ab-
sente adhuc Gorgia congressus eum vicit novem millibus in
acie cæsis, cæteris cum Nicanore in fugam actis; in qua insu-
per ad tria millia ceciderunt. erant deserta ab hostibus castra
opimis spoliis plena; Dux autem militem à prædando cohibuit,
veritus ne redeunte è montibus Gorgia invaderetur. at iste, ubi
procul advertit suos fugisse, & Judam stare paratum ad prælium,
congrèdi non ausus fugientes & ipse secutus est, seque recepit ad
Ptolemæum; à quo missi postea alii Duces Timotheus & Bacchi-
des prælium quidem redintegrarunt, at cum majori adhuc clare,
amissis viginti hominum millibus. Judæi hymnum canebant
& benedicebant DEum in Cœlum, quoniam bonus est, quoni-
am in sæculum misericordia ejus; usque victoriis munitiones
excelsas obtinuerunt.

Templum
Heliopolita-
num Judæo-
rum in Ægy-
pto.
Jof. 1. 13.
ant. c. 6.

Dum hæc fiunt per Judæam, Onias audiens in Ægypto Ju-
dæam ab Antiocho vastatam & Templum desolatam, petiit à
Ptolemæo, liceret Templum sibi excitare, & in eo Levitas &
Sacerdotes ex suo genere constituere, futurum sine dubio, ut
plures Judæorum Religionis ergo in Ægyptum confluerent, ac
sedes suas transferrent. Assensus est Rex, locumque Templo
extruendo assignavit in tractu Heliopolitano haud procul Mem-
phi distantem. Itaque Onias cum Judæis Templum extruxit
ad similitudinem Jerosolymitani, licet magnitudine distat; du-
ravitque profanum hoc & contra Legem Mosaicam excitatum
Templum usque ad tempus Vespasiani, quo uti Jerosolymita-
num, ita istud excisum est.

Judas vincit
ipsum Lysiam.
1. 6. 4. & v. 27.

Lysias ob acceptas præteritò annò clades dolore animi &
vindictæ cupiditate ardens ipse sexaginta quinque millia electo-
rum virorum contra Machabæum educit. Hic, qui non nisi de-
cem millia circa se habebat, viso tam numeroso exercitu ad no-
ta fidæque orationis præsidia confugit, nec frustra; nam com-
misso prælio ceciderunt de exercitu Pro- regis quinque millia,
cùm-

cùmque Lysias reliquos à fuga continere non posset, videret-
que Judæos insolitâ audaciâ esse paratos aut vivere aut mori
fortiter, abiit & ipse Antiochiam, plures adhuc copias colle-
cturus.

Interim dum copias suas instaurat Lysias, Judas, qui hæc-
nus strenuè explevit Ducis officium, nunc pii quoque ac religio-
si Pontificis curam suscepit, ac consiliò cum fratribus inito divi-
num cultum restituere statuit. Itaque cum suis Jerosolymam
venit, quam etiam facilè occupavit; nam *Jerusalem non habi-
tabatur, sed erat sicut desertum. 1. c. 3. v. 45.* contra hostile
verò præsidium, quod erat in arce, disposuit partem copiarum,
ut præsidarios, si fortè erumperent, repellere possent. primò ita-
que mundârunt tum Sanctuarium sublatis Idolorum sordibus
statuis scilicet, basibus, & aris, ac in locum immundum proje-
ctis; tum porticus & atria, in quibus jam nata erant virgulta
sicut in saltu; altare verò holocaustorum. Jovis Olympii statuâ
& Sacrificiis profanatum, dejecerunt repositis in apto montis
loco lapioibus, donec, quid de iis aliud fieri oporteret, per Pro-
phetam aliquem intelligerent. deinde verò novum altare excitant
ad prioris similitudinem, exedras quoque & pastophoria seu Sacer-
dotum ad latus Templi cubicula diruta restaurant; faciunt vasa
sancta nova: nam priora abstulerat Antiochus; inferunt cande-
labrum septiceps, altare incensi, & mensam. rebus omnibus ita
paratis concepto ex percussis silicibus igne offeruntur Sacrificia,
accendantur lucernæ, ponuntur incensum super altare, & super
mensam panes propositionis, dùmque ista fiunt inter hilares Can-
ticorum & Organorum Musicorum sonos, *cecidit omnis populus
in faciem, & adoraverunt, & benedixerunt in Cælum eum,
qui prosperavit eis, & facta est lætitia in populo magna val-
de, ad dies octo propagata; statuitque Judas & universa Judæo-
rum Ecclesia, ut hæc encœnia, seu festum hoc dedicationis,
deinceps quot annis per octiduum celebrentur à quinta & vige-
sima die mensis Casleu seu mensis noni cum lætitia & gaudio.
Demum ne locus sanctus prædæ & profanationi Impiorum de-
inceps pateret, in monte Sion arcem construxerunt ex opposito
arcis hostilis muris altis & turribus firmis munitam, cujus præ-
sidiarii & ipsum locum sanctum & populum ad Templum adeun-
tem protegerent.*

Judas mun-
dat Têm-
plum, & cul-
tum divinum
restituit.
1. 1. c. 4. à v.
36.
1. 2. c. 10.
à v. 1. ad 9.

At

Judas varios
hostes ma-
gnis cladibus
afficit.
l. 1. c. 5.

At gentes vicinæ dum vident surgentem rursus restitutum altari & Sanctuario in pristinum florem Judæorum Religionem, quam penitus oppressam optabant, *irata sunt valde*, cœperuntque Israëlitas, qui erant inter eos, variis modis vexare, persequi, ac etiam occidere, Idumæi maximè, Beanitæ, Amonitæ, & Gentes, quæ erant in terra Galaad. Rebus igitur Jerosolymæ compositis primò Idumæos magna clade affecit; tum Beanitas, qui latronum instar è turribus suis irruentes Israëlitis insidiabantur, eorùmque turres incendit cum omnibus, qui in eis erant; inde Amonitas, qui Ducem habebant Timotheum, multis præliis contrivit capta etiam eorum civitate Gazer cum pagis suis. Reversus in Judæam accipit literas nuntiantes, etiam in terra Galaad Israëlitas opprimi à gentibus Duce Timotheo. Necdum absolverat epistolam, adsunt Nuncii de Galilæa auxilium postulantes contra Tyros & Sidonios, quibus plena jam esset Galilæa. Misso igitur quamprimùm Simone cum tribus millibus in Galilæam, ipse Judas cum Fratre Jonatha & octo millibus virorum transmissò Jordane properavit in terram Galaad, relicto ad custodiam Judææ Josepho & Azaria cum residuo exercitu. Judas rebus fortiter ac præclare gestis profligatòque duobus præliis Timotheo universos Israëlitas, qui erant in Galaaditide, à minimo usque ad maximum secum deduxit in Judæam, in quam jam antea Simon quoque contritis post multa prælia gentibus redierat cum multo pariter Israëlitarum numero, qui antea habitabant in Galilæa, ut sic tuti essent ab infidelium vexatione, simul terram Juda cladibus desolatam ac pene desertam populosiorem & ad resistendum gentibus fortiorem redderent. Communem ob tot victorias lætitiâ corrupti Josephi & Azariæ infelix expeditio; cum enim contra quàm Judas mandaverat & ipsi æmulatione virtutis & cupiditate gloriæ copias suas relicta statione ducunt in hostem, à Gorgia cæsis duobus Judæorum millibus cum reliquis acti sunt in fugam; nec enim erant de semine virorum illorum seu de familia Machabæorum, quorum opera DEus uti voluit in liberando populo suo, quam tamen cladem Judas citò hostibus reposuit ereptis aliquot in Samaria & Palestina urbibus, nominatim Hebrone & Azoto, in quibus etiam diruit aras eorum, & sculptilia Deorum succendit igni, & cepit spolia civitatum & reversus est in terram Juda.

Sed

Sed mox iterum ad arma evocatus est; nam Gorgias non cessavit Judææ frequentibus excursionibus molestus esse. Idumæi quoque cum Judæis apostatis, quos in suas munitiones & castella receperant, eam incurfabant. Horum turres, castella, munitiones ubi expugnavit, & eorum plus quam viginti millia peremit; ecce adventat Timotheus cum equitatu Asiatico, atque exercitu ex Thracibus, Lydis, Galatis, aliisque exteris nationibus collecto, quasi armis Judæam capturus. Machabæus visò periculò cum suis Templum ascendit, ubi caput terra aspergentes lumbosque cilicii præcincti, atque ad altaris crepidinem provoluti deprecati sunt Dominum; sumptisque armis hosti obviam processerunt, ad solis ortum inita est pugna, quæ cum vehementer esset, apparuerunt adversariis de cælo viri, Angeli scilicet, quinque in equis, ducatum Judæis præstantes: quorum duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant, in adversarios autem tela & fulmina jaciebant; interfecti autem sunt viginti millia quingenti, & equites sexcenti. Timotheus fugiens se mœnibus urbis Gazaræ quidem inclusit, at eà post quatuor dies virtute ac fortitudine viginti juvenum captâ interemptus est.

Parvo post tempore majorem adhuc victoriam de ipso Lyfia Pro-Rege Machabæus obtinuit. Ille, ut post tot irritas Ducum Regis expeditiones Judæorum gentem juxta mandatum Antiochi tandem certò sub jugum mitteret, cum octoginta millibus peditum & universo Regis equitatu & elephantis octoginta Judæam intravit; jamque Bersuram, præcipuum Judææ in angustissimo loco situm, & non nisi quinque stadiis Jerosolymâ distans munimentum, ejusque præsidium expugnabat. Quod ubi Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt, expugnari scilicet præsidium, cum fletu & lachrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut sicut contra Timotheum, ita & nunc bonum Angelum mitteret ad salutem Israël. & sanè misit Dominus, cum enim Machabæus Jerosolymis egressus suos in hostem duceret, apparuit præcedens eos Eques in veste candida armis aureis hastam vibrans. quo cœlesti auxilio vehementer animati legionum more irruentes hostium prostraverunt undecim millia peditum, & equitum mille sexcentos reliquis in fugam actis, sed & ipse Lyfias turpiter fugiens evasit.

Judas duobus Angelis stipatus Timotheum prælio vincit & occidit. 1. 2. c. 10. à v. 14.

Judas Duce Angelo etiam Lyfiam ingenti prælio vincit, & fugere cogit. 2. Mach. c. 11.

Antiochus in
suo è Perside
reditu divi
nitus percuf-
sus miserè
perit.
l. 1. c. 6.
l. 2. c. 9.

Sub idem tempus adhuc tristior nuntius Antiochiam venit de morte Antiochi Regis. Post corrasas per Superiores Alæ regiones pecunias non modicas è Perside Babylonem revertēbatur, in via nuntium accipit de prosperis Judæorum rebus; audiens gestorum seriem ita expavit & commotus est, ut plenus minarum ac cædis jufferit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, properansque ad subvertendam funditus Jerosolymam omnésque Judæos sub ejus ruina sepeliendos, dum ita in DEI populum furit, repente à DEO insanabili atque invisibili plaga percutitur, ac diro viscerum dolore torquetur, cumque nihilominus Rex supra humanum modum superbia elatus urgeret aurigam, isto violentius currum incitante, excutitur, terræque illiditur tam gravi corporis collisione, ut agitationem currus amplius non ferens, humili ingestatorio portari deberet, sed doloribus in singula momenta incrementum capientibus cum rupta cute & vermes scaturirent, & carnes effluerent, factum est, ut præ fœtoris intolerantia nemo ipsum amplius portare sustineret, quare in montano aliquo Persidis oppido depositus vindicem DEI manum suamque culpam agnoscens ait: *Justum est subditum esse DEO & mortalem non paria DEO sentire, atque ita orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus, sanitatem scilicet corporis, quam suis precibus ac votis unicè quærebat.* Non cessantibus doloribus morti semper vicinior ad se vocavit Philippum inter amicos præcipuum etque copias suas & insignia Regni ad filium Antiochum perferenda commisit, rogans simul, ut novennis adhuc pueri Regni que curam haberet Lysia in ordinem redacta. itaque *homicida & blasphemus peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.*

Antiochus V.
dictus Eupa-
tor.
Ab, A. 3839.

Judas imit
pacem cum
movo Rege
& Lysia.
l. 2. c. 11. à v.
18.

Lysias verò ab ultima clade satis intelligens, invictos esse Hebræos omnipotentis DEI auxilio innitentes misit ad Judam Legatos de pace, atque is publicæ utilitati consulens acquievit precibus Lysia sub hac potissimum conditione, ut liceret patriis Legibus atque Institutis vivere, quæ hæctenus erat unica belli causa, atque hanc conditionem, ut Lysias iniret, Rex præcepit ita ad eundem scribens: *Rex Antiochus Lysia fratri salutem. Patre nostro inter Deos translato, nos volentes eos, qui sunt in Regno nostro, sine tumultu agere & rebus suis adhibere diligen-*

nam, audivimus Judæos non consensisse Patri meo, ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum ac propterea postulare à nobis concedi sibi legitima sua. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes judicavimus Templum restitui illis, ut agerent secundum suorum Majorum consuetudinem. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, & dexteram dederis, ut cognita nostra voluntate bono animo sint, & utilitatibus propriis deserviant.

At citò iterum rupta sunt pacis fœdera. ansam dederunt quinque vicinorum locorum Præfecti, qui non sinebant Judæos in silentio agere & quiete. Joppitæ verò cùm rogassent Judæos, qui in ea urbe habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, in altum perductos ac nihil mali suspicantes submerferunt non minùs ducentos; quam in suæ gentis homines crudelitatem ulturus Judas noctu superveniens cum suis flammam in portum navisque injecit, atque succendit. idem fecit in portu urbis Jamniæ, cujus cives simile facinus meditari cum incolis Judæis rescierat, fultque incendium tam magnum, ut Jerosolymæ videretur, quæ tamen stadia ducenta & quadraginta distabat. Inde post victos Arabes grassatores, quorum quinquies mille quingenti occurrerant, civitatem Casphin, à promiscuis gentibus habitam, cepit, in eaque, quòd blasphemassent, locutique essent, quæ fas non est, innumerabiles cædes fecit, ita ut adjacens stagnum sanguine interfectorum fluere videretur. Tandem post iter stadiorum septingentorum & quinquaginta Timotheum, qui Judæis erat infestus magis, affecutus de ejus copiis, tum quæ in præsiidiis fuerant, tum quæ in acie steterant, interfecit prope centum millia viorum. Post celebratam deinde Jerosolymis Pentecosten contra Gorgiam Idumææ Præpositum egressus est; cùmque hæcenus incruentas divinitus victorias retulisset, victo fugatoque Gorgia tamen contigit paucos ruere Judæorum, causam comperit, cùm corpora prostratorum tolleret; nam sub tunicis interfectorum inventa sunt de donariis Idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, à quibus Lex prohibet Judæos, Deut. 7. v. 25. quò omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Judas autem tam idonea occasione oblata suos hortatur, ut præsentis sociorum animadversione commotissimi DEI offensam reformident; indiæque per exercitum contri-

Rumpuntur
pacis fœde-
ra, & Judas
pro ocellis
Judæis jubet
in Templo
offerri Sacri-
ficia.
l. 2. c. 12.

butione duodecim millia drachmas argenti misit. Jerosolyman offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, et à peccatis solvantur.

Rex cum Lysia & ingenti exercitu venit in Judæam.
l. 1. c. 6. av. 18.
& l. 2. c. 13.

Interea absente Judæ regii Præsidarii, qui erant in arce Sion, crebros faciebant incursus in eos, qui Templum Sacrificiorum aut Orationis causâ adibant; quò auditò reversus Jerosolyman cogitavit eos disperdere, & admotis machinis arcem obsedit. Rex jam antea iratus, nunc tum ab obsessis per nuntios rogatus tum à perfugis Judæis incitatus Antiochiam congregavit ingentes copias peditum equitumque cum magno numero elephantorum ac curruum falcatorum; Lysiaque comite Ipse ad solvendam obsidionem iter ingressus est. Aderat in exercitu cum aliis apostatis etiam Menelaus ill. Pseudo-Pontifex, de quo in via edoctus à Lysia Rex eum malorum omnium causam esse, solito facinorosorum supplicio impium jussit necari. Per Idumæam deinde veniens præcipuum Judæorum munimentum Bersuram, ne hostem à tergo haberet, expugnare statuit; quod ubi cognovit Judas, præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent; ipse verò dilata arcis obsidione Jerosolyman egressus castra posuit haud procul à castris regiiis. Inguente deinde nocte usus, ac Prætorium Regis aggressus ad quatuor millia Græcorum interfecit castrisque hostium metu ac perturbatione repletis ad sua rediit. Excitatus tantâ Judæorum audaciâ Rex surrexit ante lucem ordinavitque exercitum, elephantos quoque ut acuerentur in prælium, potari jussit vino ac mororum succo: singuli eorum circa se habebant mille pedites, & quingentos equites: è turribus ligneis, quas bestix humeris portabant, ad pugnandum in quavis stabant dispositi duo & triginta sagittarii: totus exercitus in duas partes erat divisus; insignis armorum apparatus, ut, cum refulsit Sol in elypeos aureos & æreos, resplenderent vicini colles ab eis. sed & Machabæus cum suo exercitu appropriavit in prælium, primòque pugnx imperu ceciderunt de exercitu Regis sexcenti viri, & Eleazar Judæ Frater unius cæde liberaturus populum suum insigni facinore caelis hinc & inde hostibus penetravit usque ad eminentem præcæteris elephantem, credens ei Regem insidere, succedensque sub ventrem confodit, & ipse simul pondere corruentis bellæ oppressus suo sepultus est triumpho.

Post

Post tam gloriola pugnae initia tamen Judas attento hosti-
um non tantum numero sed & virtute recedens, Jerosolymam
se cum suis recepit, arcemque rursus obsedit. Rex vero Bet-
suram pergens oppugnare, eam denique deditioe accepit, &
totas vires Jerosolymam traduxit, qua etiam facile potitus est
dilabentibus propugnatoribus ob victus inopiam. escæ enim non
erant in civitate ob Sabbathæ terræ sive ob annum septimum
sabbathicum, quo per Legem non licebat arare terram, vel se-
rere, vel fructus colligere; reliquias vero earum, quæ repositæ
fuerant, consumpserant illi, qui remanserant in Judæa de genti-
bus. Templum dies permultos Judæi fortiter defenderunt ex
propugnaculis, quæ Judas ante aliquot annos contra arcis Sion
prædarios erexerat, sed denique etiam ipsi se ac Templum
coacti fuissent ob victus penuriam dedere, nisi DEus necessari-
am deditioem per ipsos hostes prævenisset.

Dum enim Rex in Judæa cum exercitu agit, Philippus re-
bus in Perside, Babylonia, aliisque superioribus Asiæ Regionibus
post mortem Antiochi ordinatis cum copiis à moriente Rege
sibi commissis Antiochiam adventat, ac utpote ab eodem con-
stitutus super Regni negotia urbe recipitur. Lysias accepto hoc
nuntio conatus æmuli quam primum totis viribus in eum con-
versis infringendos rarus Regi Ducibusque persuasit, ut pacem
darent Judæis permittendo eis libertate vivendi juxta ritus patrios.
cumque pax placuisset Judæis, & utrinque Jurejurando firmata
esset, Rex amplexatus est Judam, intravit Templum, obtulit mu-
nera & sacrificia. non tamen integrè servavit juramenti fidem;
nam propugnacula, quæ defendebant Templum ab incursionibus
Prædiorum arcis, jussit destrui; quo facto Antiochiam
properavit, & Philippum urbe ejecit; qui postea fugit in Ægy-
ptum ad Regem Ptolemæum.

Interea nuntius de morte Antiochi quarti etiam Romam
ad aures Demetrii pervenerat; qui annos bene multos obses
audita Patruum morte in Curiam ingressus à Patribus postulavit,
ut per populum Romanum in Regnum paternum, ab Antiocho
sibi fraude ereptum restitueretur; quod cum à Senatu, cujus ra-
tionibus tunc magis conducebat Syriæ Regem esse puerum quam
virum, impetrare non posset, clam elapsus, cum octo probatis-
simæ fidei sociis Tripolim Syriæ appulit; ubi à Syris magna

Rex occupata Jerosolymam Templum obsider.
l. 1. c. 6. à v. 47.
l. 2. c. 13. à v. 18.

Rex & Judas pacem inveniunt.
l. 1. c. 6. à v. 55.
l. 2. c. 13. à v. 23.

Demetrius Romam in Syriam venit, & Antiochus cum Lysia occiditur.
l. 1. c. 7. à v. 1. ad 5.
l. 2. c. 14. v. 1. & 2.

Demetrius
Rex Syriæ.
Ab An. 384.

Demetrius
cum exercitu
Bacchidem
mittit in Ju-
dæam.

L. 1. c. 7. v. 5.
L. 2. c. 14. v. 3.

Judas duobus
prellis vincit
Nicanorem

omnium gratulatione acceptus est, & pro legitimo Rege agnitus; certusque etiam de Ducem Antiochi totiusque exercitus erga se voluntate comparatis copiis contendit Antiochiam, cumque nollet Antiochum & Lyfiam comprehensos ad se adduci, occidit eos exercitus, sicque sublato æmulo *sedis Demetrius super sedem Regni sui.*

Vix bene Regnum adierat Demetrius, *venerunt ad eum viri iniqui & impii ex Israël*, apostata scilicet, & Alcimus Dux eorum. qui cum occiso Menelao in Pontificatu Antiocho annuente successisset, nunc à Demetrio eundem sibi confirmari petiit, idque muneribus, quæ sacrilegè è Templo ablata esse videbantur, facillè obtinuit. Intelligens autem sibi haud patere vivò Machabæo accessum ad altare, Judam ejusque amicos & socios quasi Regni perturbatores apud Regem accusat, eos bella nutrire, seditiones movere, nec pati Regnum esse quietum; quamdiu superesset Judas, impossibile esse, *pacem esse negotiis.* tantumque apud Regem effecit, ut Bacchidem veteranum Ducem & tunc Mesopotamiæ Præfectum in Judæam mitteret cum exercitu, ut in reos animadverteret, simulque Alcimum in Pontificatus possessionem mitteret. Terram Juda ingressi per nuntios Judam & fratres ejus invitârunt ad colloquium, pacem simulantes, at quòd venissent cum exercitu magno, cautiores eis non adhibuere fidem. Alii contra non pauci *Homini Sacerdoti de semine Aaron* sine dubio fidendum rati tractârunt cum Alcimo; è quibus autem postea sexaginta primæ notæ viros comprehendit, & contra fidem datam *occidit in una die prope Jerosolymam.* Nec paucos etiam Bacchides mactavit, qui Alcimi perfidia territi fugere tentaverant. Non diu post Bacchides Antiochiam ad Regem reversus est, præsidio militari Alcimo tanquam Judæorum Duci & Pontifici relictò. Iste ut Principatum suum contra Judam stabiliret, cum fidei desertoribus, qui magno numero undique ad ipsum convolabant, per hostiles excursions *fecit plagam magnam in Israël* sed cum denique videret Judam prævalere & eos, qui cum eo erant, ipse quoque regressus est ad Regem, eumque contra Machabæos rursus exasperat.

Mittit igitur Demetrius Nicanorem Præpositum elephantorum cum mandatis, ut Judam quidem caperet, comites verbò ejus dispergeret, & Alcimum in Pontificatus possessionem mitteret.

Demetrii
Præfectum.
l. 1. c. 7. à v.
26.

teret. Nicanor, ubi Jerosolymam advenit, concius fortitudi-
nis Judæ maluit cum eo amicè agere, quàm ferro decernere. at
ea de re ab Alcimo apud Regem delatus, iterùmque jussus Ma-
chabæum citius vincitum mittere Antiochiam, cum ampliùs Re-
gi resistere non posset, opportunitatem observabat, quâ præcep-
tum perficeret. Id subodoratus Judas paucis suorum congre-
gatis occultavit se à Nicanore. ruptâ sic amicitia ad pugnam
ventum est, cecideruntque de Nicanoris exercitu ferè quinque
millia; Nicanor se cum fugitivis in Sionis arcem recepit, quam
regii milites adhuc occupabant. Inde fortè in Templum tran-
sias obviam honoris causa venientes habuit Sacerdotes, qui et-
iam ostenderunt ei Sacrificia, quæ pro salute Regis ipsius offere-
bantur DEO. at ipse irridens sprexit eos; cumque suspicaretur
Judam Jerosolymæ alicubi latere, minatus est, se, nisi eum vincitum
sibi traderent, Templum funditus excisurum, cum regressus fue-
rit in pace. His dictis rediit in arcem; Sacerdotes verò in Tem-
plum regressi divinam opem contra Nicanorem suppliciter implo-
rârunt, ut ejus blasphemias ulcisceretur; quod brevi factum est.
Copiæ auxiliares, quas expectabat Nicanor Antiochiâ, haud pro-
cul ampliùs aberant; quo cognito Jerosolyma egressus, easque
sibi conjungens contra Judam movit exercitum, qui stabat cum
tribus millibus in locis Samaria. Judas visa hostium multitu-
dine hortatus est suos, ne formidarent ad adventum nationum,
in mente haberent præteritas victorias & adjutoria sibi facta de
Cælo, sperarent etiam nunc ab Omnipotente sibi affuturam vi-
ctoriam. quodque omnes vehementer recreavit, addidit, vi-
sum sibi esse in somnio, Oniam Summum Sacerdotem manus
prostridentem orare pro omni populo Judæorum; Jeremiam
verò Prophetam DEI extendisse dextram & dedisse sibi gladium
aureum dicentem: *Accipe sanctum gladium munus à DEO, in
quo dejicies adversarios populi mei Israël.* quibus verbis egregiè
animati statuerunt dimicare & configere fortiter. Cæterum
Nicanor non nisi die Sabbathi pugnandum sibi censuit, ratus
fortasse Judæos ut olim 1. Mach. c. 2. à v. 34. ad 42. ne arma qui-
dem ad sui defensionem capturos, sed in sua simplicitate mori-
turos. at aliter accidit; nam cum inter tubas & cantica pro-
piùs accederet hostis, Judas extendens manus in Cælum: *Tu
Domine, inquebat, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege
Judæ*

Judas, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: & nunc Dominator Caelorum mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. finita oratione Judæi manu quidem pugnantes sed Dominum cordibus orantes prostraverunt non minus triginta quinque millia: & contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio; ejus deinde caput & dextram, quam extenderat superbè contra domum sanctam Judas jussit suspendi contra Jerusalem, idque in memoriam perpetuam tum victoriæ tum ultionis divinæ.

Judas Legatos Romam mittit ad in-eundum fœdus.
l. 1. c. 8.

Post continua tot annorum felicia quidem bella optabat Judas eum gente sua denique posse in pace vivere. Verum hanc salvis patriis institutis jam sperare non poterat à Rege Syriæ, nisi eum major quædam autoritas atque potentia à vexatione gentis suæ absterret. Itaque inito cum suis consilio Romanos fœdere sibi conjungendos putavit, quorum potentiam Demetrius præcipuè timebat. & elegit Judas Eupoleum & Jasonem, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam & societatem; & ut auferrent ab eis jugum Græcorum. Qui ubi Romam venerunt, Curiam ingressi dixerunt: *Judas Machabeus & Fratres ejus & populus Judæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum Societatem & pacem, & conscribere nos socios & amicos vestros.* Quibus postulatis Romani libenter acquieverunt, ut sic quasi freno Demetrium in officio retinerent; simul & has literas ad eundem scripserunt: *Quare gravasti jugum tuum super amicos nostros & Socios Judæos? si ergo iterum adierint nos, adversum te faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum terra marique.*

Judas in prælio contra Bacchidem occumbit.
l. 1. c. 9. à v. 1.

At interim Rex deleto Nicanoris exercitu misit Bacchidem & Alcimum, qui novum exercitum applicuerunt ad Jerusalem. Et cum cognovissent, Judam posuisse castra in Laifa, illuc abierunt cum viginti millibus peditum, & duobus millibus equitum. Fuerant quidem in castris Judæ tria millia electorum virorum; at nunc inspecta hostium multitudinem timore correpti plerique subtraxerunt se de castris Judæ, & non remanserunt cum eo nisi octingenti viri; qui quidem & ipsi disuaservunt pugnam. Verum Judas, *absit*, inquit, *istam rem facere, ut fugiamus ab eis:*

& si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen glorie nostrae. His dictis movit in hostem; equites divisi erant in duas partes, fundibularii & sagittari praebant exercitum, & commissum est praelium à mane usque ad vesperam. Demum contritum est dextrum cornu Bacchidis, & persecutus est eos Judas usque ad montem Azoti; quod cum vidissent hostes, qui in sinistro cornu erant, persecuti sunt ipsi Judam & eos, qui cum ipso erant, à tergo, & ingravatam est praelium; & ceciderunt utrinque vulnerati multi; ac demum fortissime pugnans ipse etiam Judas cecidit, & caeteri fugerunt. Ionathas verò & Simon tulerunt Judam fratrem suum & sepelierunt eum in sepulchro Patrum suorum in civitate Modin. & fleverunt eum omnis populus plangitum magno & lugebant dies multos; illud identidem repetentes: quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israël? verè potens magnusque Princeps, si vel ista solum, quae sacrae literae annotarunt, gessisset; nam caetera verba bellorum, & virtutum, quas fecit, & magnitudinis Ejus non sunt descriptas; multa enim erant valde. 1 Mach. c. 9. v. 22.

Post obitum Judae undique emerferunt iniqui apostatae, qui antea metu illius latuerunt. Cumque tunc etiam esset fames magna valde, omnis Regio Judaeae & loca munita sese Bacchidi dediderunt, nihil ut jam tutum fratribus & amicis Judae remaneret; cogereturque Ionathas, cum prius à reliquiis Bonorum rogatus Principatum conjunctumque illi Pontificatum suscipisset, sese cum suis trans Iordanem recipere.

Jonathas Frater Judae cogitur cum paucis se trans Jordanaem recipere. l. 1. c. 9. à v. 23.

Jonathas, Dux & Pontifex.

Bacchides auditò Ionathan surrexisse loco Judae fratris sui, & confidere ad ripam Iordanis, illuc cum exercitu venit die Sabbathi ad opprimendos Iudaeos. Ionathas cernens se circumventum nec esse fugae locum; breviter suos hortatus, ut clamarent in Coelum, in hostem ruit, caeterisque jam mille viris in ipsam Bacchidem sibi occurrentem ferrum strinxit. At cum iste ictum effugisset, & agmina hostilia undique irruerent, cum sociis insiliit in Iordanem & transnatarunt in ulteriorem ripam. Bacchides verò reversus Ierosolymam, nec ausus Ionathan amplius

Ab An. 3847. Jonathas configit cum Bacchide, & transiit cum suis Iordanem. l. 1. c. 9. à v. 43.

Sacra Veterum Temp. Histor. K k bello

bello laceffere, folùm loca Iudææ ad refiftendum idonea communivit additis cum comœatu præfidiariis, qui fubinde excufionibus vexarent Iudæos. Alcimus interea fua opinione Summus Sacerdos Pſeudo-Pontificem Ieroſolymæ in Templo agebat. At cùm hoc tempore res novas moliretur ac cœpiſſet deſtruere murum in atrio domûs ſanctæ, percuffus eſt divinitus, nec ultra potuit loqui verbum, & mortuus eſt cum tormento. Cuius morte territus Bacchides recurrit Antiochiam ad Regem, fortaliſis nempe, ut eum de alio Pontifice conſtituendo conſuleret. Quo abſente toto biennio pax & quies à bello in Iudæa fuit; Ionatha cum ſociis trans Iordanem agentibus.

Jonathas pacem inſtituit cum Bacchide. l. 1. c. 9. à v. 58.

At pacem rurfus turbârunt impii deſertores ac Machabæorum æmuli, qui eos omnino deletos eſſe cupiebant. Hortantur igitur Bacchidem ut rediret in Iudæam, nunc Ionathan ejusque locios in ſilencio *habitare confidenter*, ac facilè comprehendì poſſe eos *omnes una nocte*. Ille ſe venturum per occultas epiftolas reſpondit; curarent ipſi interim, ne elaberetur. At re deſecta Ionathas apprehendit potiùs *malitia Authores & Principes*, quorum erant quinquaginta, & *occidit eos*. Seceſſitque cum ſociis in deſertum Ierichuntinum, ac ſe recepit in oppidum Bethbeſſem, quod communivit armis, viris & comœatu. Interim adeſt Bacchides cum exercitu multo, intelligeasque inſidias fuiſſe irritas vi agendum ratus oppidum obſedit dies multos adhibitis etiam machinis. At ubi Ionathas relicto ad deſenſionem oppidi Simone egreſſus collecta per viciniam militum manu in caſtra irruit, ſimulque Simon eruptione facta incenſisque machinis hoſtem repellit, *contritus eſt ab eis*. qua clade Bacchides valde afflictus iras omnes vertit in hujus expeditionis Authores, & *multos ex eis occidit*. Oblatam deinde à Ionatha pacem libenter acceperit, redditisque captivis juravit Ionathæ, ſe nihil ei mali ampliùs facturum omnibus diebus vitæ ſuæ, rediitque Antiochiam ad Regem. Ionathas verò degens in oppido Machmas, quod erat in confinio Tribuum Benjamin & Ephraim cœpit Rempublicam adminiſtrare, & in Religionis patriæ deſertores ſeverè animadvertere, eosque exterminare.

Res Judæorum reſlorefcunt.

Quatuor annis ceſſaverat *gladius ex Iſraël*; cùm reſ Iudæorum inexpectatò etiam ſine armis cœpere reſlorefcere. Antiochus quartus præter filium Antiochum, qui poſt ipſum regnavit,

vit, reliquerat alterum adhuc filium Alexandrum. iste post obitum Patris eademque fratris haecenus Romae moratus consilio atque operam amicorum potestatem à Senatu obtinuerat Regnum Syriae dejecto Demetrio occupandi. conducto igitur milite veniens in Syriam Ptolemaidem facile occupavit proditione militum, qui eam tenebant praesidio. Demetrius, ut aemulum citò opprimeret, copiosum congregavit exercitum, ac in belli societatem Jonathan invitavit, datam ad eundem epistolam, quam potestatem dedit colligendi exercitum armisque instruendi, veritusque, ne Judaei memores injuriarum turbatis nunc rebus Alexandri partes adjuvarent, eis obfides reddi jussit, quos haecenus detinuerat in arce Sionis. Jonathan favore Demetrii utendum ratus Machinis concessit Jerosolymam, & cepit aedificare & innovare civitatem pridem ab Antiocho & Apollonio vastatam: murum quoque contra praesidiarios arcis à Juda erectum, sed deinde ab Antiocho quinto destructum, reparavit, ac lapidibus quadratis communivit. Qui in aliis praesidiis ante annos aliquot à Bacchide collocati fuerant, tum alienigenae, tum apostatae audito Jonathae Jerosolymam adventu omnes fugerunt, exceptis iis, qui Betsuram tenebant.

Non minus sollicitè amicitiam Jonathae Alexander quoque quaesivit missam ei purpuram & coronam auream unam cum literis plenis humanitate; quibus eum fratrem, & amicum vocavit, summumque Sacerdotem constituit, qui quidem jam antea erat. Demetrius haec audiens contristatus est valde, promissisque longè majoribus Judaeos studuit ab Alexandro avertere, sibi que demereri. Verum Jonathan & populus recordati malitiam magnam, quam Demetrius fecerat in Israël, adhæserunt partibus Alexandri, commissoque praesidio Demetrius victus casusque coronam Syriae Alexandro reliquit, sed à filiis suis Demetrio & Antiocho, quos providus Pater ante pugnam procul in tutum locum cum magno auri pondere amandarat, post aliquot annos repetendam.

Alexander ut partem sibi Regnum affinitate firmaret, Ptolemaei Regis Aegypti, filiam Cleopatram in uxorem petiit Syriae ac Seleucidarum exitio fatalem postea foeminam. Nuptiae celebratae sunt Ptolemaide praesente Rege Aegypti in magna gloria conviviorum scilicet, ludorum, certaminum, spectaculorum

K k 2

1. Mach. c. 10.

Jonathan
contra Demetrium
adhæret Alexandro.
1. 1. c. 10. à
v. 15.

Alexander
Syriae Rex,
Ab An. 3852.

Jonathan magnis honoribus ab Alexandro afficitur.

L. 1. c. 10.
3 v. 60.

& conventu virorum Principum, in quibus Jonathas ab Alexandro invitatus ac perhonorificè habitus est & reversus est Jonathas in Jerusalem cum pace & letitia, ac uti præteritò anno cepit publicè stolam sanctam seu Pontificium cultum in die solenni Scenopegiæ induere; ita rebus nunc quietis summi Sacerdotis solenniore quovis festo explevit officium.

In Ægypto
Templum Je-
rosolymz
contra Sama-
ritanos legi-
timum esse à
Rege decer-
nitur.
Jof. 1. 13.
ant. c. 6.

Alexandriæ in Ægypto jam diu inter Judæos & Samaritanos Ægyptios controversia agitabatur, ex qua hoc tempore ferè seditio exorta est. Judæi contendebant, juxta Mosis præscripta Jerosolymitanum Templum esse legitimum, Samaritæ verb Garizitanum, cujus Religio sub Alexandro Magno fuerat induc-ta. denique provocatum est ad Regem ejusque consilium ea lege, ut cujus partis Causidici succumberent, morte multarentur. Itaque Rex multis amicis in consilium adhibitis confedit causam auditurus. Sabbæus cum Theodosio S maritarum causam defendebat: pro Judæis Andronicus stabat, qui prior dicere orsus probavit primùm ex Lege Mosis sacrificia & celebritates præcipuas ter in anno fieri oportere in loco, quem elegisset Dominus, deinde locum illum Jerosolymis fuisse electum; ibique jussu Domini Templum à Salomone constructum, ingentibus postea prodigiis sanctificatum, ac à Regibus ipsis honoratum. postremò Sacerdotium per continuas Pontificum successiones ad hæc usque tempora propagatum. horum verò nullum vel Garizitano vel Heliopolitano convenire, quæ nuper admodum per seditionem extructa esse constaret. Partibus auditis Ptolemæus decrevit, Jerosolymitanum esse ex sententia Mosis conditum, Sabbæum verò & Theodosium affici jussit supplicio.

Jonathas de-
ficientem ab
Alexandro
Apollonium
vincit.
Mach. 1. 1. c.
10. à v. 69.

Quintum annum regnabat Alexander in Syria, cum Demetrius natus major occisi Demetrii filius ex insula Creta, ubi hæctenus latitabat, cum auxiliis Cretensium trajecit in Ciliciam, Regnum suum hæreditarium recuperaturus & Patris cædem ulturus. Antiochenes primi se novo Regi dederunt; paterni quoque milites passim signa ad Demetrium favore adolescentis accensi transtulerunt. Jonathas verò in fide Alexandri persistit. Ægrè id ferens Apollonius Cælesyriæ Præfectus, qui & ipse ad Demetrium defecerat, atque cum exercitu apud urbem Iamnam stabat, eum cum magna jactantia è suis, ut aiebat, montibus in apertum campum provocat; quibus commotus Jonathas ele-
git

git decem millia virorum assumptoque secum Simone Fratre ad urbem Ioppen exercitum admovit. Præsidium Apollonii paratum quidem erat urbem defendere; at cives obsidione territi apertis portis deditioem fecerunt. Amissa Ioppe Apollonius versus Azotum progressus expectavit insequentem Jonathan equitatu, in quo multum confidebat, per insidias ita disposito, ut Iudæi à fronte & à tergo cædi possent. at elusis insidiis pedites Apollonii contriti fugatique sunt; equites verò sparsi per campum fugerunt usque in urbem Azotum, quos persecutus Ionathas & urbem & templum Dagon, in quod plerique confugerant, succendit; perieruntque tum gladio, tum incendio ad octo virorum millia. Inde Ascalonem movit, cujus autem cives venienti obviam exierunt magna gloria atque honore eum excipientes; sicque Ionathas victor in Ierusalem cum exercitu præda & spoliis onusto reversus est. Alexander verò Rex his auditis mirè lætus perrexit honorare Ionatham, & *misit ei fibulam auream*, insigne scilicet ornamentum militare non nisi cognatis Regum concedi solitum, præterea donavit ipsi urbem Accaron, & omnes fines ejus in possessionem.

Inter hæc Rex Ægypti Ptolemæus Syriam cum validissimis copiis ingreditur specie quidem ferendi Genero suo Alexandro contra Demetrium auxilii, reverâ autem ut Syriam adderet Regno suo. venienti, ita Alexander jubente, urbium portæ omnes patuere, at is, cum in aliquam civitatem introiret, imponebat ei præsidium militare. Azotum prætereunti occurrit Ionathas magnifico cum apparatu, Regemque aliquousque comitatus honoris causâ, reversus est Ierololymam expectaturus in tuto, quem res exitum esset habitura. at brevi patuere Ptolemæi consilia. cum enim Seleuciam maritimam urbem venisset, vocato ad se Demetrio Cleopatram filiam, Alexandro tanquam Regno vitæque suæ insidiantem ereptam, uxorem dedit, volens eo uti tanquam vasallo potius, quam ut ipse Demetrius regnaret in Regno Patris sui. nam cum postea Antiochiam intrasset, ambitiosus Rex *imposuit duo diademata capiti suo Ægypti & Asiæ*. Alexander, qui tum erat in Cilicia ad compescendos rebelles, accepto nuntio de inauditâ Soceri perfidiâ cum suis copiis contra inexpectatum hostem movit. at primo congressu fulus fugatusque in Arabiam se recepit, ut ibi protegeretur à gentis illius Principe. verum

Jonathas Ierololyma in tuto spectat. Regum Syriæ & Ægypti pugnas. 1. Mach. c. 11.

Demetrius II.
Ab An. 3857.
Ptolemæus
VII.

Jonathas à
Demetrio
honoribus &
donis auge-
tur.
l. l. c. 11.
à v. 20.

Jonathas De-
metrium in-
gratum expe-
ritur.
l. l. c. 11.
à vi. 38.

rùm miser in inamanem proditorem incidit. nam Arabs *abstulit caput Alexandri & misit Ptolemæo.* qui autem ipse etiam in die tertia mortuus est ex vulneribus, quæ in pugna acceperat, atque ita Regnum Syriæ universum cessit Demetrio hoc nomine secundo. Ptolemæo verò sexto successit Ptolemæus septimus.

Horum in Syria tumultuum occasione Regumque Asiæ & Ægypti mutatione usus Jonathas arcem Sionis tot jam annis à Syriaco præsidio detentam obsedit. Qua re à perfidis Judæis compertâ Demetrius venit Ptolemaidem, scripsitque Jonathæ, ne obsideret arcem, sed ad se venire festinaret collaturus secum super hoc & pluribus aliis negotiis. Itaque profectus ad Regem honorificentissimè exceptus & amplissimis dignitatibus auctus est. obtinuit quoque, ut tota Judæa & annexæ Præfecturæ, item Samaria & ejus confines civitates immunes essent ab omni externo præsidio, ab omni tributo, ab omni onere. Remisit præterea Rex Judæis areas salinarum sive stagna salis, in quæ transfusa maris aqua calore Solis in sal concreveret. quod ad arcem Sionis attineret, promisit, se tutos ab injuriis præsidiariorum Judæos redditurum.

Rebûs sic cum Ionatha compositis Demetrius, cum nullum ampliùs haberet Regni æmulum retento solùm peregrino milite, quem ex Creta aliisque Insulis adduxerat, totum reliquum exercitum ex legionibus Syriacis & Asianis constantem dimittit; quare veterani milites offensi passim murmurabant: Antiochenfes verò seditiosus furor ita concitavit, ut in forum civitatis centum & viginti millia convenirent, velléntque interficere Regem; quod & factum esset, nisi à Ionatha submissa tria virorum fortium millia in tempore auxilio venissent. hi enim concilis maximâ strage centum hominum millibus, succensaque civitate liberârunt Regem; & gloria spoliisque insignes regressi sunt in Ierusalem. In illo rerum articulo Rex Ionathæ ejusque genti maxima promissa fecerat, si auxilia mitteret. at nunc sopitâ seditione nihil præstitit ingratus; imo imprudens *abalienavit à se Jonatha & vexabat eum valde.* Interim Tryphon inter primos antea Alexandri Duces unus filium Antiochum adducit ex Arabia, ubi post occisum Patrem hætenus servabatur. vix Syriam ingressus est, dimissi nuper à Demetrio milites omnes turmatim ad ejus signa convolârunt, facileque cum sua paucitate victus Demetrius fugit in Ciliciam.

Antiochus verò puer adolescens imposuit sibi diadema, & Tryphon Pupilli Tutor cœpit Regnum administrare. Inter primas Regni curas fuit ad Jonatham literas dare, eique non solum Sacerdotium Principatumque confirmare, sed & eum & Simonem insignibus muneribus atque honoribus decorare. Quare Jonathas pro Antiocho victoriam profecutus trans Jordanem adjutus Syriacis Legionibus omnia Damascum usque eripuit Demetrio & adolescenti Regi Antiocho subjecit. At interim quidam Duces Demetrio adhuc adhærentes invaserunt cum exercitu multo urbem Cades, in Galilæa sitam; quo audito Simonem iatra Judæam reliquit, ipse verò occurrit illis ad lacum Genezareth. ubi instructa acie dum Judæi ab insidiis à tergo positus non satis cavent, circumventi aguntur in fugam paucis apud signa militaria remanentibus, ita ut Jonathas super suorum timiditate scinderet vestimenta sua. at ubi posuit terram in capite suo & oravit, cum paucis illis instauravit prælium, hostesque convertit in fugam; interfectisque tribus eorum millibus reversus est in Jerusalem. Simon verò interea Bersuram post multorum dierum obsidionem deditione accepit, eique præsidium Judæorum imposuit.

Jonathas nunc opportunum tempus esse cernens renovandi cum Romanis foedus jam à Juda fratre suo initum, misit duos Legatos Numenium & Jasonem Romam, monitos, ut in reditu etiam Lacedæmonios salutarent, eosque cognationis ac pristini foederis admonerent. Hi ubi Romam venerunt, Curiam intrantes dixerunt: *Jonathas summus Sacerdos, & gens Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam & societatem secundum pristinum.* cumque omnia impetrassent, quæ volebant, redièrunt cum literis commendatitiis ad Præfectos locorum, per quæ transcurri erant, ut sic deducerentur in terram Iuda cum pace. In Peloponnesum, dum redirent, appulsi, Spartanis obtulerunt literas Jonathæ, quibus renovabat memoriam foederis jam pridem tempore Oniæ Pontificis initi; simul eos certos faciebat, se suosque pro ipsis preces & sacrificia offerre DEO. Demum addidit commemorationem malorum & cladum, quibus Judæi diu multumque fuissent exerciti, nunc autem cœlesti auxilio liberati inciperent respirare.

Jonathas
contra De-
metrium ad-
hæret Antio-
cho Trypho-
nis Ducis pu-
pillo.

l. i. c. 11.
à v. 54.

Jonathas re-
novat foedus
cum Roma-
nis.

1. Mack. 12.

Interea

Jonathas
persequitur
Demetria-
nos, & Præsi-
diarios arcis
Sion fame ad
deditionem
compellere
tentat.
l. 1. c. 12.
à v. 24.

Interea autem Duces Demetrii longè majore, quàm an-
tea, numero redeunt; quo comperto Jonathas celeriter occurrit
eis, priusquàm Judæam ingrederentur. cùmque per exploratores
didicisset, consilium hostium esse castra sua noctu invadere, jus-
sit suos tota nocte in armis stare; quod illi animadvertentes ni-
hil tentare ausi sunt, sed exeatatis crebris per castra sua ignibus,
ut crederentur adesse vigiles & expediti, clam fugam capesse-
runt. Insecutus est quidem eos Jonathas manè, quò primum
fraudem agnovit: at frustra. nam illi jam transierant flumen. ne
tamen expeditio omnino infructuosa esset, vicinos Arabes Za-
badæos, raptò vivere assuetos percussit, & acceptis spoliis venit
Damascum, & perambulabat omnem Regionem illam inquirens
& persequens Demetrianos. Simon verò certior factus, Jop-
pensēs favere partibus Demetrii, numerosius interea urbi præsi-
dium imposuit. Reversus Jerosolymam Jonathas adhibito Se-
niorum populi consilio statuit reparare muros Jerusalem præfer-
tim ex parte respiciente torrentem Cedron, ubi omnino cor-
ruerant, cùmque videret arcem Sionis, à Gentilibus semper ad-
huc infessam, difficulter vi expugnari posse, cœpit altissimo mu-
ro eam secludere à civitate, ut Præsidarii, neque *emere* quid-
quam à civibus neque *vendere* possent; itaque demum tamen do-
miti succumberent, sicut & factum est.

Judæi Jerō-
solymitani
scribunt ad
Judæos Ægy-
ptios.
2. Mach. c. 1.

Hoc quoque tempore Judæi miserunt epistolam ad Judæos,
qui habitabant in Ægypto, quâ significabant, quanta post defe-
ctionem Jasonis passi essent usque ad tempus, quo Iudas Ma-
chabæus rursus emundavit & dedicavit Templum in mense Cas-
leu; ad quam proin anniversariam celebritatem frequentandam
hæc epistola Ægyptios Judæos invitabant.

Jonathas à
Tryphone
dolo com-
prehenditur.
l. 1. c. 12.
à v. 39.

Tryphon interea Tutoris dignitate non contentus ambie-
bat sublatò Antiochò pupillò diadema assumere ac ipse regnare,
unicum timebat Ionathan, ne pro Antiochò contra se arma su-
meret. quærebat ergo *comprehendere eum & occidere*, venitque
cum copiis in Bethsan aliàs Scythopolin Syriæ oppidum non
procul Tiberiade. Jonathas nil mali veritus illuc Tryphoni ob-
viam venit; sed quòd secum duceret quadraginta millia præ-
stantissimorum militum, non *ausus est extendere in illum manus*;
sed dissimulatâ perfidiâ excepit Ionathan cum honore, simul
amicè ad speciem, ei exprobrans, quòd ad se, veluti hostem,
cum

cum exercitu venisset; adesse se potius ut ipsum mitteret in possessionem Ptolemaidis aliarumque trium urbium, quas ipsi Antiochus primam ad ipsum datam epistolam promississet, *c. 11. v. 57.*; veniret igitur cum paucioribus secum in Ptolemaidem. Credidit Jonathas versipelli, & dimisso in terram Juda exercitu duomillia misit in Galilæam retentis circa se solum mille viris, cum quibus Tryphonem secutus Ptolemaidem profectus est, ut primum urbem cum suis intravit Jonathas clausis portis ipse comprehensus, milites autem ipsius ad unum omnes concisi sunt, tam tristi nuntio Ierosolymam perlato, *omnes planxerunt Jonatham, & eos qui cum ipso fuerant valde: & luxis Israel luctu magno.*

Tryphon autem consternatione Judæorum utendum ratus congregavit exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda & intererit eam. Interim autem & Simon magno consensu populi loco Fratris in Ducem electus cepit boni Principis munere fungi, militem colligere, murorum instaurationem absolvere, & Joppen periclitantem novo firmare presidio. cumque accepisset, Tryphonem movisse Ptolemaide, ut veniret in terram Juda, ipse quoque castra sua metatus est juxta campum latissimum prope urbem Addus, quam antea ipse muniverat *c. 12 v. 38.* Tryphon, qui secum habebat Jonathan in vinculis, videns Simonem ad prælium esse paratum, congregari non ausus, dolum rursus excogitat, quo & impetum Simonis elusit, & capti Jonathæ filios ambos obtinuit & insuper grandem pecuniæ summam Judæis extorsit, mittit ergo Legatos, fingitque, Jonathan non hostili animo à se captum, sed solum ob centum talenta argenti, quæ regiis rationibus deberet, detineri: mox liberum dimissum iri, ubi acceperit argentum simulque duos ejus filios obsides, ne dimissus vincula sua alias ulciscatur. bene agnovit fraudem Simon: ne tamen populo ansam daret queritandi, quasi ex avaritia neglectisset Fratri succurrere, ut ipse rerum potiretur; & quia amor in Fratrem omnia, ut servaretur, tentare suadebat, neque certus omnino erat, Tryphonem consilia tam perfida & crudelia capturum, misit petitam pecuniam & pueros, nec tamen dimisit Jonatham, sed quærebat motis sæpius castris irrumperere in terram Juda, ut contereret eam. at non poterat, Simone ubique ejus vestigia premente, & castris castra opponente. Demum desperato

Sacra Veterum Temp. Histor.

L I

rato

Et cum duobus filiis occiditur.

c. 13.

rato ingressu occidit Jonathan & filios ejus, & conversus abiit in terram suam. ubi tyrannus non diu post Antiocho quoque adolescente, dum cum eo iter facit, per fraudem interfecto Regnum invasit. Simon verò ossa Jonathæ & filiorum ejus condidit in civitate Modin extructo ibi magnifico sepulchro, & planxerunt cum omnis Israël planctu magno.

Simon Dux & Pontifex Judæorum.

Ab An. 3860.
Simon adhæret Demetrio, qui propterea Judæis plenam concedit libertatem.

. l. c. 13.
à v. 33.

Simon ut Judæam contra Tryphonis tyrannidem communiret, non solum præsidia omnibus ad defensionem necessariis instruxit; sed etiam ad profugum Demetrium Regem Legatos misit eum muneribus suam ei amicitiam offerens, simulque petens remissionem ab oneribus & tributis, quibus Tryphon Judæam de novo per vim & tyrannidem gravarat. Demetrius legationem hanc valde gratam habuit, scripsitque perhonorificè ad Simonem, se non solum remissionem onerum, quam postularet, Judæis indulgere, sed & illa omnia de novo firma ratâque esse velle, quæ jam olim constituerat, c. 11, v. 34. atque ita hoc anno centesimo septuagesimo Regni Græcorum, denique *ablatum est jugum gentium ab Israël*; factique sunt deinceps Judæi Regum Syriæ non subditi sed amici, & planè sui juris tantâ universi populi læticia, ut ab hoc temporis veluti epocha annos numerarent, scriberentque in privatis instrumentis & scripturis publicis: *Anno primo sub Simone Summo Sacerdote, magno Duce & Principe Judæorum.*

Simon è Gaza cives gentiles ejicit & Judæos immittit. l. 1. c. 13.
à v. 43.

Inter hos motus à Tryphone excitatos Gazæi ante tres ferè annos à Jonatha subacti jugum rursus excusserant. Eos ut ad officium Simon reduceret, urbi exercitum machinasque admovit, brevique seditiosos cives adegit, ut cum uxoribus & filiis supra murum scissis tunicis suis clamarent *voce magna postulantes à Simone dextras sibi dari.* & flexus Simon eos non quidem delevit, ejecit tamen è civitate; & postquam eam ab omnibus Idolorum sordibus emundavit, veri DEI cultores cives introduxit, in eaque sibi ipsi domum construxit, in quam se subinde conferret.

Arcem Sionis recuperat.

Quod verò longè magis optatum, tandem etiam arx Sion sese dedit, postquam præsidarii à tribus ferè annis *esurièrunt valde*

valde, & multi ex eis fame perierunt. Igitur purgatam à con-
taminationibus arcem Judæi post viginti septem annos iterum
intrârunt cum laude & ramis palmarum, & cinyris & cymba-
lis, & nablis & hymnis & canticis. Simon verò in monte
Templi arcem à Juda extructam novis munitionibus auxit atque
perfectit, ibique deinceps habitavit, Gazensi palatio Joanni filio
suo relicto, quem copiis omnibus militaribus præfecit.

Interim Demetrius è Syria pulsus per superiores suas Asiæ
Provincias copias & auxilia contra Tryphonem colligebat. dum
autem etiam fines Regis Parthorum inconsulto cum copiis ingre-
ditur, captus aliquot deinceps annos in custodia, quamvis ho-
norificè, detinetur; de cujus captivitate ubi uxor ejus Cleopa-
tra, quæ se Seleuciæ cum filiis suis post fugam Demetrii inclu-
serat, certum nuntium accepit, Antiochum Demetrii fratrem ex
insula Rhodo in spem Regni evocat; qui ut Judæos sibi adver-
sus æmulum Tryphonem devinciret, adhuc ex insulis maris liti-
ras honoris plenas misit ad Simonem, quibus confirmat omnes
immunitates, quas Judæi jam ante à Regibus acceperant; ad-
ditque insuper jus cudendi monetam in signum supremi domini-
i, vult, Jerusalem sanctam esse & liberam, & præsidia, quæ modò
Judæi tenent, ipsis manere. ad extremum pollicetur, se, ubi ob-
tinuerit Regnum suum, glorificaturum Simonem & gentem Ju-
dæorum, & Templum gloria magna. Ita Simonis amicitiam fre-
tus bellum contra Tryphonem & naves parat.

Judæi verò toto felicis sub Simone Imperii tempore jucun-
dissimâ pace fruebantur. Sedit unusquisque sub vite suâ, & sub
ficulnea sua, & non erat, qui eos terreret. unusquisque colebat
terram suam cum pace: & terra Juda dabat fructus suos: & li-
gna camporum fructum suum. Seniores in plateis sedebant, &
de bonis terra tractabant: Juvenes ornabant se veste pretiosa,
& triumphali, spoliis nempe hostium, ac stolis bello partis. Un-
de & Simon summa apud suos erat gratia, ut quos etiam potentes
terra marique reddidit. Nam ipse Joppensem portum jam aliàs
celebrem instruxit ad celebranda cum insulis maris commercia.
dilatavit fines Judææ occupatis plerisque Palæstinæ locis, ut Ga-
za, Azoto, Joppe, Aſcalone. plurimos Judæorum, qui variis lo-
cis captivi tenebantur, vel gratia vel pretio redemit. Afflictos
opportunitis remediis & auxiliis confirmavit: facinorosos verò

Ll 2

&

l. 1. c. 17.
à v. 49.

Capto à Par-
this Demetri-
o ab Antiocho
hujus fratre
liceras acci-
pit, quibus
ille amicitiam
Judæo-
rum querit.
l. 1. c. 14.
à v. 1. ad 4.
& c. 15.
à v. 1. ad 10.

Gratus Ju-
dæorum ani-
mus in Simo-
nem.
l. 1. c. 149
à v. 4.

& publico bono noxios è medio sustulit. Jerosolymam recepta Sionis arce & Betsura intus & foris à servitutis jugo liberavit, denique non tantùm Princeps sed & bonus Pontifex gloriam, ornatum, splendorem Sanctuarii & Templi DEI ejusque vasa magno numero auxit. Obquæ aliæque præclare gesta ut Simoni aliquo modo grati existerent Judæi, in conventu magno Sacerdotum & populi, & Principum gentis & Seniorum Regionis confenserunt eum esse Ducem suum & summum Sacerdotem & posteros ejus in æternum, donec surgat Propheta fidelis, Messias scilicet; item permiserunt ipsi ejusque familiæ Jura regia, vestitum purpureum & usum fibulæ aureæ, quæ & aliâ in his comitiis legi curârunt, atque ad rei perpetuam memoriam tabulis æreis inscribi.

Romam Simon Legatus misit.
1. l. 14. à v. 24.

Partem felicitatis attulerunt quoque Legati Româ ac Lacedæmone interim reversi, cùm referrent se ubique gloriosè fuisse receptos; qui tamen cùm literas redderent, solæ Spartiatarum ad Simonem novum Pontificem erant directæ, cùm enim de cæde Jonathæ primum nuntium acceperant, jam in reditu & longè Româ aberant. Quare Simon Numenium rursus in urbem remittit cum clypeo aureo magno mille mnarum, seu centum millium aureorum ad statuendam cum eis aut renovandam amicitiam jam cum fratribus Juda & Jonatha initam.

Redit Legatus cum Romanorum literis ad varios Reges datis.
6. 15. à v. 15.

Atque is denuo Romæ cum honore exceptus retulit epistolas in gratiam Judæorum scriptas ad Ptolemæum Ægypti Regem, ad Demetrium Syriæ, ad Attalum Pergami, ad Ariarathem Cappadociæ, ad Arsacem Persarum & Parthorum Reges: item ad novendecim alias minores Regiones, in Cyprum, Rhodum, Cyrenem, in Cariam, Pamphyliam, Lysiam &c. Porro literæ eadem formâ, mutata solum inscriptione, ita habebant. *Ptolemæo Regi salutem. Legati Judæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam & societatem, missi à Simone Principe Sacerdotum & populo Judæorum. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille. Placuit itaque nobis scribere Regibus & Regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, & civitates eorum, & Regiones eorum: & ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos. visum autem est nobis accipere ab eis clypeum. Si qui ergo pestilentes refugerunt de Regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni Principi Sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam.*

Interea Antiochus accepta conditione Regni atque conjugii, quam Cleopatra ipsi obtulerat, Seleuciam ad ipsam venit; quò mox etiam omnes ferè Syriacæ legiones confluxere deserto Tryphone, cujus superbiam amplius ferre non poterant. Itaque Tyrannum ubique per Syriam persecutus est, donec se includeret in Doram urbem maritimam; quæ cum valde munita esset, obsedit eam cum centum viginti millibus peditum & equitum octo millibus terra marique. unde elapsus Tryphon cum navi in orthosiada perfugisset, hinc quoque translato exercitu obsessus ac demum urbe vi capta interfectus est; quò sublatò Antiochus in Syria regnare cœpit, erantque ad eò duo Reges Demetrius & Antiochus, ambo fratres, ambo unius uxoris Cleopatræ viri, alter cum Regni jure in Perside captivus, alter cum Regni possessione in Syria dominans

Durante inter Tryphonem & Antiochum bello Simon miserat Antiocho duo milia electorum virorum in auxilium cum argento & auro variisque armis bellicis. at Antiochus lætis rerum successibus mutatus noluit ea accipere; misitque ex castris Legatum ad Simonem, qui Gazam, Joppen, & arcem Sionis, veluti civitates Regni sui, repeteret, tributa, quæ extra fines collecta ab ipso fuissent, exigeret; vel certè pro tributis & damnis Regno suo illatis, mille talenta postularet, bellum minatus Simonem, ni imperata faceret. respondit Simon, se & gentem suam nihil alieni possidere aut detinere. nam arcem Sionis seu civitatem David esse hæreditatem Patrum suorum, quam injustè aliquo tempore ab inimicis possessam rursus vindicassent: Gazam verò & Joppen in suam rede gisse potestatem jure belli, eodemque etiam damna Regno Syriæ ad vim repellendam intulisse, offerre se tamen centum talenta argenti, id est, 120 millia aureorum ad redimendam scilicet vexationem.

Hoc responsum & simul *gloriam Simonis & claritatem in auro & argento & apparatus copiosum* cum Legatus Antiocho retulisset, *iratus irâ magnâ* cum ipse præpeditus persecutione Tryphonis expeditionem suscipere non posset, misit cum parte exercitus Cendebæum classis suæ Præfectum jussu urbem Gedor in ingressu Judææ sitam munire, ut inde per eruptiones & excursiones militare præsidium tutò posset vastare Judæam; quod ille diligenter executus est. nam ubi Jamniam pervenit, mox

L1 3

capit,

Antiochus
Tryphonem
persequitur
ac demum
interficit.
c. 15. à v. 10.
ad 15. & v. 25.
37. & 39.

Simon Anti-
ocho arcem
Sion, Gazam
& Joppen re-
perenti ne-
gat.
c. 15. à v. 26.
ad 36.

Antiochus
contra Simo-
nem copias
mittit.
c. 15. à v. 38.

capit, dum Gedor munitur, excursionibus vicinos irritare, caedibusque ac rapinis infestam habere Judæam.

Simonis filii
exercitum
Antiochi
fugant,
1. Mach. c. ult.

Quò visò Ioannes Gazà, ubi habitabat, Jerosolymam accurrit ad Patrem, & quæ gererentur à Cendebæo, Simoni refert. Simon, cum ipse jam senuisset, continuò mittit Ioannem & alterum filium Iudam (nato minore Mathatia secum retento) cum viginti millibus belligeratorum & equitibus animans eos his verbis: *egressi pugnate pro gente nostra: auxilium verò de Cælo vobiscum sit.* Itaque contra hostes profecti pernoctârunt in Modin, oppido ipsorum natali. Manè egressi in campum pervenerunt ad torrentem, ultra quem Syri stabant. cæteris transire formidantibus Ioannes prior vadum ingressus est sequente Ducem omni populo, quem ita divisit, ut equites in medio peditum positi eos protegerent, & vicissim protegerentur ab ipsis contra ingentem hostium equitatum. Disposito milite *Sacerdotes exclamaverunt tubis sacris, & in fugam conversus est Cendebæus & castra ejus, & ceciderunt ex eis multi vulnerati.* Iudas Frater Ioannis fugientium tergo ob acceptum vulnus hæere non potuit. Ioannes autem eos persecutus ad duo hominum millia cæcidit. & *succensis turribus & locis munitis in agro Azotio in terram Juda reversus est in pace.*

Simon cum
duobus filiis
proditoriè
occiditur,
1. Mach. c. ult.
à v. 17.

Sed non diu post præclaram victoriam excepit injustissima cædes Optimi Principis Simonis. Hic Ptolemæo filiam suam uxorem dederat, & Provinciæ Jerichuntinæ præfecerat. Gener ingratus cum auro & argento abundaret, stimulante ambitione proprio nomine Regionem obtinere cupiens *cogitabat dolum adversus Simonem, & filios ejus, ut tolleret eos,* conscio sine dubio consilii Antiochò, qui in præmium sceleris eam dignitatem Proditori patriæ & Religionis daturus erat, dum patranda facinoris occasionem quærit, contigit Simonem lustrantem Judææ Regiones descendere in Jericho cum duobus filiis Juda & Mathathia. Ptolemæus in domo prædiaria parat hospitibus *convivium magnum.* at ubi jam liberaliùs potârunt, surgit repente Ptolemæus, atque armatus cum Sicariis, quos absconderat, irruit, ac Socerum senem eundemque Pontificem cum duobus filiis & aliquot famulis interfecit; statimque de patrato scelere Antiochum certiozem facit, petens ab eo exercitum, ut ei Regionem omnem Judæorum cum civitatibus in manus traderet. simul

simul misit sicarios in Gazam, ut tertium quoque filium Ioannem tollerent; qui autem in tempore monitus eos antevertit ipsosque occidit.

Atque hinc cum vita Simonis sacra veteris Testamenti Historia omnino desinit; nam gesta, bella, & virtutes Joannis, ex quo factus est Princeps Sacerdotum post Patrem suum, scripta quidem fuerunt in libro dierum Sacerdotii eius, sed liber ille interit. quare deinceps unicus in Historia Judaica Dux erit Iosephus Judæus à lib. 13. antiquitatum c. 14. & sequentibus. quam antequam prosequamur, de Judæorum hæresibus ac Synagogis pauca referemus.

Finis sacre veteris Testamenti Historix. c. ult. v. 23. & 24.

De Judæorum Hæresibus.

Joannis ferè tempore ortæ sunt inter Judæos duæ præcipuæ hæreses sive sectæ Sadducæorum & Pharisæorum; quibus accesserunt duæ aliæ Scribarum & Herodianorum tunc, cum Christus suam doctrinam prædicaret, maximè vigentes.

De Secta Sadducæorum.

Sadducæi à Sadoc sectæ Principe appellati dicebant non esse resurrectionem mortuorum; neque Angelum neque spiritum. sed & animas unà cum corporibus simul & eodem tempore extingui putabant. In reliquis sentiebant cum Samaritis; nisi quod, Judæi cum essent, Jerosolymis Sacrificia facerent. Huic sectæ adhærebant non quidem multi, sed tamen dignitate præcipui, ut Principes Sacerdotum & ferè Optimates Judæorum, libertatem carnis præ aliis sectantes.

De Secta Pharisæorum.

Pharisæi ab Hebraica voce Phares latinè Separatio ita nominati, eò quod ab aliis separati essent doctrina, sanctitate, habitu, omnia, quæ Sadducæi negabant, admisere; multas tamen inanes cæremonias, superfluos ritus ac supersticiosas traditiones obser-

observârunt, eorûmque doctrina præcipuè in componenda exteriori pietatis specie versabatur. Hos populus magnificiebat & sectabatur.

De Secta Scribarum.

Scribæ sive Legis periti & Doctores, quorum multi erant Pharisei, superfluam & sophisticam interpretationem legis inducentes secundum eam vivebant, & veluti ad sinceritatem ac sanctitatem dispositi crebrò manus lavabant, crebròque purificationes quasdam per lavacra adhibebant. Hi quoque erant, qui dum facerent eleemosynam, caneant tubâ ante se specie quidem, ne quis egenus beneficiò excuderetur, reverâ autem, ut multos haberent beneficentiæ suæ spectatores.

De Secta Herodianorum.

Herodiani putabant Herodem esse Messiam, in scripturis & à Prophetis prænuntiatum, decepti ex illo loco: non deficiet Princeps ex Juda neque Dux de femoribus ipsius, donec veniat, qui mittendus est. hinc colligebant hunc missum esse Herodem, quòd non esset Judæus natus sed alienigena.

Harum quatuor Sectarum Discipuli Christo Evangelium prædicanti præcipuè se opposuerunt, ipsûmque tentandi causa variis hinc inde interrogationibus fatigârunt. quos autem Ipse quoque acriter infectatus est, & hypocrisin aut falsam doctrinam eorum detexit. sic *Matt. 22. v. 23.* Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. *Matt. 16. v. 6.* Cavete à fermento Phariseorum & Sadducæorum. *Matt. 23 à v. 2.* Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, id est, tenent locum Moysi & jus, habentque auctoritatem docendi, explicandi legem: dicunt, & non faciunt: omnia sua opera faciunt, ut videantur ab hominibus. *Luca 20. v. 46.* Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas Cathedras in Synagogis, & primos discubitus in conviviiis. *Marci 8. v. 15.* Cavete à fermento Herodis, ab absurda scilicet secta Herodianorum Herodem pro vero Messia obtruden-

dentium, Romanis in pensatione tributi blandientium, & nil nisi terrena ambientium. *Marci 12. v. 23.* Mittunt ad eos quosdam ex Phariseis & Herodianis, ut eum caperent in verbo dicentes: Licet tributa dare Cæsari, an non?

De Synagogis Judæorum.

PRÆter Templum Jerosolymitanum præcipuum orationis & legis explicandæ locum habebant Judæi ædes sive Synagogas, in quibus ad orationem publicam, ad divinæ legis explanationem, & sacram concionem, maximè in Sabbathis conveniebatur. Origo earum non videtur esse vetusta; neque enim in Historia Judicium aut Regum ulla Synagogarum memoria celebratur. fortassis in Babylonico exilio primùm construi cœperunt, ut Judæi, cum Templo carerent, in quo aut orarent, aut docerent, locum aliquem similem Templo haberent, in quem ejusmodi officii gratiâ convenirent; usum verò Synagogarum semel institutum, cum à captivitate rediissent, retinuerunt, non tantùm extra Judæam in Provinciis, in quibus Judæi dispersi versabantur, sed etiam in ipsis Judææ civitatibus, è quibus Jerosolymam adire non erat commodum. Tempore Christi Domini complures Synagogas fuisse in Judæa & Galilæa, discimus ex *Matt. 4. v. 23.* Circuibat IESUS totam Galilæam docens in Synagogis eorum. *Luc. 13. v. 10.* Erat IESUS docens in Synagogis Judæorum Sabbathis, *Joan. 18. v. 20.* Ego semper docui in Synagoga & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt. Fuisse jam antea Synagogas, ac etiam extra Judæam, Acta Apostolorum habent *c. 15.* Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur *c. 9.* Paulus petiit à Pontifice epistolas in Damascum ad Synagogas. *c. 13.* Paulus & Barnabas cum venissent Salaminem, prædicabant Verbum DEI in Synagogis Judæorum. *c. 17.* venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum. *c. 18.* Paulus disputavit Corinthi in Synagoga per omne Sabbathum. *c. 19.* Ephesi ingressus Synagogam cum fiducia locutus est per tres menses disputans.

Porro sicut in Templo Sacerdotes & Pontifex Principatum gerebant, sic in Synagogis Scribæ; & horum Princeps Archisynagogus dicebatur: Magni quoque probri loco Judæi habebant, si quis è Synagoga exclusus esset. unde est apud Joannem c. 9. conspiraverunt Judæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret. & 12. Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, ut è Synagoga non eicerentur. Hæc de Sectis & Synagogis Judæorum

Ab A, 3862.

Joannes Hircanus, Dux & Pontifex.

Jerosolyma
obsessa libe-
ratur.
Jof. I. 13.
ant. c. 15.

Joannes, licet ipse eadem evasisset, non dubitavit tamen, Antiochum brevi cum exercitu ad muros Jerusalem adfuturum, ut ex perfidi Ptolemæi consilio sibi Judæam subjugaret. Ergo Gazam advolat, susceptoque principatu omnia ad strenuam defensionem parat. Venit Antiochus, eoque vehementius obfidionem uris, ut urbe subacta majoris momenti expeditionem contra Parthos, apud quos frater ipsius Demetrius adhuc captivus detinebatur, susciperet. Verum contra spem secuta paulo post pax & urbem servavit, & Parthicum iter promovit. Inciderat Festum Tabernaculorum, quod cum inter arma celebrari non posset, Pontifex à Rege petiit, sacri temporis gratia septem dierum inducias concederet. Rex eas non tantum concessit, sed & magnificas victimas deauratis earum cornibus è castris in urbem misit; pocula quoque tam aurea, quam argentea varii generis aromatibus referta. Quæ pietas paci aditum aperuit. Eam enim Joannes per Legatos petiit, ac impetravit conditionibus sat æquis, inter quas una erat, ut contra Parthos auxilia mitteret.

Hircanus An-
tiochum in
Persidem co-
mitatur.
c. 16.

Facta igitur pace Antiochus exercitum duxit in Persidem, & Hircaniam; eumque cum auxiliaribus Judæorum suorum copiis Joannes ipse secutus est, ob quam expeditionem Hircani cognomentum accepit. Intra unius anni spatium Phraatis Parthorum Regis vires secundis aliquot præliis ita fractæ sunt, ut occupata Babylonia Parthis præter antiquos fines suos ferè nihil superesset. Quo in bello Judæorum non solum fortitudo eminebat, sed & Religio venerationi fuit, cum, ut ipsi Sabbathi diem in sancto otio celebrarent, totus reliquus Antiochi exercitus qui-

quiesceret. Phraates undique pressus ut Antiochum ad sua tuenda à Parthia revocaret, Demetrium ex Hircania liberum in Syriam ad recuperandum Regnum suum dimisit. Cujus autem consilii mox ipsam, sed serò pœnituit, Antiocho hoste interim morte sublato, & in Nanæ Deæ templo, dum Sacerdotum fraude illectus pecuniis inhiat, lapidibus obruto. 2 Mach. c. 1.

Hircanus, qui jam ante cum suis in Judæam redierat, audita nece Antiochi, tempore utendum ratus, varia Syriæ oppida expugnat, Sichimam Samaritanis eripit, templumque Garizitanum funditus evertit. Cujus tamen ruina Samaritanos haud absterruit, quò minùs pergerent, eo in monte adorare. Altero pòst anno Idumæos quoque non modò subegit, verùm etiam ad legem Moysis, & circumcisionem veluti Elau & Abrahæ filios compulit, nisi mallent solum mutare; qui eam amore patriæ etiam receperunt imposterum viventes juxta ritus Judaicos.

Demetrius verò Regno ac Cleopatráe pristinæ uxori suæ redditus cum populum humaniter tractare debuisset, asperitate morum ita se omnibus exosum reddidit, ut quarto post reditum anno Syri ab eo deficerent, missaque ad Ptolemæum Ægypti Regem Legatione ab eo Regem postularent. Is è Cypro, ubi tunc morabatur, Alexandrum Zebinam ad eos mittit: à quo Demetrius commisso prælio victus dum in Ptolemaidem ad Cleopatram fugit, ab uxore exclusus, ejusque postea autoritate interfectus est. Itaque Zebina Syriæ sceptrum ad se rapuit, sed brevi iterum cum vita amisit. Cleopatra ex duobus fratribus maritis suis genuerat tres filios, ex Demetrio Seleucum & Antiochum Grypum; ex Antiocho in Perside cæso Antiochum Cyzicenum dictum. Seleucum patris majorem, quòd post Patrem injussu suo regnare vellet, necavit; quo sublato Grypum Athenis, ubi tunc erat contra tyrannum Zebinam advocat in spem Regni paterni, sic ut ipse Regis nomen haberet, ipsa regnaret. Qui ut primùm armatus cum copiis Syriam intravit, milites à Zebina deficere coeperunt. Igitur prælio decernitur, victusque Alexander, atque è fuga retractus à Grypo interficitur. Dum ita mutuis præliis, cædibus, direptionibusque sese Reges Syriæ conficiant, res Judæorum magis auctæ fuerunt incrementis, cum Joannes totius Judææ proventibus securè frueretur. De quo rerum suarum felici statu Iudæi Ierosolymitani nomine

Hircanus templum Samariae evertit & Idumæos ad Legem Moysis compellit. c. 17. & 14.

Ierosolymitani scribunt Judæis Ægyptiis. 2. Mach. c. 1. & 2.

Antiochus VII. Grypus dictus.

cæterorum Iudæos, qui erant in Ægypto certiores faciendos esse putavere per prolixam epistolam, quam hoc tempore ad eos scripserunt: hortantes inter alia, ut & ipsi veluti fratres celebrent annua festa ignis, tempore Nehemiæ divinitus dati, purificationis Templi, scenopegiæ, & instaurationis divini cultus, quæ à Iuda Machabæo facta fuerat ante annos quadraginta mense Casleu: idque faciant secum in gratiarum actionem, quod divinitus à magnis periculis & calamitatibus liberati fuerint, tum tempore Iudæ & fratrum ejus, tum nuper tempore Hircani Antiocho in Perside extincto in fano Nanææ. Demum his verbis claudunt epistolam: *speramus, quod citò nostri (DEUS) miserebitur, & congregabit te sub cælo in locum sanctum*, sublato scilicet templo Heliopolitano, in Ierosolymitanum, solum juxta legem retentum.

Hircanus captam Samariam solo sequat.
Jof. I, 13. 6.
18.

Grypus recuperato Regno paterno externisque insidiis liberatus appetitur domesticis. Cleopatra Mater dominandi cupiditate furens post necatum Patrem Demetrium, & Fratrem Seleucum etiam ipsi mortem machinatur, ac fortè ab exercitatione quadam venienti, atque æstuanti specie humanitatis poculum veneniporrigit. At Grypus præcitis jam antè insidiis veluti pietate cum Matre certaret, bibere ipsam coëgit, atque sic pessimam foeminam demum è mundo expulit. Abhinc octo annis pacificè regnavit; neque tamen ausus est quidpiam movere contra Iudæos Syriam tot gravibus bellis magis attritam, quam ut Iudææ pacem turbare posset. Sed nec ab Ægypto quidquam Iudææ timendum erat, ubi defuncto Ptolemæo septimo successit Ptolemæus octavus natu major ipsius filius Lathurus dictus; qui ipse in Regno suo haud satis tutus erat, quod Mater ejus Cleopatra natu minorem filium Alexandrum regnare maluisset. Cyzicenus Grypo fratri pacatum Regnum deinceps quoque relicturus esse videbatur. At nunc collectis Cyzici copiis etiam ipse fratri bellum intulit. Primò quidem vicit Grypus, sed demum à Cyziceno victus est. Exin fratres alternante fortuna certantes plures annos simul, quamvis inviti regnarunt. Fratribus autem mutuo se bello atterentibus Iudæi sub Hircano magna pace opibusque fruebantur. Ac Joannes utroque contempto exercitum duxit ad Samariam vi occupandam infensus ei propter injurias colonis Iudæorum & locis illatas. Cùmque urbem
solâ,

fossa, duplicique muro per stadia octoginta cinxisset, obsidioni præfecit filios Antigonum & Aristobulum; qui ad eam famis necessitatem obsessos redegerunt, ut cibos homini insuetos usurparent, ac demum Cyziæni Victoris opem implorarent. Quo autem ab Hircani filiis profligato Samaria post integri anni obsidionem capta, solóque æquata est.

Interea uti in Syria inter fratres, ita in Ægypto inter Matrem & filium turbata res erant, Cleopatrá Lathurum Regem perpetuis odiis laceffente, ut denique Ægypto pulsus in Insulam Cyprum Regibus Ægypti hæctenus subjectam, sese recipere cogeretur, sceptrumque fratri Alexandro ad votum Matris relinquere, Judæis, qui in Ægypto erant, Cleopatrá tyrannidi faventibus. Jerosolymis verò Joannes Hircanus post gestum triginta & unum annos Pontificatum vivendi finem fecit. Primis quidem annis Pharisæis favit, sed quòd extraordinarias in Republica eorum opes ferre non posset, ad Sadducæorum sectam tranlit; ac leges Pharisæorum (novæ traditiones erant præter antiquas Mosaicæ) sustulit magnò ob id in suam familiam conflato Pharisæorum odio.

Hircanus moritur. Jos. l. 13. c. 18. & l. 1. de bello. c. 3.

Aristobulus, Rex & Pontifex Judæorum.

Ab A. 3899.

Reliquit Hircanus quinque filios, è quibus Aristobulus natus maximus ipsi successit; qui volens Principatum, ut scribit Josephus, in Regnum vertere, primus post Sedeciam in captivitatem Babylonicam abductum diadema sibi imposuit, Rexque appellari voluit. Antigonum fratrem amavit, & in societatem dominationis admissum futurum aliquando successorem designavit. Tres verò reliquos fratres in vinculis habuit. Ipsam quoque Matrem, quòd illam Hircanus rerum Dominam reliquisset, in carcerem conjecit, ac demum fame necavit.

Aristobulus Rex Matrem necat. c. 19.

Brevi tempore, quo regnavit, magnis, ut idem Josephus ait, patriam auxit beneficiis, magnamque partem Ituræ, cui bellum intulit, Judææ adjecit; majora sine dubio facturus, si minus uxori suæ Salome credidisset. hujus enim calumniis & artibus inductus est, ut post Matrem etiam Antigonum fratrem tantquam Regni æmulum interfici jufferit. Mox quidem fraternæ cæ-

Necat & Antigonum fratrem & moritur. c. 19.

Mm 3

dis

dis pœnitentiâ ductus est, at simul ægritudine, qua decumbebat, ita vexari cœpit, ut eodem anno & loco, quo fratris sanguinem effuderat, animam cum sanguine vomeret.

**Alexander Jannæus, Rex & Pontifex
Judæorum.**

Ab An. 3900.

Jannæus Pto-
lemaidem
obsidet & re-
cedit.

s. 20.

Post Aristobulum regnavit Alexander Jannæus tertius Hircani filius, & Salomen, quæ etiam Alexandra dicebatur, fratris defuncti uxorem duxit. Duos fratres vinculis quidem exemit; brevi tamen ex iis unum sibi insidiantem peremit. Alterum vitâ privatâ contentum in honore habuit. Rebus domi constitutis altero Regni anno; Ptolemaidem obsedit, volens sibi subicere totam illam oram maritimam, dum Grypus & Cyzicenus in Regno Syria pergerent sese cladibus consumere. At oppidani à Ptolemæo Lathuro tum in Cypro regnante auxilium petiere; qui cum magna spe rei in Syria etiam pro se bene gerendâ à Cypro insula solvens, triginta millia militum adduxit: Et licet eum cives mutatio consilii excluderent, milite tamen alibi exposito, ac Ptolemaidem adducto, Jannæum obsidionem solvere cœgit.

Magnâ clade
afficitur.

s. 20.

Jannæus istud agrè ferens inita specie tenus cum Lathuro amicitia, clam per Legatos Cleopatram, quam sciebat plusquam hostili in filium esse animo, evocat ad eum junctis viribus opprimendum; quod ubi Lathurus comperit, contra Jannæum exercitum duxit, ejus perfidiam ante Matris suæ adventum ulturus. Diu anceps fuit prælium, demum inclinante ad Lathurum victoriâ cæsa sunt tum in acie, tum in fuga triginta Judæorum millia præter eos, qui capti, addictique sunt servituti. Rediens victor Ptolemaidem, quod nuper ipsi portas clausisset, expugnavit, ac simul Gaza urbe potitus est.

Gazam va-
stat.

s. 21.

Cleopatra accepto hoc nuntio ob crescentem filii potentiam Ægypto timens, navales, pedestresque copias excivit, ac duobus Ægyptiis Judæis Ducibus cum Alexandro filio Phœnicem appulsa Lathurum è tota Syria rursus in Cyprum fugavit. Quo expulso brevi Ptolemaidem recepit, in quoque ibi cum Jannæo, qui cum muneribus ad eam venerat, fœdere in Ægyptum reversa est. Jannæus metu Lathuri liberatus cum suis Cœle-

syr-

Syriam ingreditur, ibique Gradatam post decem mensum ob-
sionem, & Amathunta cepit, amissis prius decem suorum milli-
bus. sequenti verò anno Gazam, quòd Lathurum contra se in
auxilium accivisset, obsedit; & proditione occupatam, permis-
sa prius militi prædandi cadendique licentiâ vastari ac dirui
iussit.

Interea Antiocho Grypo interfecto Seleucus ejus filius na-
tu major successit. Vix autem Principatum adiit, patruo An-
tiocho Cyziceno bellum intulit, prælioque captum neci tradi-
dit. At Patris mortem Antiochus pius dictus egregiè ultus
est, nam Seleucum uno prælio victum tota Syria expulit in Ci-
liciam; ubi cum tributa vehementius urgeret, Mopsuestiæ à ci-
vibus una cum regia injectis ignibus concrematus est. Tenta-
vit quidem Antiochus Seleuci frater, & alter Grypi filius perdi-
ta reparare, sed & ipse vitam simul amisit & exercitum. Post
duos Grypi filios supererant adhuc duo Philippus & Demetrius.
Philippus maluit aliqua Syriæ parte contentus esse, quàm cum
Antiocho pio prælio decernere. fratris exemplum secutus De-
metrius etiam ipse partem circa Damascum retinuit; ut adeò
nunc tres essent Syriæ Reges Antiochus pius, Philippus & De-
metrius. Sed paulò post cum Antiochus bello contra Parthos
gesto fortiter pugnans cecidisset, penes duos fratres totum Sy-
riæ Regnum permansit. Jerosolymæ verò contra Jannæum orta
seditione est; in qua quibusdam injuriis populariter appetitus con-
tumeliam sex millium cæde ultus est; cum tamen pauci admo-
dum essent in culpa; ob quam crudelitatem cum insidiis domi-
peteret, veritus, ne tumultus cresceret, expeditionem foras in
Arabiam, ac vicinam Moabitidem & Galaaditidem suscepit. Ve-
rùm cum Arabum Rege congressus, atque in insidias deductus
totum ferè amisit exercitum camelis obtritum ipse ægrè elapsus
Jerosolymam fugâ pervenit.

In Ægypto cum Cleopatra filio suo occultis insidiis exiti-
um machinaretur, ab eo interfecta est; quod ubi civibus in-
notuit, Alexandria pulsus, ac ipse quoque Navargi manu ceci-
dit. Ptolemæus verò Lathurus per vim Matris suæ ac tyranni-
dem hætenus exul in Regnum suum è Cypro revocatur. In Ju-
dæa ob acceptam nuper ab Arabibus cladem civiles tumultus
magis in dies augebantur, adeò ut populus Pharisæis, quos Jan-
næus

Cum Arabe
infelicitè
configit.
c. 21.

Bellum habet
cum Phari-
sæis.
c. 26.

næus persequebatur, authoribus seditiosum bellum moveret in Pontificem, missisque ad Demetrium Legatis auxilia peteret, eumque in Judæam exciret. Judæam intranti se rebelles jungunt; quibus cum Jannæus cum sex mercenariorum, & viginti suæ factionis Judæorum millibus occurrisset, dimicatum est, & victoria penes Demetrium stetit. Qui tamen, quod fratrem Philippum metueret, ea non est usus, sed Judæa rursus excessit. Pharisei auxilio Demetrii destituti bellum contra Alexandrum propriis viribus prosequuntur; à quo tamen semper victi multos è suo numero amittebant. Demum ut Jannæus civili bello finem imponeret, eorum potentissimos, quos cœperat, numero octingentos, epulans cum concubinis, atque excelso loco prospectans immani facinore jussit crucibus suffigi, & in conspectu adhuc viventium uxores eorum & liberos jugulari; Ob quod deinceps non Pontifex sed Popa Judæorum audit.

Contra vicinos feliciter pugnât.
c. 23.

Demetrius interim fratrem suum oppugnans Arabum ac Parthorum supervenientibus auxiliis captus, ac non diu post in captivitate morbo consumptus est. Itaque Philippus solus Syriæ Rex esse cœpit. Non autem diu Regno frui licuit, nam brevi post & ipse satis concessit, simulque cum ipso Seleucidarum genus, unâ cum Regno Græcorum in Syria extinctum est. Deinceps Tigranes Rex Armeniæ majorem Syriæ partem, Aretas Arabs Cœlesyriam cum Damasco tenuerunt; donec victoriis Pompeji Magni omnia in Romanorum potestatem cesserunt. Apud Judæos res hoc tempore domi erant pacatiores, foris autem Iannæo Duce, homine armis magis & castris assueto quam sacris, pugnârunt contra Arabes, Phœnices, Syros, Idumæos, multaque oppida, ac munita castella Judææ circumposita suis finibus adjecere. Quibus triennio gestis Iannæus copias reduxit Ierosolymam; ubi ita receptus est, ut res illæ prosperè gestæ omnia in eum populi sui odia restinxisse viderentur.

Jannæus moritur.
c. 23.

Post tres autem ferè annos vivendi finem fecit. Nam ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartanâ laborans, nec tamen abstinens à castris officis tandem exhaustis viribus fato concessit in Gerasenorum finibus obsidens Ragaba castellum ultra Iordanem situm. Morti vicino cum Alexandra Regina assistens suam, suorumque liberorum orbitatem lamentaretur sciens populum Iannæo, ejusque familiæ infensum.

uxorem consolans hortatus est, ut capto castro morte sua tantisper celata Phariseos sibi majori indulgentia demereretur, sic ipsam populo, qui illis plurimum tribueret, sine dubio acceptam fore, simul uxori potestatem dedit, quem ex filiis vellet, constituendi Pontificem, ipsa verò Regnum administraret.

Hircanus II. Pontifex Judæorum.

Alexandra capto Castello victrix Ierosolymam reversa defuncti Mariti monita accuratè observavit, omniàque arbitrio Phariseorum fecit; qui ad plebem progressi Reginam populo quoque charam reddidère. Ex filiis Hircano natu majori filio Pontificatum permisit: Aristobulum autem natu minorem fecit miliciæ Principem. Atque ita dum Alexandra nomen Reginæ habet, Regni autem administratio penes Phariseos est, horum instituta, quæ à Joanne Hircano antiquata fuerant, non solum denuo sunt sancita, sed & dissimulante Regina à Phariseis multæ cædes sunt perpetratæ eorum, qui Jannæi, dum viveret, amici fuerant; adeò ut potentiores cum Aristobulo apud Reginam conquererentur, ab eaque impetrarent, ut per castella Judææ distribuerentur, in quibus à Phariseorum insidiis vitam suam tuerentur.

Interim in Ægypto post mortuum Ptolemæum Lathurum regnavit Ptolemæus Auletes Parem Ptolemæi Dionysii & Cleopatraz, in quibus postea stirps Lagidarum defecit. In Judæa pergebant Pharisei Alexandræ indulgentiâ abuti, suæ factionis exulibus reditum, victis libertatem procurare, in Jannæi verò amicos sævire, ac in eos maximè, qui eidem authores fuerant, sumendi de oëtingentis simul viris supplicii. Ita Ierosolymis ac tota Judæa dominabantur Pharisei in nonum usque Regni Alexandræ annum, donec in lethalem morbum incidit septuaginta trium annorum anus. Tum verò Aristobulus Regiminis materni jam dudum pertæsus, fratrem verò Regno parum idoneum esse ratus, Regnum occupare aggressus est, & intra quindecim fermè dies duo & viginti castella occupavit. Quod ubi relatam est decumbenti Alexandræ, voluit quidem moriens Hircanum cum Phariseis Regni administrationem suscipere, eâ tamen defunctâ Aristobulus fratri apertè bellum intulit. Ventum

Ab An. 1927.
Pharisei in
Judæa domi-
nantur.
c. 24.

Aristobulus
Hircanum
fratrem vin-
cit & regnat.
Jof. I. 14. c. 8.

est ad prælium; quo ad Jerichuntem commisso victus Hircanus Jerosolymam fugit in arcem Templo vicinam. In qua quod victor nollet amplius fratrem persequi, actum est de conditionibus pacis, inquiturque est inter utrumque foedus, ut Hircanus Pontificatu, & suis facultatibus contentus esset, Regnum Aristobulo cederet. Hoc foedere in ipso Templo sancito post mutuos complexus Aristobulus in regias, Hircanus in Aristobuli ades digressi sunt.

Ab A. 3923.

Aristobulus, Rex Judæorum.

Fratres coram Pompejo causam suam disceptant.
c. 5. & 8.

Aristobulo in tertium annum regnante Pompejus ob res in Africa gestas dictus Magnus post bellum Piraticum feliciter confectum Romanorum signa victricia per Asiam usque ad mare Caspium circumferens, debellato Mithridate, & Tigrane tota Syria decedere jussu Damascum venit, Syriamque in Provincia Romanæ formam redegit. Ubi constitit, eum Damasci appulisse, præstò fuere Legati ex universa Syria, Ægypto & Judæa cum muneribus. Aristobulus ad eum misit vitem auream quingentorum talentorum. Hircanus tunc erat in Arabia apud Regem, ad quem ante duos ferè annos confugerat. fugam hanc ei persuasit Antipater, qui tunc erat Jerosolymis genere Idumæus, fortunâ potens, naturâ factiosus & industrius, Hircano amicus. Idem Aretæ suavit, ut Hircanum Regno, quo per injuriam dejectus esset, restitueret. Quod quidem ille tentavit, victumque acie Aristobulum in Templo obsedit; at metu Romanorum re infecta redire cum Hircano & Antipatro in Arabiam compulsus est. Nunc Hircanus causam suam coram Pompejo acturus Damascum proficiscitur; quo etiam venit Aristobulus. Hircanus querebatur, se à fratre per vim Regno spoliatum. Alter contra, Hircanum Regno excidisse propter ignaviam, se verò id assumpsisse, ne ad alios transferretur.

Pompejus captâ urbe Judæos Romano Imperio subjicit.
c. 8.

Pompejus auditis partibus, & improbata Aristobuli violentia, fratrem utrumque apud se manere jubet, donec urgentius negotium expediisset. Verùm Aristobulus clam fugit in Judæam, ut vim & arma pararet, veritus, ne sceptrum Hircano reddere cogeretur. Qua re offensus Pompejus hortantibus Hircano

cano atque Antipatro Jerosolymam cum exercitu petit. Ap-
propinquanti obviam venit Aristobulus facti pœnitens, & pacem
promittens, pecuniãque. Sed quod hanc civis conferre nol-
lent, injectis Aristobulo vinculis urbem expugnare parat. Ci-
ves inter se dissidebant. Qui partes Aristobuli sequebantur, no-
lebant Pompejum urbe recipi, seque in Templum maturè reci-
pientes ad ferendam obsidionem omnia parant. Cœteri exer-
citu intro misso urbem & regiam Pompejo tradiderunt. Is itaque
Templum excitato aggere, & ad motis machinis verberat, ter-
tioque mense quodam Sabbathi die capit, cæsis circa Templum
duodecim ferè Judæorum millibus. Victor ingressus quidem est
Templum cum primis Ducibus, ipsũque oraculum perlustra-
vit, nihil tamen præ pietate, ut ait Josephus, attigit, sed hęc quo-
que sui similis fuit, & nihil commisit indignum cæteris virtuti-
bus. Quod etiam confirmat Cicero tum Romæ Consul scribens:
Pompejum captis Jerosolymis victorem ex illo fano nihil atti-
gisse, ne in tam supersticiosa & malefica civitate locum sermoni
obrectatorum relinqueret. Altero die Hircano Pontificatũs
dignitatem reddidit: dirutis Jerosolymæ muris Judæam antiquis
finibus contentam ac populo Romano deinceps stipendiariam
esse jussit: urbes à Judæis jure belli captas liberas esse, & Syriæ
tantum Præsidi parere voluit. His aliisque dispositis Scauro
Quæstori suo Syriam regendam reliquit. Ipse verò in Ciliciam
profectus est habens secum vincitum Aristobulum cum duobus
filiis Alexandro, & Antigono, ducturus eum postea Romæ in
triumpho. Atque ita Judæi libertatem, quam Simone Pontifice
obtinerant, Romanorum nunc Imperio subiecti rursus amise-
runt dissensione duorum fratrum.

Hircanus II. Dux & Pontifex Judæorum. Ab A. 3921.

Hircanus sedi suæ restitutus nihil antiquius habuit, quàm ut
Romanis adhæreret eorũque in Syria Præsides variis of-
ficiis eoleret. Itaque cum Scaurus veluti à Pompejo jussus fue-
rat contra Arabes exercitum duxisset, & Hircanus militem Ro-
manum annonã laborare intelligeret, mox per Antipatrum ex Ju-
dæa & alia necessaria præberi jussit. Et verò necesse fuit ad se
stabilendum Romanos habere protectores. Alexander natu ma-
jor

Hircanus Ale-
xandrum Ari-
stobuli filium
opè Romana-
rum vincit.
c. 10.

ior Aristobuli filius in itinere Romam è vinculis elapsus in Judæam redierat. & primò quidem occultis tantùm artibus res novas moliri cœpit; deinde verò Judæam incursionibus cum duodecim armatorum millibus vexare, Castella occupare, atque munire, denique Hircano graviter imminere, aded ut is veritus obsidionem murum à Pompejo disiectum reparare moliretur, At Gabinius post Scaurum Syriæ Præfectus cum copiis, tum Romanis, tum Judaicis, quas Antipater ab Hircano missus adduxerat, Alexandro occurrit, confertòque prope Jerosolymam prælio tria millia hostium cæcidit, nec pauciores cepit. Alexander fugiens Alexandriam se recepit, præcipuum suum & rebellium Judæorum castrum, & receptaculum; quod cum longa obsidione premeret Gabinius, oppugnatione fessus Alexander veniam petiit, & interventu matris suæ etiam à Gabinio impetravit, redditis tamen omnibus castris, quæ ante occupaverat. His peractis Gabinius Judæam ordinavit, eamque in quinque juridicos Conventus distribuit, assignatis urbibus Jerosolyma, Gardaris, Amathunte, Jerichunte, & Sephori, unde jura Judæi peterent. Itaque dum Judæi libertatem quærunt, servitutis suæ vincula arctiùs adstrinxerunt.

Vincitur ipse
etiam Aristobulus.

s. 10.

Alexander
secundo à Romanis
captus casus
est. c. 11.

Verùm altero post anno ipse Aristobulus cum Antigono altero filio Romam profugus adest, & castrum Alexandrinum præterito anno dirutum denuo munire conatur, ac Judæam perturbare cum octo Judæorum millibus, qui Romanis infesti ad ipsum confluerant. Sed & isti à Romanis jussu Gabinii citò dissipati sunt, occisis circiter quinque eorum millibus. Aristobulus cum paucis fugit in aliud castrum. Cum verò non ultra biduum sustinere posset oppugnationem, multis acceptis vulneribus captivus cum Antigono ad Gabinium adductus, atque Romam remissus est, diligentius deinceps asservandus.

Post patrem Alexander novas rursùm turbas ciet. Gabinius cum copiis in Ægyptum abierat, ut Ptolemæum Auletem Regno expulsum restitueret. Hac absentis Gabinii occasione captata Alexander Judæos ad defectionem sollicitat, collectòque exercitu Regionem obeundo non paucos interfecit Romanos, reliquos in montem Garizin compulsos obsedit. Gabinius ex Ægypto rediens præmissò Antipatro conatus est tumultuosos verbis ad saniora consilia reducere. At Alexander triginta milibus,

libus Judæorum ferox ausus est occurrere Gabinio, prælioque decernere, sed infelici rursus eventu. nam ex acie Judaica desiderata sunt decem millia. Hac victoria Gabinus præfecturæ suæ tempus clausit; nam brevi post Romam abiit relicta Syriæ administratione Crasso, qui prætetito anno cum Pompejo Romæ Consul fuerat.

Crassus ut primùm in Syriam venit, parari jussit expeditionem in Parthos. Ipse inrerim Syriam ac etiam Judæam lustrat; & ut narrat Josephus, ne nihil in pacata Provincia ageret, Templum Jerosolymitanum invisit, & ex sacro ærario, quod Pompejus ne quidem attigerat, duo talentorum millia abstulit. At brevi sacrilegii pœnas dedit; à Parthis enim cum toto Romanorum exercitu deletus est, auro liquato in os demortui injecto. Solus Cassius Crassi Quæstor cum quingentis equitibus ex fuga in Syriam rediit, cui deinceps Romæ præesse jussus est. Quo Præside quiescebant quidem Judæi, qui partibus Aristobuli adhærebant, instigante tamen Antipatro multos eorum in captivitatem abstraxit, & præcipuum Ducem interfecit.

Sed denique ipsi etiam authores Iudaicorum tumultuum Aristobulus, ejusque filius Alexander è medio sublatis sunt, occasione belli civilis, quod in Romano Imperio inter Pompejum & Cæsarem clarissimos in Republica viros, fortissimòsque exercituum Duces exortum est; quorum ille Romanum Imperium per Orientem, iste per Occidentem maximis, creberrimisque victoriis longè latèque amplificârant. Belli causa fuit ambitio, cum alter parem, alter superiorem ferre non posset. Igitur cum Cæsar fugato ex Italia in Epirum Pompejo, Romam cum legionibus suis armatus ingressus esset, Aristobulum Romæ victum, liberum dimisit cum duabus legionibus, ut in Syria aliquid contra Pompejum moveret. At is in itinere à Pompeianis, qui versus Syriam terra marique dominabantur, veneno sublatus est. Pompejus autem veritus, ne filius ejus Alexander vel Patris mortem ulturus, vel Judæam sibi vendicaturus Cæsaris & ipse partes in Syria foveret, eum à Præside Syriæ, qui hoc anno Metellus erat, jussit securi capite truncari.

Verùm hæc duorum Principum Judæorum cædes nihil Pompejo ad rem suam profuit. Nam à Cæsare in Pharsalicis Græciæ campis victus, fugatusque est in Ægyptum; ubi vitam

Templi ærarium spoliatur. c. 11. & 12.

Aristobulus & filius Alexander occiduntur. c. 19.

Hircanus Cæsari in Ægyptum auxilia

mittit per
Antipatrum.
c. 14. & 15.

quoque, quam ex acie per mare fugiens servaverat, in amicos, ut credebat, littore perdidit. Nam cum duobus suorum millibus navibus adventans, & quod de Regno Ægypti bene meritus esset, amicè se exceptum iri sperans, misit ad Ptolemæum, qui cum Cleopatra sorore Auleti successerat, ut cum suis Alexandria recipere, atque illius opibus in calamitate protegeretur. Rex tredecim annorum adolescens, misit quidem Præfectum suum regium, & Tribunum militum, qui lembo exceptum adducerent; at cum ad littus appropinquaret, consilio aulicorum à Tribuno interemptus est. Cæsar Pompejum in Ægyptum usque persecutus cognita morte, visoque ejus capite, atque annulo, in quo tria trophæa insculpta erant, illacrymatus est. Cum deinde dissidia ex Patris testamento inter Ptolemæum, & Cleopatram sororem componere conatur, ortus est primò tumultus, deinde, Alexandrinis dominatum Cleopatræ, in quam propensior erat Cæsar, non ferentibus, bellum. Ad quod cum à Syria auxilia petiisset, misit quoque Hircanus Pontifex Antipatrum cum tribus Judæorum millibus, qui Cæsarem adjuvarent. Quo in bello, dum in portu acerrimè pugnatur, & Cæsar Ægyptiorum naves numero centum viginti incendit, flammis correpta quoque celeberrima illa Bibliotheca à Ptolemæo Philadelpho erecta, & hæcenus aucta, irreparabili damno conflagravit. Ptolemæus cum Alexandrinis victus, receptusque in navim ob multitudinem hominum demersam periit aquis haustus, agnitus postea ex aurea lorica. Cæsar verò victoria à Alexandria positus Cleopatram, ejusque fratrem natu minorem, quamquam adhuc puerum, Reges constituit, ne Ægyptii solius feminae Imperio addicti denuò tumultuarentur.

Hircanus à
Cæsare confirmatur &
Antipater Judææ Procurator constituitur, c. 15.

Hiscæ rebus novem mensium spatio in Ægypto peractis classe devectus in Syriam magnos honores contulit tum in Hircanum, cui confirmavit Pontificatum, tum in Antipatrum, quem non solum civitate Romana, & Dynastia donavit; sed etiam Judææ Procuratorem sub Præside Syriæ declaravit; quibus ille ad Judææ Regnum suis viam paravit. demum etiam Ierosolymæ muros à Pompejo disiectos, restitui permisit. Hac occasione usus etiam Antigonus Cæsarem accessit, quæstusque est, Patrem suum, dum res ipsius ageret, veneno extinctum; fratrem verò jussu Pompeji esse securi percussum. Qua narratione poterat Cæsaris

ris erga se misericordiam commovere; sed quòd simul accusaret Hircanum & Antipatrum, charos Cæsari viros, causam suam nec meliorem fecit, nec eorum deteriorem.

Cæsare è Syria contra Pharnacem, qui concessò à Romanis Regno prope Pontum non contentus, durante bello civili Armeniam minorem, & Cappadociam incurfare cœpit, profectò Antipater ante omnia incenia Jerosolymæ reparavit. tum obeundo Provinciam novarum rerum cupidos compescuit, tum minis agens, tum consiliis; fore enim, ut, si Hircano Principe contenti sint, feliciter degant: sin novas tibi spes & lucra ex rebus turbatis polliceantur, habituros tum Cæsarem tum Romanos acerbos hostes; cùmque omnia posset apud Hircanum, hujus ignavia abusus Phataëlem è filiis suis natu majorem Jerosolymis, & circumpositæ Regioni Ducem præposuit; Herodem verò secundò genitum Galilææ. Ipse Antipater non ut Procurator, sed Regis instar à tota Judæorum gente colebatur.

Cæsar interim post Pharnacem in ordinem redactum ex Asia trajecit in Africam; In quam utpote Cæsari parùm amicam, plerique Pompejò devictò belli renovandi causa erant profecti. Quos cùm unà cum Rege Juba ingenti prælio cæsis quinquaginta millibus attrivisset, Romam denique reversus de Ægypto, Pharnace & Juba triumphavit, Senatùmque ac populum metu suspensos non solum multa verborum lenitate consolatus est, sed & muneribus, certaminibus, spectaculis, epulisque recreavit. Inde ad anni Romani castigationem conversus est; quo nihil ex omnibus Cæsaris actis præstantius, aut immortalis nominis fama dignius extitit: adhibitòque Sosigene, & aliis Mathematicarum artium consuleis, annum ad eam, qua Christianus orbis hodie utitur, formam redegit, annum ad solis cursum accomodando, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset, & unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Antea erat res valde indigesta, &, ut scribit Suetonius, vitio Pontificum per intercalandi licentiam ita turbata, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumnò competerent. Anni quippe ratio sexaginta septem omnino dies à legitimo loco digressa erat, solstitiumque æstivum à fine Junii usque ad initium Septembris defluerat; quo factum est, ut annus præcedens haberet dies quadringentos quadraginta quinque, atque ob id annus confusionis vulgò

Hircanus
omnia per
Antipatrum
agit. c. 16.

Cæsar factos
corrigit.
Plinius l. 18.
c. 25.

gò diceretur. Itaque hic est primus annus Julianus; cœpitque ad solis cursum compositus à Calendis Januariis rectâ, æquabiliterque deinceps procedere.

Cæsar in Senatu occiditur.

At Pompeji filii contra Cæsarem adhuc Hispaniam tenebant. Itaque ut civili bello ultimum demum finem imponeret, Cæsar in Hispaniam profectus est, magnisque itineribus Saguntum pervenit. Postquam levioribus aliquot præliis variâ fortunâ certatum, denique ad decretoriam pugnam ventum est, in qua Pompeiani victi Cæsari plenam victoriam totâque Hispaniam reliquerunt. Ita bellis omnibus civilibus confectis Romanam reversus à Romanis Pater patriæ, & vitato Regis nomine apud Romanos iude à Tarquinio odioso, Imperator novo quodam modo acclamatus est, sed mox extra vivos amandandus. Nam licet Cæsar potestate, quam non tam Senatus ipsi dederat, quam ipse sibi comparaverat, modestè uteretur; cum tamen nihil præter nomen Regis ac diadema ipsi deesset, quod ipsum non levibus indiciis ambire videbatur, non pauci è Senatu desiderio avitæ libertatis in eum conjurârunt; quos inter primi fuerunt Cassius & Brutus Cæsari alias in paucis familiaris. Itaque Idibus Martii dum Senatum ingressus in sella consideret, conjurati ultra sexaginta eum adorti pugionibus ad Pompeji statuam pro-volutum certatim confecere.

*Judæa affligitur exacti-
onibus.
Jof. l. i. de bello c. 9.*

Non reliquit Julius Cæsar alium filium, quàm Privignum Octavianum, quem tamen in familiam, noménque adoptârat, & hæredem scripserat. Hic Octavianus Cæsar, cum intellecta Patris morte ex Græcia, ubi Juvenis novendecim annorum studiorum causa fuerat, in Italiam venisset, magnus ad eum factus est amicorum Cæsaris, militumque concursus. Urbem deinde ingressus Ciceronis operâ Senatui valde commendatus est. Non diu post Consul invito licet Senatu factus cum Lepido & Antonio, qui fuerat Collega Julii Cæsaris, & Magister Equitum, consilia confert de constituenda Republica, deque tollendis, aut proscribendis tum Julii Cæsaris percussoribus, tum suis quoque inimicis, factæque sunt cædes & proscriptiones multorum clarissimorum Virorum, Equitum Romanorum, ac Senatorum, inter quos etiam Cicero Antonii jussu interiit. Relicto deinde Romæ Lepido Triumviro ac Consule Cæsar & Antonius cum copiis navigârunt in Orientem contra Brutum & Cassium præcipuos

puos publicæ libertatis assertores, & necis Julii Cæsaris authores. Brutus Macedoniam Romanam Provinciam administrabat; Cassius Syriæ Præses erat, qui in hoc rerum Romanarum tumultu gravia tributa exegit, & maximè Judæam afflixit imperatis plus quàm septingentis argenti talentis; quorum cum magnam partem Herodes ex Galilæa attulisset, maximam apud Cassium gratiam inivit; obtinuitque, ut juberet interfici Malichum magnæ apud Judæos autoritatis virum; qui, cum nuper apud Hircanum cum Antipatro Patre Herodis epularetur, corrupto Pinæerna cum veneno necaverat.

Cassius accepto per amicos Romæ nuntiò, Brutum primum bello petendum, Labienum ad Parthorum Regem misit, ut inde quoque auxilia evocaret. Ipse verò cum suis copiis è Syria in Macedoniam contendit, ut se cum Bruto conjungeret, qui Philippis castra habebat. Cassius & Brutus sub signis numerarunt octoginta peditum millia, duodecim millia equitum. Cæsar & Antonius tredecim millia equitum, peditum aliquanto plures quam Cassius & Brutus. Commisso prælio par quidem numerus utrinque ac universim centum quinquaginta millia Civium Romanorum cecidère, victoria tamen penès Cæsarem & Antonium stetit. Brutus à suis desertus servo se occidendum dedit: Cassius voluntaria cæde se ipsum interfecit. Quorum duorum clarissimorum virorum interitu simul Romanorum libertas omnino prostrata est. Nam confecto Philippensi bello Cæsar & Antonius Imperium Romanum inter se diviserunt nulla neque Senatûs neque populi Romani autoritate, ac ne Co legæ quidem Lepidi expectato consensu, ut orientales Provinciæ Antonio cederent, Cæsari occidentales. Post peracta deinde pro victoria sacrificia, laudatosque & præmiis donatos milites Cæsar cum parte exercitûs Italiam repetiit; Antonius cum altera parte in Asiam, atque etiam in Syriam venit; Unde profectus in Ægyptum apud Cleopatram Reginam, quæ interea, ut sola regnaret, fratrem suum veneno sustulerat, hyemavit, eamque consuetudinem cum ipsa contraxit, quæ utrique perniciem, Ægypto attulit servitutem. In hoc itinere dum Antonius Asiam ac Syriam transit, Hircanus Pontifex Legationem publico gentis Judææ nomine ad eum misit cum munere aureæ coronæ. Nec omisit

Hircanus ad
M. Antonium
Legatos
mittit.
Josl. 14. c. 22.

Sacra Veterum Temp. Histor.

oo

He-

Herodes eundem sibi quoque contra adversarios, ex Judæis Primates, pecuniis conciliare.

Antigonus
Aristobuli fi-
lius Dux &
Pontifex sit.
c. 23.

Labienus interim apud Parthorum Regem auxilia pro Cassio & Bruto urgebat. Nuntiata verò nunc eorum clade, quòd nullam à Victoribus veniam sibi speraret, ejurato Romano nomine apud Parthos vivere decrevit, Parthisque author fuit, ut Syriam Romanis eriperent, eique bello se Ducem obtulit. Persuasus Rex ei suum Pacorum filium cum magnis copiis committit; quorum Labienus præsidia ab Antonio in Syria relicta facile deditioe accepit; occupatæque Apamea & Antiochia tota Syria potitus est excepta Tyro, quam Parthi neque vi, quòd classe carerent, neque suasionem à Romanis abducere potuerunt. Antigonus hac occasione utendum ratus Pacoro mille talenta promittit, si Regnum Judææ in se transferret, Phasaëlum, & Herodem alienigenas & Romanis addictos interficeret. Igitur Pacorus in Palæstinam progressus Hircanum Pontificatu exiit, Antigonum Regem Judææ renuntiat; & ne Hircanus populi favore in pristinam restitueretur dignitatem, mutilatis auribus eum abduxit, uti & Phasaëlum Herodis fratrem; qui autem vinculorum impatiens capite ad saxum illiso mox vitam finiit. Herodes fugâ elapsus primò in Arabiam, inde in Ægyptum, denique Romanam ad Antonium & Cæsarem confugit.

Ab A. 3958.

Antigonus, Dux & Pontifex Judæorum.

Herodes Antipatri filius
Romæ Rex
Judææ nominatur. 3961.
c. 26.

Herodes cum Antonio omnia narrasset, quæ cum fratre atque Hircano à Parthis & Antigono passus esset, commiseratione commotus Antonius magis adhuc quàm antea Herodi favere cœpit; eidemque etiam Cæsarem propensum reddidit propter Antipatrum Patrem, & pecuniæ vim ingentem, quam pollicebatur. Itaque convocato Senatu cum docuisset Antonius conducere ad bellum Parthicum, quod parabatur, Herodem in Judæa regnare, Antigonus hostis est declaratus; Herodi verò Regis nomen præter spem omnium suffragiis delatum est. Dimisso deinde Senatu Antonius & Cæsar medium habentes Herodem exiverunt, Consulibus, cæterisque Magistratibus sequentibus, ac in Capitolium deducuntibus; ubi post sacra ibi facta novus Rex ab

ab Antonio grandi convivio exceptus est invitato Cæsare, Senatu, & cunctis Senioribus Romanis.

Interea cum copiis ab Antonio Ventidius in Syriam missus rem contra Parthos benè gessit, eosque aliquot præliis victos totâ Syriâ ejecit. Venit quidem etiam in Judæam, verùm ab Antigono largitione pecuniarum à Jerosolymâ oppugnatione repulsus, & ab Antonio revocatus Romam rediit, ut de Parthis, qui à Crassi clade Romanis terrori fuerant, triumpharet. Post hujus discessum Antonius Provinciam Syriæ regendam Sosio tradidit cum exercitu, & mandatis, ut junctis copiis Herodem in Regnum Judææ inmitteret; qui, ex quo Româ profectus Ptolemaidem appulit, non mediocres copias tum ex conductitio, tum ex gentis suæ milite collegerat. Itaque cum priùs in Galilæa cum Antigoni Duce feliciter conflixisset, inde exercitum Jerosolymâ admovit, cui se brevi post Sosius cum copiis Romanis junxit, & obsidionem vehementer urfit, quæ tamen ultra quinque menses protracta est. Ea durante Herodes Samariam digressus Mariamnem Alexandri filiam & Hircani Pontificis Neptem, sibi jam ante desponsatam uxorem duxit, ut ob hanc affinitatem regii generis mortuo Antigono, à Judæis Regno tantò dignior censeretur. Interim obsessis non labore tantum sed & fame, quòd tunc annus Sabbathicus esset, fatigatis, demum ipsa Jejunii die capta est urbs sancta, cædibusque repleta Romanis longa obsidione exacerbatis. Antigonus Sosio ad genua procidit, quem tamen, nihil ejus fortunam miseratus, in vincula conjecit, vincitumque secum Antiochiam duxit, ubi tunc erat Antonius.

Herodes veritus, ne Antigonus ab Antonio Romam perductus apud Senatum Jure secum contenderet, docens se regnum sanguine, Herodem verò plebejum, multis pecuniis, precibusque instittit apud Antonium, ut Antigonom tolleret, negans se Regem fore, quamdiu ille viveret. Qui etiam exoratus Herodem hoc metu liberavit, & Antigonom Antiochiæ cruci affixum jugulavit, non aliam ob causam, quam quòd avitam hæreditatem servare adversus Romanorum & Herodis tyrannidem conatus esset. Itaque Machabæorum, imò & Judæorum Principatus desiit, cœpitque impleri Jacobi Patriarchæ vaticinium de non auferendo sceptro de Juda, donec veniat, qui mittendus est.

Herodes Jerosolymam capit. c. 26. & 27.

Antigonò jugulatò Scæptrum de Juda & Judæis auferretur. Jos. l. 15. c. 8.

est. Hactenus enim Judæi, licet subessent, ac servirent nunc Assyriis, nunc Babyloniis, deinde Persis, Græcis, Ægyptiis, & Romanis; semper tamen habuerunt Principes ac Pontifices à se lectos ex gente & Regno Judaico, qui Rempublicam administrarent. Nunc verò primùm Herodes ex Patre Idumæo, aut ut aliivolunt, ex Ascalonita, & Matre Arabe natus, atque adeo Idumæus aut Ascalonita invitò populò Judaicò Romanorum armis atque potentiâ in Regnum intruditur, & regnat, dum Messias jam prope est in januis.

Ab A. 3964

Herodes, Rex Judæorum.

Herodes vi-
vò Hircanò
Ananelum
creat Ponti-
ficem.
Jof. l. 15. c. 1.
& 2.

Ei substituit
Aristobu-
lum, quem
autem brevi
è medio tol-
lit.
c. 2. & 3.

Herodes jam rerum Dominus, ut se undique tutum redderet, Optimates, quotquot Antigono favere suspicio fuit, sustulit, appositis ad portas custodibus, qui etiam sandapilas mortuorum scrutarentur, ne quis effugeret. Hircanus interim ante tres annos abductus à Parthis degebat Babylone in magna Judæorum ibi frequentia, qui Pontificem suum ita reverebantur, colebantque, ut non admodum præsentis eum fortunæ pœniteret. Hic ubi rescivit, Herodem Regem esse, obtenta à Partho licentia rediit in Judæam, sperans Herodem ob pristina in eum, totamque ejus familiam beneficia gratum fore. Et verò Herodes senem in honore habuit, ubique primum ei locum tribuendo. Quia tamen ob deformitatem non decebat, mutilatum auribus Pontificia dignitate fungi, Ananelum quendam de genere sacerdotali è Babylonia adductum Pontificem creat, Judæis omnibus fremens, & injuriam sibi, Deoque fieri non obscure significantibus.

Præcipuè Alexandra Hircani filia, & Herodis Socrus impatientissimè tulit, filium suum Aristobulum, quem præter filiam Mariamnem Herodis jam uxorem habebat, homini obscuro posthabitu. Unde nihil non egit, ut filius Pontifex fieret, quem etiam Herodes denique ad sedandas discordias domesticas Ananelo iterum deposito Successorem dedit. Erat Aristobulus iste septendecim annorum adolescens, spes unica regii generis apud Judæos. Unde timens Rex, ne, Alexandrâ id per Cleopatram, apud quam plurimùm poterat, agente, aliquando se dejecto in Regnum suorum Majorum ab Antonio eveheretur, Juvenem tollere constituit. Cùmque non diu post Aristobulus in festo Sce-

nopegia cæremonias Pontificias decentissimè tractasset, & populi oculos ad se, studiaque convertisset, invidiam Herodis magis accendit, ut cædem maturaret. Fortè ab Alexandra convivio exceptus Aristobulum comiter ad piscinas, quæ circa aulam erant, pertraxit, ubi natantes quosdam è sociis, & famulis spectabat, qui deinde provocante Herode iis se se immiscuit. Cùm illi, prout iussu fuerant, natantem quasi per ludum ac petulantiam sub aquis tam diu detinuerunt, donec aquis præfocaretur. Herodes quidem modis omnibus operam dedit, ut ab hac cæde planè alienus esse crederetur; Alexandra tamen per litteras apud Cleopatram perfecit, ut Antonius Herodem Lapdiceam evocaret, causam apud se de hoc facinore dicturum, ad quod quidem faciendum Cleopatra Antonium eò libentiùs incitavit, quòd ipsa Judæam pro uno ex suis filiis affectaret, quos tres, unum à Julio Cæsare, duos ab Antonio præter filiam susceperat. Verùm ubi Herodes ad Antonium venit, effecit artibus suis & pecunia, ut absolveretur, imò ne deinceps rebus suis Cleopatra implicaretur; reversusque Jerosolymam Alexandram vincitam conjecit in carcerem, Ananelum verò pergere iussit in Pontificatu.

Apud Romanos gliscentes interim jam à multo tempore Cæsarem inter & Antonium inimicitia nunc in apertum, & gravissimum bellum erupere. Causa præcipua fuit Cleopatra Ægypti Regina, cujus amoribus irretitus Antonius ipsi, liberisque ex ea susceptis non tantùm immensâ munera, sed integras etiam Romanas provincias per testamentum donaverat; quod cùm Cæsar publicè legisset in Senatu, bellum in Cleoparram & Antonium decretum est. Antonius rebus, quæ Romæ contra se actæ erant, per amicos intellectis Actium Græciæ urbem ineunte Vere profectus est, omniâque ad bellum apparavit. Suasere quidem Duces, terrestri Marte dimicare; at evicit Cleopatra, ut classe decerneretur. Itaque ad Actium commissa est tertio Septembris navalis pugna, quæ Octavianum Cæsarem Monarcham fecit. Victus Antonius cum Cleopatra sua in Ægyptum fugit. Cæsar autem reliquo Antonii exercitu sine pugna sibi adjuncto, rebusque pro tempore constitutis, media hyeme rursus in Italiam vela fecit. Perlato hoc de Actiaca pugna in Judæam nuntio Herodes vehementer percussus est, sibi que propter amicitiam cum Antonio jam infelici timens ad Cæsarem ire constituit. Priùs ta-

Hircanum
Senem occi-
dit.
c. 3.

men Hircanum Pontificem optimum Senem calumniis appetitum interfecit: Alexandram & Mariamnem per fidum sibi Quæstorem Castello inclusit, jussum eas quoque interficere, si quid gravius Cæsar in se statuisset; ne scilicet è regio Machabæorum semine superesset, qui regnare posset; sed Regnum Judææ liberis suis conservaretur.

Devictò Antonio Cæsaris amicitiam quærit. c. 10.

Cæsar cum nonnisi viginti & aliquot dies Brundusii in Italia, quo universus Senatus Romæ excurrerat, moratus esset, rediit in Græciam, ut consensu cum exercitu navibus Antonium in Ægypto quanta posset celeritate opprimeret. Rhodum adventanti occurrit Herodes, positoque diademate ad alloquium admissus, præter spem suam à Cæsare amicè acceptus est; nam restituto diademate hortatus est eum, ut rebus nunc mutatis non minùs suam, quàm priùs Antonii, amicitiam coleret. Inde Cæsar Ægyptum ingressus primò Pelusium, deinde victo pedestri certamine Antonio etiam Alexandriam occupavit. Confugit Antonius ad classem; at navibus plerisque ad Cæsarem transfugientibus, etiam ab ista desertus, ne vivus in hostis potestatem veniret, quòdque putaret, Cleopatram jam mortuam, nudato gladio se ipsum interemit. Cleopatra maluisset quidem supervivere, etiam sine Antonio; sed quòd timeret, ne in triumpho, quem mille mortibus acerbiorè æstimabat, duceretur, ac discriminatoria in hunc finem veneno illita brachium leviter fauciauit, eoque vulnere celerrimè ac sine dolore & ipsa sibi mortem attulit.

Cæsarem magnificè excipit Mariamnem & Alexandram occidit. c. 11.

Atque ita superatis jam pridem in Macedonia, aliquot ante annos in Syria, & nunc in Ægypto Magni Alexandri Successoribus Græcisque universis plenè emerit quarta Monarchia Romanorum. Cujus author Cæsar, ubi Romam rediit, de Asiatico bello, & de subacta Ægypto triumphavit; magnaque simul usus in omnes ordines munificentia, ac munerum largitione omnium Romanorum laudem ac benevolentiam promeruit. Vicissim autem etiam à Romanis magnos, variòsque accepit honores, ac inter alios Imperatoris nomen, non quale supremis exercituum Ducibus antiquo more tribui solebat, sed quo Imperii summa deferebatur. Præterea novo cognomine appellatus fuit Augustus, quasi venerandus & hominis naturam amplior; Augusta enim, quæ honore dignissima & sanctissima sunt, dicuntur. Sed & divi.

vini honores erectis templis, sacrificiisque celebratis eidem col-
lati sunt; quod sacrilegium ab his ortum initiis ad reliquos de-
inde Imperatores propagatum est. Atque hoc maxime tempus
est, ad quod respexisse videtur sanctus Leo, dum sermone primo
in natali Apostolorum Petri & Pauli ait: Roma ignorans suæ
profectionis authorem, cum penè omnibus dominaretur Genti-
bus, omnium Gentium serviebat erroribus: & magnam sibi vi-
debatur assumisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.
Unde ne quis Deorum, se Romæ non coli, queri posset, M. A-
grippa Augusti amicorum intimus, hoc tempore insigne templum
Diis omnibus ædificare cœpit, quod propterea Pantheon appel-
lavit. Antequam Cæsar ab Ægyptiaca expeditione Romam na-
vigaret, per Syriam transit, qua occasione benè usus Herodes
demerendi Cæsarem, magnificè illum excepit, & octingentis ta-
lentis donavit præter magnam vim pecuniæ in Optimates Ro-
manorum eum comitantes effusam. Jerosolymam reversus bre-
vi post Mariam uxorem ut adulterii suspectam, ac veneficii
ream per Senatum suum ad mortem damnandam curavit. At
postea desiderio occisæ uxoris tam magnis intemperis agi cœ-
pit, ut etiam morbum gravem contraheret, quem quidem supe-
ravit, ita tamen affectis morbo corporis & animi viribus effe-
ratus est, ut quavis de causa ad sæviendum esset promptissimus.
Unde & Alexandram Soerum & cæteros, qui ad Machabæorum
cognitionem pertinebant, occidit, sed & alios quosdam sustulit,
quorum excellebat dignitas, ut ita arbitrato suo posset agere
quidquid vellet, nemine amplius resistente.

Hinc Ananelo Pontificem Jesum substituit, cujus tamen Pon-
tificatus admodum brevis fuit; captus enim amore puellæ He-
rodes filiam Simonis Sacerdotis uxorem duxit, atque ut nuptiæ
Judæorum Rege non indignæ viderentur, Patrem ad Summi
Pontificatus dignitatem evexit. Cùmque theatra, arcus trium-
phales, templa, aliæque insignia ubique Romæ præcipuè, in ho-
norem Augusti facta opera celebrari audivisset, accensum est
etiam ipsius studium simili opere Cæsarem demerendi. Itaque
ædificavit in superiore urbis parte Regiam, in eaque duo pala-
tia auro & marmoribus exornata; voluitque ut unum diceret-
ur Cæsaris, alterum Agrippæ. Non contentus profanis ædibus,
etiam duo templa excitavit, unum in Samaria pulchritudine cum
quo-

Varia ædifi-
cia molitur.
c. 11. & 12.

quovis alio conferendum ; alterum ad fontes Jordanis ex candido marmore positum, eaque Cæsari dedicavit. Instituit quoque athletica certamina, & spectacula apud Judæos hæcenus instituta. Quæ autem cum primo Ierosolymæ in theatro Cæsaris trophæis splendidissimè ornato exhiberentur, gravis in Herodem conjuratio decem civium excitata est, quibus hæc theatra contra receptos mores à Rege induci, ac non nisi in patriæ disciplinæ dissolutionem tendere videbantur. ii tamen conjuratione detecta mox per omnes cruciatus necati sunt. Atque ut à Majoribus fortè posthæc orituris ejusmodi motibus tutum se præstaret Herodes, Regiam suam & arcem communivit. Samaritam quoque instauravit, quam de Augusti nomine Græcè Sebasten dixit. Condidit & in littore maris Cæsaream à Cæsaris quoque nomine appellatam, aliasque in aliis locis arces excitavit, ut in omnibus Regni partibus haberet præsidia ad subitos populi motus compescendos.

Templum Ierosolymitanum instauravit.

6. 14. & l. 1. de bello c. 35.

Dum Herodes totus est in ædificiis, Augustus relicta Agrippæ urbis administratione in Provincias Romano Imperio subjectas profectioem suscepit, orbique terrarum præsentia suâ pacis bona circumferens venit etiam in Syriam, ubi Herodem, licet variorum criminum accusatum non absolvit modò, sed & ejusdem Regno post donatas jam alias urbes Gazam, Samaritam, Joppen, aliasque plures, etiam Tetrarchiam inter Galilæam & Trachonitidem sitam adjecit. Qua accessione auctus, ut placeret suorum animos profanis operibus offensos, cœpit etiam facris rebus manum admoveere, ac instaurare Templum Domini, ejus spatia dilatando, porticibus novis exornando. Longè enim majus spatium terræ, quàm antea fuerat circa Templum, è valle murò amplexus est quadringentos cubitos altò, saxi constructo quadratis, sex cubitos altis, viginti longis, ut adeò apud sanctum Marcum c. 13. 1. Discipulus meritò ad Dominum diceret: Magister aspice quales lapides, & quales structuræ. Totum opus non nisi post novem annos absolvit ingenti sumptu, & magnificentia singulari.

Duos filios Romam misit, Agrippam

Inter has ædificiorum curas duos filios suos, quos ex Mariamne susceperat, Alexandrum & Aristobulum Romam misit, ut apud Cæsarem erudirentur, cujus domus tunc erat sapientiæ & virtutis officina, exceptique sunt summa humanitate ab Augusto,

gusto, propter Parentem. Ipse verò M. Agrippam ab Augusto in Syriam missum, ac in Judæam invitatum magnificè excepit, tractavitque in Cæsariensi portu, cæterisque recens conditis urbibus & arcibus, per quas eum circumduxit; præcipuè verò Jerosolymæ omne genus deliciarum, & magnificentiæ ipsi exhibuit, quippe quem sciret secundùm Cæsarem posse omnia. Agrippa honoribus atque etiam muneribus oneratus postquam Jerosolymæ Deo hecatomben immolavit, appetente hyeme navigavit in Ioniam, ibique hyemavit. Exacta nondum plenè hyeme Herodes rursus ad ipsum properavit, ac pedestri itinere Ephesum, inde per mare Samum honoris causâ comitatus est. quo in itinere Agrippa ad preces Herodis multorum Judæorum necessitatibus per singulas ferè civitates, in quibus Iudæi dispersi erant, subvenit, præsertim Ioniorum Iudæorum, quos indigenæ vexabant, nec suis patiebantur legibus vivere, ac oneribus gravabant contra concessa per Romanos privilegia. Ob quæ cum Herodes nomine omnium gratias egisset, post mutuos complexus Agrippa Romam, Herodes Cæsaream navigavit, & inde Ierosolymam repetiit.

Interea in Nazareth Galliliæ oppido octavo Septembris ex Ioachimo & Anna Parentibus genere & virtute Nobilibus nata est filia à DEO electa præ omnibus, ut esset Mater Filii sui in carne nascituri ad redemptionem Israël, & totius mundi; ipsi- que indictum est Mariæ nomen, quod gratiam habendam esse DEO de tanto munere testaretur. Post triennium à Parentibus Ierosolymæ in Templo oblata est DEO, veluti Anna, si Mater fieret, voverat, nutritaque est deinceps in sacris ædibus seu exedris cum aliis Virginibus Numini consecratis.

Herodes verò Romam profectus Augusto felicem ex Hispania, Gallia, atque Germania, quas Provincias interea visitaverat, reditum gratulatus est; rebusque suis ibi compolitis filios, quatuor jam annis Romanis disciplinis satis instructos, Ierosolymam reduxit; ubi deinceps & à Patre tenerè amabantur, & populi oculos, animosque ob corporis atque animi ornamenta ad se rapiabant. Verùm publicum istud in juvenes Principes studium magnam ipsis invidiam conflavit apud eos, quorum calumniis Mariamne eorum Mater oppressa fuerat, præcipuè apud Salomen Herodis sororem; quæ timens, ne rerum potiti necem

Sacra Veterum Temp. Hister.

Pp

Ma-

in Judæa magnificè excipit.

c. 13. & l. 16.
c. 2. 3. 4.

Futura Mater Dei Virgo Maria nascitur.

Nicephorus l. 2. c. 3.
Suarez t. 2. in 3. p. d. 7.

Herodes Romam profectus, & filios reducit. Jos. l. 16. c. 1. & 6.

Matris, cujus ipsa præcipua causa fuerat, aliquando ulciscerentur. id egit, ut ab incautis quandoque voces in Mariamnes interfectores exprimeret, quibus Herodes ipse involvi videbatur. Quæ cum ad Patrem malitiosè relata essent, ipse ut filiorum retunderet animos, Antipatrum ex Doride Arabe sibi natum, quasi designatum Successorem Romam misit, & Augusto impensius commendavit; qui, quod jam præsens fecerat cum Salome, nunc etiam longè absens conatus est fratres suos magis semper suspectos reddere per litteras.

Augustus Calendarium emendat.

Sueton l. 2. c. 31.

Per Romanum Imperium à tempore correctorum à Julio Cæsare Fastorum Calendarium per triginta sex annos ritè, ut putabatur, fuerat ordinatum. At Augustus culpâ Pontificum rursus depravatam esse nunc deprehendit. Cùm enim hæctenus intercalari debuissent dies tantùm novem, intercalati fuerunt dies omnino duodecim; quem errorem, ut emendaret Augustus duodecim annos sequentes sine bis sexto transigi iussit, ob quod Sextilis deinceps ab ipsius nomine Augustus appellari cœpit; sicut olim Quintilis à Julii Cæsaris nomine Julius cognominatus est.

Herodi filios suos reconciliat. Jos. l. 16. c. 27.

Jerosolymis in aula Herodis suspiciones ac domestica dissidia in dies crescebant, aded, ut statueret in duos Mariamnes filios animadvertere. Ne quid tamen temerè, & per iram ageretur, veritus offensam Cæsaris, si sine ejus præscitu charos ipsi juvenes, atque in ipsius aula educatos plecteret, cum ipsis Romanam navigavit, eosque apud Augustum beneficii, quo sibi ob eadem Matris suæ mortem machinarentur, accusavit. Cæsar audito Herode, visisque Principum lacrymis faciliè intellexit, rem totam calumniis esse subnixam. Itaque litem sapienter diremit, filiis ad Patris pedes iussis accedere, quòd non ita se gessissent, ut Patri suspensionem omnem tollerent; Herode verò molliter increpito, quòd id temerè de bonis liberis suspicatus esset. simul eadem potestatem permisit eligendi Successorem quemcunque è filiis, aut si mallet Regni in singulos dividendi: quamdiu autem ipse viveret, tam Regnum haberet in potestate, quàm filios. Igitur post actas Cæsari gratias, datæque mutuò munera cum tribus filiis Jerosolymam rediit. Ubi autem in concione dum suos nominat Hæredes, sopitam invidiae flammam senex imprudentissimè accendit; totaque aula majoribus quàm antea edictis agitari cœpit.

Anti-

Antipater enim cum sua factione cepit de novo suspicio-
 sum senem adversus duos suos filios, horuūque uxores conci-
 tare, ut eos magis quam antea averfaretur. Quod dum illi mo-
 lestius ferunt, & verba domi effutiunt non satis concocta, ea ad
 Patrem delata, & amplificata eum propè ad insaniam usque ex-
 acerbârunt, cum præsertim simul eo tempore etiam ab Augusto,
 apud quem accusatus fuerat, quòd injussus contra prædones Ara-
 bas exercitum eduxisset, minaces, acerbâsque litteras accepisset.
 Alexander, & Aristobulus, ut se se ab his tumultibus & calu-
 mniis, quibus Pater tam faciles aures præbebat, expedirent, fu-
 gam meditati sunt; quod animadvertens Herodes quasi insidia-
 rum convictos conjecit in vineula. Ac ubi per Legatum Rô-
 man missum C. sari reconciliatus potestatem accepit in filios
 animadvertendi, consilium coëgit. In quo agens simul accusa-
 torem & judicem assessores impulit ad injustissimam sententiam,
 qua capitis damnati sunt Regii Juvenes, ac deinde Sebaste Hero-
 dis jussu strangulati.

Neque tamen cum his extincta sunt domestica mala actur-
 ba, ut potius augerentur. Nam paulò post Doris Antipatri Ma-
 ter fratrem Herodis, quòd ei Pharisæi identidem Regnum vari-
 cinarentur, veneno sustulit. Ipse etiam Herodes debuerat simili
 morte perire authore Antipatro; at in scelere deprehensum,
 convictumque detrusit in carcerem. Uxorem verò suam Simo-
 nis Pontificis filiam, quam credebat veneficij hujus consciam at-
 que participem à se abjecit; Patrem ipsius exautoravit, & Ma-
 thiam substituit; quò brevi iterum dejecto Joazarum ad Pon-
 tificatum vocavit. Ipse verò majoribus semper malis pressus in
 gravem morbum incidit.

Inter hæc Maria Virgo inter dicatas DEO Virgines in Tem-
 plo soli DEO vacans, & forma virtutis effecta ad nobiles annos
 pervenerat. Solliciti Sacerdotes, quidnam deinceps agerent
 de Virgine, quam sciebant DEO Virginitatem vovisse, divinitus
 venerunt in eam sententiam, ut cuiusdam connubii nomine ipsam
 desponderent, qui tamen Virginis potius custos esset. Ad hoc
 idoneus fore creditus est Joseph ex eadem Tribu & patria, qua
 erat Virgo. Itaque consilio Sacerdorum Joseph, triginta aut
 quadraginta tum annorum, Puellam Sponsam accepit; ipsaque
 etiam hoc matrimonium ratum habuit, certa divinitus de Sponsi

Herodes du-
 os filios
 strangulari
 jubet.
 Jos. l. 16. ant.
 c. 16. & 17.
 l. 1. de bello
 c. 17.

Tertium fili-
 um Antipa-
 trum carceri
 includit, & in
 gravem mor-
 bum incidit.
 l. 17. c. 7.

Elisabeth
 Joannem,
 Maria fillum
 Dei concipit
 de Spiritu
 Sancto.
 L. 1. à v. 5.
 Suarez t. 2.
 in 3. p. disp. 7.

in sua vota consensu. Igitur ab eo reducta est in Nazareth patriam suam. Ubi dum sancti Conjuges cum admirabili animorum consensu, & pari animi & corporis puritate vivunt; ecce vigesimo quinto Martii Archangelus è coelo missus domum Virginis ingreditur, eamque futuram Filii DEI Matrem salutatur; quæ primò quidem turbata est; ubi autem prudenter & demissè respondens præstitit assensum opere Spiritus Sancti in castissimis suis visceribus concepit DEUM HOMINEM. Itaque demum dies illuxit tot sæculis à Patribus suspiratus, quo placuit Divinæ Misericordiæ sua consilia exequi de redimendo humano genere. Nam à sexto jam mense conceptus etiam erat ille, quem Malachias olim prædixerat præcessurum. Cùm enim Zacharias Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ, & Templum ingressus incensum poneret orante foris omni multitudine populi hora Incensæ, Angelus stans à dextris Altaris Incensæ ei filium ex Elisabeth uxore sua nasciturum nuntiavit; quod quidem turbatus tunc non satis credidit, & quòd ipse esset senex, & uxor ejus processisset in diebus suis, ubi tamen impletis officii sui diebus abiit in domum suam in montana urbe Hebron, ut plerisque placet, concepit Elisabeth uxor ejus filium. Quod cùm nunc Maria à Gabriele audiret, rebus domi dispositis cum bona Iosephi venia festina perrexit in Hebron ad Cognatam; quam ubi salutavit, infans, qui latebat in visceribus ejus exiit, Domini sui præsentiam testatus; ipsaque Elisabeth Spiritu Sancto repleta, unde hoc mihi, agebat, inter amplexus & dulcia pacis oscula, ut Mater Domini mei veniat ad me. Porro Maria mansit cum illa tribus ferè mensibus, donec scilicet Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit Filium.

Ioseph de mysterio divinitus edocetur. Matt. 1. à v. 18.

Reversa in Nazareth magnam Iosepho doloris & perturbationis causam attulit; animadvertit enim Conjugem suam uterum ferre conscius ipse suæ continentia. Itaque ne quam aliunde castissimam noverat, repudiare cum infamia cogeretur, deferere cogitat. At de divino Mysterio, qualis & quantus Infans in uxoris utero lateret, in somnis edoctus, cùm antea Virginem ut Sponsam castissimam dilexisset, eam ut Parentem DEI sanctissimam religiosius deinceps veneratus est.

S A C R A
 Evangelica Historia
 Christus JESUS, Rex Judæorum.

Eodem anno exeunte Præside Syriæ Cyrino exiit edictum Cæsaris Augusti nomine, ut describeretur universa Judæa, omnibusque Judæis in singula capita certa pecunia imperata est pro imminente in Parthos, ut spergebatur, expeditione. Cunctis igitur Judæis proficiscentibus in urbes Tribubus suis assignatas, Ioseph quoque in viam se dedit cum Coniuge prægnante, atque adeo proxima partui, perrexitque in Bethlehem civitatem David, eò quod & ipse esset de domo & familia David. Verùm oppidum advenis ita jam erat occupatum, ut locus non esset, ubi diverteret. Quare coguntur intrare speluncam prope viam urbi conjunctam, in quam animalia, hominesque noctu muros subire prohibiti divertere solebant. Ubi dum sancti Coniuges hospitantur, vigesimo quinto Decembris media nocte divinus Filius ex Virgine nascitur, pannisque involutus substrato foeno in præsepio ligneo reponitur. Tanta Nativitas pastoribus, qui haud procul vigilabant, & custodiebant vigilias noctis super gregem suum, mox annuntiat per Angelum; multitudo verò cælestis militiæ, quæ Divinum comitabatur Legatum, eandem nobilissimo choro celebravit cantando: *Gloria in Excelsis DEO, & in terra pax hominibus.* Qui dum cœpta cantica in cælum transferunt, pastores Bethlehemum festinantes agnoverunt accepti nuntii veritatem, collustratique divino lumine DEum adorârunt, ac deinde quid audivissent, vidissentque sparsere in vulgus.

Ubi octavus à Christo nato dies illuxit, Calendis Januarii recisum est Divino Pueri præputium, ut se verum Abrahami filium profiteretur, idque factum fuerit Bethlehemi in aliqua domo, in quam dilabentibus paulatim advenis, Iosephus cum suis commigravit; simul ei nomen impositum est JESUS. Post aliquot exinde dies ex Arabia deserta, ubique Sabæ adjacentibus locis Reguli seu Dynastæ stella duce venere Ierosolymam, & recens natum Judæorum Regem quærentes Herodem ac Ierosolymam universam mirifice percurserunt. Congregati mox ab Herode Summi Sacerdotes, ac Scribæ populi, interrogatique, ubi Christus nasceretur, ex Michææ testimo-

Ab An. 3995.
 Sub finem
 Decembris,
 Christus nascitur in Bethlehem.
 Luc. 2. à v. 7.

Circumciditur & adoratur à Magis.
 Luc. 2. à v. 21.
 Mat. 2. à v. 1

nio responderunt, in oppido Bethlehem. Illuc itaque Magi perre-
xere duce, quæ Ierosolymis disparuerat, eadem stella, collustratique
diviniore luce in Infantiulo adoraverunt DEUM, myrrha hominem,
auro Regem, thure Conditorum suum contestati. Rogati quidem
sunt ab Herode, ut, cum adorassent natum Regem, ad se redirent.
At illi nunc in somnis id facere prohibiti per aliam viam reversi sunt
in Regionem suam, credente Herode, pudore id factum, quod non
invento, quem quærebant, spe sua, & vana observatione delusi
essent.

Elapsis aliis viginti septem diebus Maria cum Iosepho Ieroso-
lymam venit, tum ut Primogenitum suum ex lege redimeret, tum ut
ipsa legem puerperarum servaret. Quod dum præstat magna pau-
peratis, demissionis, & obsequii significatione Simeon aliquis &
Anna prophetico afflato spiritu venientes in Templum, Matris & Filii
excellentiâ humana majorem attonito populo, qui circumstabat,
extollunt; huncque esse Messiam, qui redempturus esset Israël, non
obscurè significant. Quæ cum statim Ierosolymæ ubique vulgata
etiam ad Herodis aures venissent, *Suarez. l. 2. in 3. p. disp. 37. sect.*
1. tum verò delusum se à Magis intellexit; credensque Parentes
cum Filio rursus Bethlehemum esse reversos, illuc misit satellites,
qui pueros omnes intra biennium natos Bethlehemi & circa ejus vi-
ciniam occiderent, non dubitans inter occisos futurum, cujus unius
animam quærebat. At ille ex ejus savitia jam subductus erat; nam
peracta celebritate sacrificii & redemptionis Parentes cum Filio pri-
mò reversi sunt Nazarethum in patriam, deinde verò jubente Angelo
fugerunt in Ægyptum.

Herodis
morbus in-
crudescentis.
Joh. 1. 2. de
belle c. 27.

Interea morbo Herodis in crudescente in vulgus rumor sparsus
est, eum è vivis jam excessisse. Quod cum non pauci, qui id pridem
optaverant, facile crederent, orta seditio est propter auream magni
ponderis aquilam, quam Herodes supra majorem Templi portam
posuerat. Istud enim ad Idolorum cultum pertinere persuasi non
nulli juvenes pleno meridie inspectante populo in altum eluctati
aquilam securibus dejecerunt. At confestim advit Dux Regius cum
valida militum manu, populòque dissipato, quadraginta juvenes re-
sistere ausos comprehendit; quos postea Rex cum seditionis aucto-
ribus vivos comburi iussit; quòdque Pontifex ab hoc consi-
lio non alienus fuisse videretur deposito Mathiæ loazarum surro-
gavit.

Tum

Tum Ierichuntem, ac inde ultra Iordanem deportari voluit, ut, cum alia spes in Medicis non esset, calidis, quæ sibi fluunt, aquis curaretur. At res in dies deterior fiebat. Quare desperata salute Ierichuntem regressus est. Atque ut Iudæorum de sua morte gaudium aliquo luctu temperaret, habitantes circa Ierichuntem nobiliores Iudæos specie obsequii convenire iussit; Salomen sororem clam per omnia obtestatus, ut, quamprimum obiisset, cælata tantisper morte clausam in circo nobilium multitudinem immisso milite contrucidaret. Cumque audivisset Antipatrum quoque filium in carcere de vicina sua morte exultantem, per satellitem quinque dies ante suam mortem iussit interfici. Demum autem vivum jam antea ac turpe cadaver turpiorem animam exhalavit, nemine in morte ejus lugente; nam Salome neglectis impiis iussis nobilitatem liberam dimisit.

Herodes moritur. An. 1997. Jos. l. 17. c. 8.

Scripterat in ultimis tabulis Successorem Archelaum natum majorem filium. Hic ergo justis patri persolutis Romam, ut ab Augusto confirmationem obtineret, ne mox statuit. Sed dum profectionem parat, fit seditio ab amicis eorum, quos propter aquilam auream Herodes supplicio affecerat; resque eò processit, ut cum verbis placari nequirent, immisso exercitu ad tria millia circa Templum conciderentur. Compresso tumultu cum magno amicorum comitatu Romanam navigat; quod autem jam antea Iudæorum Legati pervenerant, postulantes à Cæsare, liceret sibi suis legibus sub Præside Romano potius vivere, quam sub Rege, maximè Archelao, quem non minùs ac demortuum patrem multorum ac gravium criminum accusabant; cui postulationi accessere quoque Iudæorum octo ferè millia, qui tum Romæ habitabant. Cæsare mature deliberata Regnum Iudææ partitus est inter tres, quos Herodes reliquit, filios, Archelaum, Philippum, & Herodem Antipam cognomine. Archelao mediam partem ditionis paternæ attribuit absque titulo tamen Regis. Alteram mediam partem inter duos ejus fratres divisit, & Tetrarchas esse voluit, Philippum quidem Trachonitidis, Herodem verò Galilææ.

Augustus Regnum Iudææ partitur inter tres filios Herodis. Jos. l. 16. c. 11. & 12. & l. 20. de bello c. 20. & 30.

Reversus Ierofolymam Archelaus intelligit se absente rursus excitam seditionem; compressam autem jam esse à Varo Syria Præsidente actis in crucem duobus ferè millibus Iudæorum. Ipse verò initium Principatus sui exorsus est à depositione Ioazari de Pontificatu, quem transtulit in ejus fratrem Eleazarum Simonis olim Pontificis filium.

Archelai mala gubernatio. l. 17. c. 11. de bello c. 21.

Quo

Quo brevì rursus deposito IESUM Pontificem esse iussit; at brevì post dignitatem rursus Ioazaro contulit. In reliqua populi gubernatione se non degenerem Herodis filium ostendit

Unde & Iosephus monitu Angeli rediens ex Ægypto in terram Israël cùm audiisset, post defunctum Herodem Archelaum regnare in Iudæa, *timuit illò ire, secessitque in Galilaam, & habitavit in Nazareth.*

Iosephus ex Ægypto redit in Galilaam.

Mat. 2. a. v. 19.

Augustus Archelaum in exilium mit.

l. 17. c. 12. & 13.

At demum Primates tum Iudæorum tum Samaritanorum tyrannidem Archelai ampliùs non ferentes, Romam profecti sunt, eumque apud Cæsarem accusarunt; qui etiam Romam ad dicendam causam accersitum relegavit Viennam in Gallia. Iudæa pars, quæ ipsi paruerat, Syriæ Provinciæ adjecta est, veluti Iudæi jam antea ab Augusto solenni Legatione postulaverant. Atque ita Iudæicus populus id consecutus est, ut non haberent Regem, nisi Cæsarem, Philippus & Herodes in sua quisque Terrarchia confirmati sunt.

Syriæ Præses simul Iudæam administrat.

Jof. 1. 18. c. 7. & 3. & l. 2. de bel. c. 7.

Archelai bona Syriæ Præses fisco addixit, & Ioazaro ab Archelao confirmato Annam in Pontificatu suffecit. Sub idem quoque tempus iussu Cæsaris per totam Syriam ac Iudæam censum seu facultates civium secundò jam descripsit, & in singula capita censum seu tributum exegit; cujus descriptionis occasione orta est seditio non levis à Iuda quodam Galilæo, qui adjuncto sibi Sadoco Phariseo negavit, populum DEI alium Dominum, quàm DEUM agnoscere debere; censum nihil esse aliud prædicans, quàm manifestam servitutis professionem, eum adèò Augusto solvendum non esse; habuitque Galilæus iste non paucos sectatores usque ad postrema Iudæici belli tempora. Hinc etiam Pharisei aliquando Christum tentantes seiscitati sunt, num dandum esset tributum Cæsari, quòd ea res per illa tempora variè jactaretur. Atque hanc opinionem suam, soli DEO, & non etiam sublimibus potestatibus parendum esse, tantà pertinaciâ tuebantur, ut nullis suppliciis de sententia abduci possent, justumque idèò Romanorum in se odium provocarent; quod deinde in Christianos quoque primis illis temporibus est derivatum, tanquam hæresis huius sectatores; quoniam & Christus & Apostoli ex Galilæa oriundi erant. Qui propterea sæpiùs in suis epistolis Christianos ad obedientiam Principibus debitam hortati sunt.

Christus invenitur di-

Christus interea duodecimum jam ætatis annum impleverat; qui cùm nunc Parentes pro more ad Festum Paschæ Ierosol.

Jerofolymam euntes comitaretur, ab iisdem amiffus, & triduo cum magno animi mœrore quæfitus, demum inventus est in Templo inter Doctores, eos interrogans, & ita respondens, ut omnes in admirationem sui raperet. Nazarethum reductus deinceps subditus Parentibus vixit. Atque ita latuit duodeviginti annos exemplo mirabili profundiffimæ demiffionis.

Augustus, cum vivendo expliffet feptuaginta fex annos, Nolæ in Campania mortuus est incertum an naturali fato, an ficibus veneno illitis. Post quem Imperium ab univerfis ordinibus delatum fufcepit Tiberius, quem Augustus alio filio carens jam diu ante in filium adoptarat, pari que eum in Imperium poteflate confenfu Senatûs ornarat. Ab hoc in Judæam miffus est Valerius Gratus undecim deinceps annis Judææ Procurator, feu Præfes, qui adminiftrationis fuæ tempore tantum non fingulis annis Pontifices pro fuo arbitratu mutavit. Nam cum in Judæam veniffet, Annam à fex annis Pontificem removit, & Ifmaëlem conftituit. Iste vix annum Pontificatum gelferat, ei fuffecit Eleazarum Annæ filium. Hoc iterum remoto Simonem Pontificem fecit. Sed & ifte Pontificatum cedere juffus est Caiphæ Annæ Pontificis Genero, quem feptendecim annos tenuit raro hoc tempore exemplo; quamquam mirum videri non debeat, Pontificatum ita fuiiffe turbatum, quoniam jam natus erat magnus ille Sacerdos & Pontifex, qui Aaronico Sacerdotio finem imponeret.

Herodes ut Tiberii gratiâ gauderet, exemplo Patris ad ripam Lacûs Genefareth urbem condidit, ac à Tiberii nomine Tiberiadem nominavit, ita exornatam ac privilegiis auctam, ut Imperatoris Romani nomine non indigna videretur, multique illuc incolæ confluerent. Nihilominus tamen anno fequente à Tiberio quatuor facile millia Judæorum Româ in Infulam Sardiniam relegati funt, ut ibi aëris gravitate conficerentur. Causa fuit, quod nobilem Romanam fceminam ad legem Judaicam amplectendam adduxiffent, & ne Romæ peregrina Religio latius ferperet.

Exactis in Judææ præfeftura undecim annis Valerius Gratus Romam revocatus est; inde que miffus Pontius Pilatus Procurator feu Præfes Judææ futurus. *S. Hier. in 24. c. Matth.* Qui cum Jerofolymam intuliffet figna quædam, atque imagines, &

ſpuitans in
Templo.
Luc. 2. à v. 40.

An. 4074.
Caiphæ fir
Pontifex.
Jof. 1. 18. c. 3.

Judæi Româ
pelluntur.
c. 4. & 5.

Pontius Pila-
tus Procura-
tor in Judæ-
am venit.
c. 3. & 4.

Sacra Veterum Temp. Hiffor.

Q9

ip-

ipsam Cæsaris imaginem in Templo posuisset, quod Judæis Idolatriam sapere, & ad legis suæ contumeliam factum esse videbatur, magnus excitatus est tumultus, adeò ut demum Pilatus cogeretur imagines amovere, ac Cæsaream remittere. Herodes verò Galilææ Tetrarcha Herodiadem Philippi fratris sui adhuc viventis uxorem duxit; postquam ea priorem Maritum sponte deseruit.

Joannes prædicare & baptizare incipit.

Mat. 3. à v. 1.

Mar. 1. à v. 1.

Luc. 3. à v. 1.

Anno Tiberii Cæsaris decimo quinto Joannes è deserto Judææ, in quo propè ab infantia hæctenus vixerat, prodiens juxta Jordanem cœpit prædicare pœnitentiam, ac Judæos confitentes peccata sua aquâ Jordanis abluere, ut paratiores ac puriores essent ad recipiendum Messiam. Inter quos ex omni Judæa confluentes videns multos Pharisæorum & Saducæorum, ad hos conversus *progenies viperarum*, aiebat, *quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentia.* simul primum coram populo testimonium perhibuit de Christo post se venturo, qui baptizaturus eos esset non in aqua tantum, sed in Spiritu Sancto. Nec diu post illuc venit JESUS non tamen ut baptizaret, sed ut baptizaretur à Joanne; quod iste primò quidem facere recusavit; at ubi Christus institit dicens: *Decet nos implere omnem justitiam*, ab eodem in Jordane baptizatus est. Quo facto Spiritus Sanctus sub Columbæ specie, quis esset, ostendit; & ipse Pater æternus hunc esse Filium suum dilectum clara voce testatus est.

Christus in solitudinem secedit.

Mat. 4. à v. 1.

Mar. 1. à v. 12.

Luc. 4. à v. 1.

Christus verò eodem adhuc die secessit in solitudinem Judææ, in qua quadraginta dies sine cibo & potu transigens, se ad prædicationis & nostræ salutis opus accinxit. Quibus evolutis adest diabolus, ac esurientem triplici gulæ, confidentiæ, ac superbiæ tentatione aggreditur. Eo autem verbis ex sacra Scriptura petitis fugato, accessere boni Angeli, & ministrabant ei.

Assumit Discipulos.

Jo. 1. à v. 15.

Interim absente Christo Joannes præclarum rursus testimonium de eo dixit, non solum coram turbis, sed maxime coram Legatis, qui Jerosolyma missi erant sciscitatum, num ipse esset Christus, aut quis demum ipse esset? His enim interrogationibus sapienter usus, Legatis, qui erant Sacerdotes & Levitæ, & quidem Pharisei, simul iis, à quibus missi erant, Christum adhuc ignotum annuntiavit. Postridie ab hac legatione Christus ipse

ipse venit ad Joannem, qui dum ad se accederet, digito Eum demonstrans, dixit ad circumstantes; *Ecce Agnus DEI: ecce qui tollit peccatum mundi.* Altero die cum coram Andrea & alio Discipulo simile testimonium diceret, ejus occasione, cum illo altero Discipulo Andreas primùm, postea adductus ab eo Frater ipsius Petrus, alique deinde duo Philippus & Nathanaël Christum agnoscere & sequi cœperunt.

Quibus comitibus profectus est in Cana Galilææ, ut invitatus interesset nuptiis ibi celebrandis; quibus ex Nazareth adfuit etiam Mater ipsius sine Josepho, qui, cum nulla hinc ejus mentio fiat, jam antea obierit. Hic porro insigne miraculum ac primum edidit copiosâ aquâ in vinum conversâ.

Inde venit in Capharnaum comitantibus Ipsum Matre, Fratribus, & Discipulis. Non autem diu ibi moratus est; nam instante Paschate ascendit Ierosolymam, ubi dum in Templo reperit vendentes boves, & oves, & columbas, omnes flagello eiecit, & Nummulariorum mensas subvertit, severè eos monens, ne Domum Patris sui faciant domum negotiationis. Postularunt Judæi, signo aliquo probaret, se istud legitima potestate facere, ac Christus nullum eis signum dedit, contentus suam mortem, & resurrectionem sub figura Templi destruendi, & reedificandi prænuñtiâsse. Nihilominus eodem Paschæ tempore multamiracula edidit, *Jo. 3. à v. 1.* ob quæ multi crediderunt in Eum, ac inter eos Nicodemus Princeps Judæorum unus ex Phariseis, & Magister in Israël; qui vi miraculorum motus venit ad Jesum nocte, & post longam de baptismo disputationem alia adhuc arcana ab Eo didicit fidei mysteria.

Exacto paschali tempore digressus est in alia Judææ loca; & cum ipse Joannem Baptistam, Petrum, & Virginem Matrem baptizasset; Petrus deinde reliquos Discipulos, & hi deinceps alios magno numero baptizârunt. Quod cum Pharisei referrent Joanni in Ænon prope Jordanem baptizanti, Jesum scilicet plures Discipulos facere, & ab his plures baptizari, quàm à Joanne, & omnes venire ad illum, rursus præclarum & ultimum de Christo edidit testimonium. Post quod quasi officio Præcursoris jam defunctus, relicto Jordane Herodem adit Galilææ Tetrarcham, eumque liberè reprehendit tum ob alia scelera, tum maxime ob incestas cum uxore fratris sui nuptias; quod Herodias

Q. 9. 2.

Interesset nuptiis in Cana Jo. 2. à v. 1.

Celebrat Pascha Ierosolymis. Jo. 2. à v. 13.

Redit in Galilæam & Samaritanam convertit. Jo. 3. à v. 22.

Mat. 14. à v. 5. Mar. 6. à v. 17. Luc. 3. à v. 19.

Mat. 4. 2v. 12.
Mar. 1. v. 14.
Luc. 4. v. 14.
Jo. 4. à v. 4.

diâ intoleranter ferens non destitit, donec vir sanctus in custodia detruderetur. Jesus verò Judæam reliquit, & venit iterum in Galilæam. In itinere per Samariam transiens incidit extra urbem prope fontem Jacob in mulierem Samaritanam; quæcum diu collocutus, eam ac deinde alios non paucos Samaritanos biduum apud eos commoratus convertit, ut crederent, *quis hic est verè Salvator mundi.*

Sanat Reguli
filium.
Mat. 4. à v.
13.
Jo. 4. à v. 43.

Samariâ digressus perrexit in Galilæam, ubi honorificè exceptus est ab iis, qui viderant, quæ fecerat in die festo Jerosolymis. Relictâ deinde Nazareth in Canam divertit, ubi priore anno fecerat aquam vinum, nunc autem Reguli sibi occurrentis filium ægrotantem, atque animam agentem sanavit absens. Ex quo factum, ut Regulus & tota ejus familia in Christum crederet.

Publicè concionatur, & mira patrat.
Mat. 4. 2v. 13.
Mar. 1. 2v. 14.
Luc. 4. à v. 37.

Inde venit Capharnaum maritimam in Galilæa urbem, quam deinceps habitationi suæ elegit; cœpitque nunc publicè convocatis ad audiendum populis concionari, & homines invitare ad penitentiam, denuntians propinquum esse Regnum Cœlorum. Neque uno tantum in loco verba fecit; sed circumibat totam Galilæam docens in Synagogis, & sanans omnem infirmitatem in populo. dumque fortè ambulat juxta mare Galilææ, assumpsit sibi concionum & miraculorum ministros Petrum, Andream, Jacobum & Joannem Piscatores. Quibuscum Capharnaum reversus docuit in Synagogis Sabbatho cum stupore audientium, ibique dæmonem ex energumeno se annuntiantem jussit obmutescere, & exire de homine. *Mat. 8. à v. 14.* Sub id tempus Petri focus magnis febribus æstuabat; itaque Sabbatho egressus de Synagoga venit in domum Petri & Andree, vnique morbi omnem ita extinxit, ut illa mox ministrare posset discumbentibus. Eodem quoque vespere cum sol occidisset, afferrebantur ad januam domus, in qua erat, magno numero malè habentes, quos curavit omnes indictò etiam dæmonibus de se silentio, quorum multos è corporibus tunc ejecit. Exacta in domo Petri ea nocte surgens valde diluculo abiit in desertum locum; unde præmissa ad Patrem oratione cœpit peragrarè universam Galilæam prædicans in synagogis, dæmonia ejiciens, & mira faciens per omnes vicos & civitates. Cumque fortè à multis undique turbis circumfunderetur, jussit eas ire trans fretum; Ipse verò è Petri navicula docebat turbas. Quo etiam tempore
Chri-

Christus aliquos reprehendit, quod non, ut oportebat, Eum relictis omnibus sequi vellent. *Luc. 9. à v. 57.* Tum quoque Petrus, Jacobus, & Joannes capturæ piscium miraculo commoti in proposito Christo adhærendi mirificè confirmati sunt. *Luc. 5. à v. 1.*

Dum ad Gerasenos navigatur, Ipso dormiente oritur gravis tempestas; quam autem mox sedavit. In Gerasenorum Regionem appulsus, liberavit duos obsessos à dæmonibus, qui deinde permissu Christi in gregem porcorum ingressi eos in profundum maris præcipientes dedere, quod videntes cives rogaverunt Eum, ut transfret à finibus eorum.

Reversus igitur Capharnaum civitatem suam, dum confluentes ex omni Castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem populos docet, ecce quatuor viri paralyticum in lecto jacentem afferunt; quem cum præ turba inferre non possent, per tectum domus funibus demiserunt, & posuerunt ante Jesum. Huic igitur prius peccata dimisit. Quod cum præsentibus aliqui Scribæ & Pharisei apud se blasphemiam arguerent, Jesus videns cogitationes eorum, ut ostenderet, se remittendi peccata potestatem habere, sanavit etiam corpore paralyticum, jussitque tollere grabatum suum cum admiratione omnium præsentium ac dicentium: *Quia vidimus mirabilia hodie.*

Paulò post Matthæo è telonio, quod prope Capharnaum erat, ad Apostolatam vocatò, in domo ipsius accumbentibus mensæ non paucis publicanis & peccatoribus cibum sumpsit; atque Scribas & Phariseos ob id murmurantes sapienter repressit, dicens: *Non est opus valentibus Medico, sed male habentibus.* Pari sapientia quæstionem, cur scilicet Joannis Discipulis jejunantibus Christi Discipuli non jejunarent, dissolvit; mirum scilicet non esse, quod præsentibus Sponsus non jejunent; futurum autem esse, ut & ipsi jejunent, ubi Sponsus ab eis ablatu fuerit. Qua occasione Jairus Archisynagogus Eum rogavit, ut veniret secum, & filia sua, quæ modò defuncta esset, imposita manu vitam redderet. Rediit itaque Capharnaum multà turbâ circumdatus, & postquam in itinere mulierem fluxu sanguinis laborantem, ac fimbriam vestis suæ tangentem sanavit, filiam quoque Archisynagogi ejecto mortuali apparatu revocavit ad vitam. Dum inde domum suam accedit, duo cæci Eum sequuntur clamant-

Tempestatem sedat, & dæmones ejicit. *Mat. 8. v. 23. Mar. 4. à v. 35. Luc. 8. à v. 22. Mat. 9. à v. 1. Mar. 2. à v. 1. Luc. 5. à v. 27. Paralyticum sanat. Mat. 9. à v. 10. Mar. 2. à v. 1. Luc. 5. à v. 17.*

Matthæum è telonio vocat. & filiam Jairi ad vitam revocat. *Mat. 9. à v. 9. Mar. 2. à v. 14. Luc. 5. à v. 27.*

Q9 3

man-

mantes: Misere nostri Fili David. Igitur tactis eorum oculis eos illuminavit. Quibus vix domo egressis, hominem ex infesto dæmone mutum loqui fecit ejecto dæmone non sine blasphema Phariseorum calumnia dicentium: In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

In Paschate
Paralyticum
38. annorum
sanat.
Jo. 5. à v. 1.

Inter hæc advenit dies festus Judæorum. Igitur ad celebrandum Pascha Dominus Jerosolyman ascendit. Quo tempore aliquando accedens piscinam probaticam, in quam è Templi atrio per canalem defluebat victimarum cruor, & in cujus aqua, suo tempore ab Angelo mota illico sanabantur ægri, paralyticum triginta octo annos jam ægrotum verbo curavit, jussitque tollere grabatum suum & ambulare. Quod quia fiebat in Sabbatho, Judæi offensi Jesum non tantum persequerentur, sed & quod insuper Patrem suum diceret DEum, quærebant Eum interficere.

Discipuli spi-
cas vellunt in
Sabbatho.
Sermo in
monte.
Mat. 23. à v. 1.
Mar. 2. à v.
23. & 3. à v. 1.
Luc. 6.

Rediens inde in Galilæam per sata, cum Discipuli spicas in Sabbatho vellerent, eos contra Phariseorum criminationes allato Davidis exemplo, rursus defendere debuit. alia verò die Sabbathi cum Synagogam ingressus aridam hominis manum sanitati restituisset, tum verò Pharisei majori adhuc invidia frementes cum Herodianis consilium inierunt, quomodo Eum perderent. Jesus autem cum Discipulis suis secessit ad mare Galilææ, multis undique turbis Eum sequentibus, quas docuit è navicula, ne comprimerent Eum, omnesque, quotquot habebant plagas, sanavit. Postea vicinum montem cum suis ascendit; cumque in oratione ibi pernoctasset, manè è Discipulorum numero duodecim Apostolos elegit. Secutus est Sermo Domini in eodem monte omnem penè evangelicam doctrinam continens. Nam primò quidem per octo capita exposuit, in quo sita esset vera mortalium felicitas. Deinde Discipulos suos voluit esse, quasi terræ salem & lucem mundi; Scribarum verò justitiam correxit, ac Decalogum perfectè observandum esse docuit. Eodem sermone alia Evangelica tum præcepta, tum perfectioris vitæ monita & consilia tradidit, circa vindictam scilicet, mutuum, proximi dilectionem: item alia circa orationem, jejunium, atque eleemosynam documenta: non temerè judicandum, nec omnia omnibus monita proponenda, orationem verò imprimis necessariam esse. Denique monuit angustam esse ad Beatitudinem

dinem viam, falsos Doctores evitandos, bonis operibus fidem probandam. Ubi de monte descendit, etiam turbas docuit in loco campestri, pleraque repetens, quæ in monte dixerat.

Hanc Christi sublimem doctrinam secuta sunt miracula. Nam rediens Capharnaum leprosum in via sanavit. Urbem ingressus Centurionis servulum paralytici liberavit. Ad portam civitatis Nain filium viduæ unicuique à morte & propè à tumulo vitam revocavit. Quæ, aliisque cum Joannes in vinculis audisset, misit Discipulos suos ad Jesum, ut coram intelligerent, & crederent, non alium expectandum, sed ipsum verè esse Messiam, opera ejus admiranda oculis suis videntes; nam presentibus illis multos curavit à languoribus & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum.

Non diu post conviva apud Simonem Phariseum mulieri peccatrici lacrymis pedes suos riganti & osculanti plenam peccatorum veniam, pacem ac sanitatem dedit, mirantibus, qui accumbebant, & intra se dicentibus: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Deinde Capharnai hominem demonium habentem, ac simul cæcum & mutum curavit, ita ut loqueretur, & videret. Ad quæ cum Pharisei apud se dicerent: *In Belzeebub Principe demoniorum ejicit demonia*, eos confutavit hoc argumento: *Si Sathanas Sathanam ejicit, quomodo stabit regnum ejus?* petentibus verò quibusdam Scribis & Phariseis signum, non aliud generationi huic malæ & adulteræ datum iri respondit, nisi signum Jonæ Prophetæ, suam nempe resurrectionem. Simul gravibus verbis denunciavit ipsis judicii divini severitatem, quod ad exemplum Ninivitarum pœnitentiam, quæ ipsis à se prædicaretur, non agerent. In media hac concione mulier de turba extulit vocem in ejus Matrisque ipsius commendationem clamans: *Beatus venter qui te portavit, & ubera, quæ susisti.* superveniente tum Matre & Cognatis ex Nazareth, ostendit, quàm carnali affinitati spiritualemente anteferebat, dicens: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater & soror & Mater est.*

Eodem adhuc die ad littus maris Galilææ è navicula ad concurrentem omnibus ex locis populum sermonem habuit; in quo cœlestis doctrinæ excellentiam declaravit variis parabolis seminantis ac feminis in diversas terræ partes dissipati, zizaniorum, semi-

Egros sanat.
Mar. 8. à v. 7.
Mar. 7. à v.
40.
Luc. 5. à v. 12.
Matt. 11. à v.
2.

Apud Simonem Phariseum prædicat.
Luc. 7. à v. 36.
Mar. 12. à v.
22.
Mar. 3. à v.
23.
Luc. 11. à v.
14. & 7. à v.
2.

E navicula docet & in patriam suam concedit.

Mat. 13. à v. 1. feminis sensim crescentis, grani sinapis, frumenti, thesauri absconditi in agro, margaritæ, & sagenæ missæ in mare, quas parabolas ubi finiit, in Nazareth patriam suam concessit, & docuit in Synagoga mirantibus civibus, unde hanc sapientiam hausisset, dicebantque: *Nonne hic est filius Joseph? nonne Mater ejus dicitur Maria?* Cæterum quod perpauca ederet miracula propter eorum incredulitatem, apertèque diceret, quod nemo Propheta acceptus esset in patria sua; audientes hæc aliæque in Synagoga irâ repleti sunt, & ejecerunt illum extra civitatem, ductumque in montem voluerunt præcipitare.

Apostolos
per Galilæam
ad prædicandum
mittit.
Mat. 10. à v. 1.
& 11. à v. 6.
Mar. 6. à v. 7.
Luc. 9. à v. 1.

Aliquanto post Apostolos, cum prius saluberrimis monitis, ac documentis eos influxisset, & contra futuras persecuciones præmunivisset, binos misit ad prædicandum cum gratia & potestate miraculorum. Interea verò dum ipse etiam Dominus Galilææ vicos & civitates circuit, ac Discipuli in vinea Domini fructus colligunt, Herodes Joannem Baptistam jussit in carcere occidi, non tam ob reprehensionem, quam ob stultam promissionem, quam fecerat filiæ Herodiadis coram se & convivis concinnè saltanti. Quo à Discipulis sepulto, cum denique fama miraculorum Christi etiam ad Herodem hætenus tum protectione Romana, tum bello Arabico distentum pervenisset, credidit Joannem à se interfectum nunc in Christo resurrexisse, & tanta opera patrare.

Quinque mil-
lia hominum
pascit in de-
serto.
Mat. 14. à v. 13.
Mar. 6. à v. 30.
Luc. 9. à v. 10.
Jo. 6. à v. 1.

Interea Apostoli à sua missione reversi sunt ad Christum, & renuntiârunt ei omnia, que egerant, & docuerant; cum quibus se mox trans mare Tiberiadis in desertum locum contulit quietis causâ. At nec ibi quiescere licuit; etsi enim ipse cum Discipulis in desertum venerit per navim; id tamen animadvertentes turbæ pedestri itinere illuc ingenti numero concurrerunt. Quos ubi vidit Jesus, *miseratus est super eos*, & cœpit illos docere multa de Regno DEI, & eos, qui curâ indigebant, sanavit. Inclinante autem die Discipulis pro tantæ multitudinis cænâ aliquâ in loco deserto sollicitis, jussit Dominus omnes in certas turmas divisos in scæno discumbere; & quinque panibus, & duobus piscibus divinitus multiplicatis quinque millia virorum exceptis mulieribus & parvulis ita refecit, ut duodecim adhuc cophini fragmentorum ex panibus superessent. ob quod insigne miraculum cum turbæ cogitarent Eum regio honore affere-

cere, fugit Ipse in montem solus, jussis Discipulis per mare redire. Itaque hi navem conscendunt. Ecce autem cum densa jam nocte in medio mari jaçantur fluctibus, haud procul à navi ambulantem supra mare JESUM vident cum horrore, putantes phantasma esse. Mox autem voce Domini animati timorem posuere; & Petrus in mare desiliens ad ipsum, vix non ob modicam fidem demersus, per aquas accessit; quocum deinde JESUS navim ascendit, & illico cessante vento ad terram Genesareth cum Discipulis appulit. Ubi postquam morbidos contactu fimbriæ suæ sanavit, Capharnaum in suam civitatem rediit, quo etiam turbæ in deserto refectæ trajecto mari Tiberiadis pervenere.

Hic Synagogam ingressus easdem de quærendo deinceps pane cœlesti monuit. Ubi & de Incarnatione sua, ac Mysterio Eucharistiæ, quod post annum erat instituturus, prolixè disseruit cum offensione quidem multorum Discipulorum, qui propter hunc sermonem abierunt retro, & societatem JESU inconsultè deseruerunt.

Incidit quidem sub hoc tempus tertium Pascha, Christus tamen Jerosolymam non ascendit. Dum verò Galilæam perambulat Jerosolymis veniunt Pharisei, & quidam de Scribis, videntesque Christi Discipulos ilotis manibus manducare contra traditionem Seniorum, eos apud Ipsum accusarunt; qui autem hypocritas vicissim acriter reprehendit de supersticiosa manuum lotionem, impiisque eorum traditionibus.

Inde in fines Tyri & Sidonis profectus filiam mulieris gentilis à dæmonio liberavit. hinc per Sidonem ad mare Galilææ reversus surdum fecit audire, & mutum loqui. Deinde in montem ascendens sequentibus Eum turbis, nec habentibus, quod manducarent, septem panibus & paucis pisciculis quatuor millia virorum extra parvulos & mulieres repetito miraculo saturavit. Dimissa verò turbâ ascendit in naviculam, & trajecto lacu venit in fines Magedan trans Jordanem. Hic Pharisei & Saducæi Ipsum adeunt, tentantque petentes rursus signum de cœlo. At Christus illis respondit ut prius, non nisi de terra, signum videlicet Jonæ Prophetæ, eis ostendendum. Postea navigans Bezaidam, monuit Discipulos, ut à fermento Phariseorum & Saducæorum, hypocrisis scilicet & prava doctrina eorum, cautè se

De mysterio Eucharistiæ disserit. Jo. 6. à v. 22.

Discipulos contra Phariseos defendit. Mat. 15. à v. 1. Mar. 7. à v. 1. Jo. 7. v. 1.

Quatuor millia virorum septem panibus refecit. Matth. 15. à v. 21. Mar. 7. à v. 24. & 8. à v. 1.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Rr

Cb.

custodiant. Bezaidæ verò cæcum altera vice impositis ipsi manibus ita illuminavit, ut primò quidem videret homines tanquam arbores ambulantes, deinde verò ut omnia clarè videret.

Filius Dei vi-
vi à Petro a-
gnosceitur.
Mar. 16. à v.
13.
Mar. 8. à v.
27.
Luc. 9. à v. 22.

Inde delatus in partes Cæsareæ Philippi, ubi Jor & Dan conjunctis aquis Jordanem efficiunt, scire petiit à Discipulis primò, quem alii homines Ipsum, deinde quem ipsi dicèrent; cum Petrus nobilem illam, celebratamque confessionem edidit, dicens: *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Ob quam vicissim promisit Dominus, se ipsum facturum petram ac caput Ecclesiæ, & daturum ei claves Regni Cælorum. Postea Passionem suam ac Resurrectionem Discipulis primò prænuntiavit. Cui cum adversaretur Petrus, severè eum corripuit. Mox coram Discipulis & turbis docuit, opus esse, ut omnes, qui salvi esse cuperent, crucem suam ferant, & se sequantur.

In monte
Thabor ut
Sol splendet.
Mat. 17. à v.
1.
& 18. à v. 1.
Mar. 9. à v. 1.
Luc. 9. à v. 28.

Post aliquot dies Petrum, Jacobum & Joannem in montem Thabor deduxit, ubi elatus super terram instar Solis emicuit Moyse & Elia latus stipante, & cum Eo loquente; tribus verò Discipulis extra se raptis, Petro præcipuè, qui quidem loquebatur, at non sciebat, quid diceret. Descendens sequenti die de monte coram turba lunaticum sive dæmoniacum hominem curavit, ejecto spiritu immundo, quem antea Discipuli frustra ejicere tentarant. Moxque iterum Apostolis Passionem suam & Resurrectionem prænuntiat; qui sublime Redemptionis mysterium nondum capientes vehementer propterea afflicti sunt. Cum venisset Capharnaum, tributum statere in ore piscis invento pro se & Petro solvi jussit. Quæ causa fuit Discipulis, ut cum jam in via disputassent, quis eorum videretur esse major, nunc domi Magistrum adirent, & quærerent, quis major esset in Regno Cælorum. Eos autem Dominus de amanda potiùs humilitate erudivit, parvulo in medio eorum ipsis in exemplum proposito. Plura deinde de scandalo pusillorum disseruit, addens etiam sermonem de correctione fraterna, atque parabolam de servo debente decem millia talentorum, à quo Dominus propter inhumanitatem in conservum repetiit dimissum jam semel debitum. Quo tempore etiam Discipulis ligandi & solvendi potestatem communiavit, addiditque, quanta sit orationis efficacia, si plures consentiant, & aliquid petant à Patre.

Post

Post hæc appropinquante festo Tabernaculorum civitatem suam Capharnaüm & Galilæam, nunquam eam nisi post Resurrectionem suam revisurus, deseruit, profectusque est in Judæam & Jerosolymam non manifestè, sed quasi in occulto. In via cum vellet divertere in urbe Samariæ, admissus non est, eò quòd iter faceret Jerosolymam. Jacobus & Joannes illud agerrimè ferentes cœlesti igne fulminandos cives censuerunt. At Dominus immodicum eorum zelum compescuit. In eodem itinere decem leprosos mundavit, in quibus unus tantum, & quidem Samaritanus inventus est, qui rediret, & daret laudem DEO.

Inchoato interim Scenopegiæ festo cum Judæi Christum in Templo non viderent, quærebant: *ubi est ille?* erantque in varios de Ipso serfus divisi; quidam enim dicebant, *quia bonus est.* alii veò dicebant, *non: sed seducit turbas.* Tandem sub medium festorum dierum venit in Templum, & multa de se & de doctrina sua disseruit. Non omiserunt Principes & Pharisei hac occasione mittere satellites, qui Christo manus injicerent. At hi divino Ejus sermone absterriti reversi sunt ad Pontifices & Phariseos, à quibus increpiti, cur Eum non adduxissent, responderunt: *nunquam sic locutus est homo sicut hic homo.* At Pharisei, vulgo imperito tantum ita videri, non item aliis, *nunquid enim, aiebant, ex Principibus aliquis credidit in Eum aut ex Phariseis?* volebat tum etiam Nicodemus Princeps partes Christi propugnare; sed malè à Phariseis acceptus est dicentibus: *Nunquid & tu Galileus es? scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.*

Cum sub vesperam reversi essent unusquisque in domum suam, JESUS egressus est in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in Templum. Dumque sedens docet populum, Scribæ & Pharisei statuunt in medio mulierem in adulterio deprehensam, ut ex Ejus sententia, quamcunque ferret, Ipsum accusandi captarent argumentum. At delusi sunt. Christus enim suspendit iudicium, rogavitque, ut qui ex ipsis hujus criminis exors esset, primus in eam lapidem jaciat. Interim autem eorum crimina exarabat in pulvere, quæ cum legissent, & eorum essent conscii, unus post alium dilapsi Christum cum rea solum reliquerunt; quam proin, à nemine damnatam, & Ipse dimisit hoc solum monens. *Vade & jam amplius noli peccare.* Pergens docere in

Iter facit in Judæam.
Mat. 19. v. 1.
Mar. 10. v. 1.
Luc. 9. à v. 51.
Jo. 7. à v. 1.

Templum adit festo Tabernaculorum.
Jo. 7. à v. 14.

Docens in Templo adulteram liberam dimittit.
Jo. 8. a v. 1.

Templi gazophylacio palam dixit, se lucem mundi esse, principium, ac DEI Filium, in cruce exaltandum, se esse, antequam Abraham fieret. Propter quæ primò quidem cum Ipso tantum altercabantur Iudæi, demum autem *tulerunt lapides, ut jacerent in Eum.* *JESUS autem abscondit se, & exiit de Templo.*

Sanat ex-
cum à
nativitate.
Jo. 9.

Egressus vidit hominem ex-
cum à nativitate. Cujus oc-
los ubi linivit luto, missum ad Natatoria Siloë videndi facultate donavit. Quod cum Sabbatho fieret, Pharisei Dominum de violato festo die criminantur; ex-
cum verò, animosè de Christo differenter multis verbis vexant, ac denique foras ejiciunt. Quo audito JESUS, cum eum invenisset, credere in se docuit; Phariseis verò, qui circa Ipsum erant, ostendit, se Ecclesiæ ostium esse, verumque, legitimum, ac bonum Pastorem, qui animam suam dat pro ovibus suis.

Discipulos
mittit per
Judæam.
Luc. 10. à v. 1.

Et ut bonus Pastor plures semper oves colligeret, designavit Dominus Discipulos septuaginta duos, præceptisque ac monitis Apostolicis instructos misit per Judæam cum potestate prædicandi & curandi infirmos, sicut antea per Galilæam destinaret Apostolos. Ipse interim cum Apostolis in alia Judææ parte populum docuit, deplorans aliquando quarundam in Galilæa civitatum Betzaidæ, Corozain & Capharnaum impœnitentiam & incredulitatem post tot virtutes, quas in iis operatus esset: *quæ si factæ fuissent in Tyro & Sidone, in cilicio & cinere pœnitentiam egissent; aut si in Sodomis, fortè mansissent usque in hanc diem.* Reversos postea Discipulos atque exultantes, quod etiam dæmonia sibi habuissent subjèta, modestiæ admonuit, & felices prædicavit, laudans simul Patrem Cœlestem, quod fidei mysteria parvulis aperuerit.

Matt. 11.
à v. 20.

Divertit
apud Mar-
tham & Mag-
dalenam.
Luc. 10. a v.
25.

Dum iter per Judæam prosequitur, subdolè rogatur à quodam Legis perito, quid faciendo vitam æternam possidere posset? Cui Dominus proposuit dilectionis DEI & proximi mandatum; quis verò sit proximus, parabolâ illius, qui descendens in Jericho inciderat in latrones, explicavit. Veniens in Bethaniam hospitio exceptus est à Martha sorore Lazari & Mariæ, quæ dum sedens secus pedes Domini audiebat Verbum Illius, Martha sollicitè ministrante dixit Dominus, Mariam optimam partem elegisse.

Discipulos

Tum rogatus à Discipulis docuit eos orare; orandique per-
leve.

severentiam parabolâ amici, mediâ nocte panem importunè pe-
tentis, commendavit. Ad Pharisei postea prandium vocatus
superfluas Phariseorum lotiones ac præposteram munditiam va-
riâque vicia infectatus est, simul ipsis & Legis peritis minas in-
tentavit sæpius repetens *ve vobis*. Post hæc coram conferto
populo Discipulos denuò monet, ab hypocrisi Phariseorum ca-
veant: constantiam in fidei confessione etiam cum mortis peri-
culo commendat: impietatem ac blasphemiam in Spiritum San-
ctum damnat. interpellatus autem à quodam rogatusque: dic
fratri meo ut dividat mecum hæreditatem, occasionem sumpsit
dehortandi ab avaritia nimioque rerum temporalium studio:
hortatus autem est ad dandam eleemosynam tanquam thesau-
rum non deficientem in cœlis. eadem in concione parabolâ ser-
vorum, Dominum à nuptiis revertentem præstolantium, expo-
suit officium fidelis servi erga venturum Dominum. Prælati
quoque singulariter præcepit, ut munia sua tanquam fidi ac pru-
dentes Dispensatores obeant.

Dum hæc aliâque tractat, affertur nuntius de occisis quibusdam à Pilato Judææ Præsidente Galilæis; ex quo Dominus an-
sam accepit docendi, agendam in tempore pœnitentiam, nec
DEI abutendum patientiâ sub parabola ficulneæ; in quâ primò,
secundò, ac terciò annò Dominus quærens fructum & non inve-
niens jussit succidi illam. Pharisei ab aliquo tempore tacue-
rant, at nunc rursus murmurare incipiunt. quodam Sabbatho
docens in Synagoga mulierem octodecim jam annis inclinatam
erexerat; cum Archisynagogus indignans & conversus ad tur-
bas *sex, inquit, dies sunt, in quibus oportet operari: in his er-
go venite, & curamini, & non in die Sabbathi*. at JESUS eum
ac asseclas ipsius egregiè repressit dicens: *Hypocrite unusquis-
que vestram Sabbatho non solvit bovem suum aut asinum à præ-
sepio & ducit adquare? hanc autem filiam Abraham, quam al-
ligavit Sathanas, non oportuit solvi à vinculo isto die Sabba-
thi? qua cum diceret, erubescerant omnes adversarii ejus.*

Tum per similitudinem grani sinapis Regni Cœlorum am-
plitudinem ita declaravit, ut tamen angustam ad illud potam
aditumque esse diceret, & præter opinionem hominum multos
repulsam iri, qui videbantur admittendi, multosque admitten-
dos & recubituros in sinu Abraham, qui videbantur expellendi,

Rr 3

signi-

orare aliâque
docet.
Luc. 11. & 12.

Mulierem
inclinatam
erigit.
Luc. 13. 2 v. 6.

Docet por-
tam ad cœ-
lum esse an-
gustam.
Luc. 13. 2 v.

Luc. 13. 2 v.
18.

significans reprobationem Judæorum & vocationem Gentium, monitus à Pharisæis Herodem ipsi insidiari, voluit ut dicerent vulpi illi, se non ab ipso, sed occisum iri, uti alios Prophetas Jerosolymæ, super cujus proinde ingratitude & ventura delolatione lamentabatur.

Curat Hydropticum.
Luc. 14.

Non diu post invitatus ac mense accubens in domo Principis Pharisæorum curavit Hydropticum Sabbatho presentibus aliis Pharisæis & Legisperitis; qui quidem observabant eum, at non poterant quippiam contra movere perturbati hoc argumento: *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbathi?* Itaque Dominus sermone alio convertit, sciensque, quod in mentis primos accubitus eligerent, per parabolam invitatorum ad nuptias docuit eos humilitatem, hortatusque est, ut potius recumberent in novissimo loco. si vero ipsi alios invitarent, docuit eos misericordiam, hortans, ut pauperes, debiles, claudos & cæcæ os ad mensam vocarent præ iis, qui vices reddere possint. cumque discumbentium unus exclamaret: beatus, qui manducabit panem in Regno DEI, addidit & parabolam ejus, qui fecit cœnam magnam, ac, quibusdam, quorum unus villam, alter juga bouum emit, alius uxorem duxit, sese excusantibus domum suam replevit pauperibus, debilibus, cæcis & claudis; quâ parabolâ ostendit, impedimenta omnia salutis aternæ esse removenda. Tum iter faciens, cum videret sequentes se turbas multas, dixit, neminem posse esse suum Discipulum, qui se non abdicet rebus omnibus etiam propriæ vitæ amore, feratque crucem suam.

Exit de manibus Judæorum.
Jo. 10. v. 22.
Mat. 19. v. 1.
Mar. 10. v. 1.

Interim appropinquabat festum Encæniorum, quod hyeme Jerosolymis celebrari solebat mense Decembri per dies octo, veluti à Juda Machabæo ordinatum fuerat. Ad hoc igitur festum cum venisset Jesus, & ambularet in Templo in porticu Salomonis, circumsteterunt eum Judæi, & *quousque, aiebant, animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* respondit, id ex operibus suis sat notum esse; ipsos autem non credere, quod ex ovibus suis non sint. ut tamen postulationi eorum satisfaceret, etiam palam dixit, se ac Patrem unum esse DEum, cum illi sustulerunt lapides, ut quasi blasphemum obruerent, at ipse *exiit de manibus eorum*, & venit in fines Judææ trans Jordanem in Bethabaram scilicet, ubi Joannes ante tres annos baptizarat; ibi-

ibique deinceps usque ad mensem Martium commoratus turbas confluentes docuit, & curavit, & *multi crediderunt in eum.*

Porro inter eos, qui illuc confluebant, erant peccatores & Publicani, quibuscum Dominus etiam manducabat. murmurantibus propterea de more Phariseis & Scribis, eis respondit tribus parabolis de ove perditâ, de drachma inventa, ac de filio prodigo; quâ ultimâ velut in speculo docuit, quàm accepta jucundaque sit DEO ac Cœlitibus peccatorum per pœnitentiam ad Patrem suum redeuntium conversio. Atque his parabolis superbiam quidem & invidiam ipsis ob oculos posuit; aliâ verò parabolâ de villico iniquitatis eorum quoque avaritiam redarguit, hortans simul ad eleemosynam faciendosque de mammona iniquitatis amicos. cum verò avari Pharisei de eleemosyna sic disputantem tantum irriderent, addidit historiam de divite Epulone ob inhumanitatem in Lazarum mendicum in inferis sepulto, & aquæ guttam clamorè inutili mendicante, qui misero micæ de mensa decedentes antea negaverat.

Secuta est cum Phariseis disputatio de Matrimonii indissolubilitate, cum Discipulis verò de continentia; in qua etiam ostendit Cœlibatum præstare Matrimonio. Deinde scandalum vitandum esse monuit, & proximo à peccato resipiscenti ignoscendum, etsi septies in die peccaverit in te. Tum, quanta sit efficacia fidei ostendit, & inutiles servos nos esse, tametsi fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis. rogatus à Phariseis, *quando venit Regnum DEI?* reposuit, adventum suum ad Judicium repentinum fore atque inexpectatum, futuram tunc longè disparerem ab hujus vitæ statu hominum conditionem. concionatus quoque est de perseverantia orationis & humilitate in ea adhibenda; idque declaravit duabus parabolis unâ de iniquo Judice & vidua; alterâ de Publicano & Phariseo in Templo orantibus: quorum ille cum humilitate orans descendit justificatus præ isto, qui se & sua opera exaltaverat.

Alio tempore cum adducerentur parvuli, ut Christus eos tangeret, Discipuli verò eos admittete nollent, *finite*, inquit, *parvulos venire ad me, imponensque illis manus benedixit eos*, docuitque Regnum cœlestis humilium esse ac parvulorum. Non multò post Adolescens Princeps & Dives in media via occurrens

Cum peccatoribus & publicanis manducat.

Luc. 15. à v. 1.

Cum Phariseis disputat de Matrimonio.

Mat. 19. à v. 3.

Mar. 10. à v. 2.

Luc. 16.

à v. 18. & 17.

à v. 1. & 18.

à v. 1.

Docet, humilium esse Regnum Cœlorum.

Mat. 19. à v.

13.

Mar. 10. à v. 13.
 Juc. 18. à v. 15.
 Matt. 20. à v. 1. ad 17.

rens flexo ante Dominum genu *Magister bone*, inquit, *quid faciendo vitam aeternam possidebo?* cui JESUS: *serva mandata*, repouente Juvene, se ea custodisse à juventute sua: *JESUS intus eum dilexit eum*, & dixit: *unum tibi deest: vade, quacunque habes, vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo*. At ille hoc audito *tristis abiit*. Christus verò ad Discipulos conversus *quàm difficulter*, inquit, *divites & confidentes in pecuniis salvantur!* Discipulis reliquis admirantibus & ad se murò dicentibus: *quis potest salvus fieri?* Petrus occasione utendum ratus: *Ecce nos ait, reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit Dominus, omnes, qui reliquerint bona temporalia propter nomen suum, centuplum recepturos in hac vita, & post hanc vitam aeternam: ipsos insuper secum judicatos duodecim Tribus Israël. multos verò primos fore novissimos, & vice versa novissimos primos. quod ut ostenderet, narravit parabolam de patrefamilias conducente Operarios in vineam suam, è quibus novissimè vocati, scilicet Gentiles in Christum credentes præferuntur Judæis primùm vocatis.

In Bethania
 Lazarum suscitavit, & fecerunt in urbem Ephrem.

Jo. 11. a v. 1.

Interea in Bethania Lazarus frater Marthæ & Mariæ aegrotabat, ut de ejus salute sorores desperarent. Igitur trans Jordanem, ubi agebat Dominus, mittunt, qui morbum fratris nuntiet. Ille autem, qui non sanare aegrum, sed mortuum excitare cupiebat, biduum distulit profectionem. at interim Lazarus mortuus jam erat ac sepultus. quod dum Ipsi haud procul à Bethania refertur, ad ipsius tumulum deduci voluit, ibique quatrimum jam aeternitatem tribus verbis extraxit vivum, eumque sororibus reddidit. Quo insigni miraculo non pauci ex Judæis, qui officii causa venerant ad Mariam & Martham, crediderunt in JESUM. aliqui verò sine mora Jerosolymam ad Phariseos properarunt, referentes tam miraculum quàm multitudinem Judæorum, qui eo convicti sese Christo adjunxerunt. Pharisei attentà rei gravitate concilium convocandum esse judicaverunt. Porro istud Præsidente Summo Pontifice Jerosolymæ componebatur ex septuaginta Senioribus seu populi Senatoribus, ex viginti quatuor Principibus Sacerdotum. & ex Scribis sive Legis Doctoribus, inter quos alii erant Pharisei, alii Saducei. Dum Romani in Judæa rerum potiebantur, Concilium poterat quidem reum mortis pronuntiare, non autem quemquam morte afficere, quod per-

tinebat ad Præsidentem seu Procuratorem Romanum. Congregati igitur *quid facimus*, inquit, *quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic: omnes credent in eum.* Demum de sententia Caiphæ Pontificis decretum est, Christum esse è medio tollendum, ne tota gens pereat, & edictum, ut si quis sciret, ubi esset, indicaret ipsis, ut apprehenderent eum. at JESUS è Bethania se subduxit & secessit in civitatem Ephrem septem ferè horis Jerosolymâ distantem, ibique morabatur cum Discipulis suis, donec à Patre cœlesti præfinitum & Paschale tempus adesset.

Tum verò assumptis secretò duodecim Apostolis se dat in viam Jerosolymam versùs, inter eundem aperiens ipsis, quæ sibi eventura essent, tradendum nempe se Principibus Sacerdotum & Scribis & Senioribus, & damnandum morte, & tradendum gentibus: illudendum, conspuendum, flagellandum, interficiendum, & tertiâ die resurrecturum. Quæ quidem præ stupore illi adeò non intelligebant, ut duo ex ipsis Jacobus & Joannes tum longè aliud cogitantes per Matrem suam ambitiosè primas in Regno Christi sedes postularent. In eodem itinere antequam ingrederetur Jericho, cœcum illuminavit. Urbem verò ingressus Zachæum Principem Publicanorum in ejus ædibus divertens convertit. urbe inter turbam multam egressus duobus cœcis oculos aperuit. Interim Apostoli Regnum DEI, quod temporale suspicabantur, Jerosolymâ, ad quam semper propjùs accedebant, brevi manifestatum iri sperabant. unde Dominus in via eis de homine nobili in Regionem longinquam ad accipiendum sibi Regnum abeunte, & interim servis suis talenta ad negotiandum dante parabolam narravit.

At demum ante sex dies Paschæ feriâ nimirum sextâ cum Apostolis sub vesperam venit in Bethaniam oppidum Jerosolymâ distans quasi stadiis quindecim. eâ nocte exceptus est à Lazaro, postero autem die Sabbathi cœnavit in domo Simonis quondam leprosi. Lazarus unus erat è discumbentibus. Martha ministrabat. Maria verò alterâ jam vice unxit pretioso unguento pedes JESU, & quod superfuit, effudit super caput ejus. Judâ propterea quasi ob prodigiam murmurante aliisque etiam Apostolis illius exemplo commotis, Christus defendit mulieris factum laudavitque, quo prævenisset ungere corpus suum in sepulturam. De hac cœna ubi vicinix innotuit, multi eò con-

Redit Jerosolymam.
Mat. 20. à v. 17.
Mar. 10. à v. 32.
Luc. 19. à v. 31. & 19. à v. 10.

Magdalena Christi pedes ungit.
Mat. 26. à v. 6.
Mar. 14. à v. 3.
Jo. 12. à v. 10.

fluxerunt non propter JESUM tantum, sed ut Lazarum viderent suscitatum à mortuis, quem ideò Principes Sacerdorum interficere cogitârunt.

Famâ autem etiam Jerosolymam delatâ, ac per totam urbem vulgatâ, Christum esse in Bethania, venturumque ad diem festum, postero die populus ei cum ramis palmarum occurrit, ac Ipse à bello insideas per viam frondibus & vestimentis stratum solumni pompâ Jerosolymam iter fecit plurimâ turbâ circumfusâ ac clamante: *Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël.* Inter lætos hos populi clamores appropinquans Jerosolymæ Ipse flevit super illam prævidens ipsius ruinam, nec mansurum lapidem super lapidem, cum verò intraret Jerosolymam, gratulabunda JESU Prophetâ à Nazareth commota est universa civitas; Pharisæis inter hæc frementibus ac ad se mutuo dicentibus: *videtis quia nihil proficimus: ecce mundus totus post eum abiit.*

Ipse verò rectâ viâ Templum ascendit, ubi cæcos & claudos sanavit, pueris interim in Templo cantare non cessantibus: *Hosanna Filio David:* indignati sunt Principes Sacerdotum & Scribæ, contra quos ut pueros defenderet Dominus, *an non, inquit, legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* aderant tum in atrio gentium quidam etiam Gentiles, qui cum JESUM videre cuperent, monitus à Philippo Dominus dixit: *Venit hõra, ut clarificetur filius hominis;* ac postea coram gentilibus imminentem mortem suam & fructum ex ea in salutem omnium hominum oriturum prædicit; cujus verba tum etiam vox è Cælo ad Ipsum delata confirmavit audiente totâ turbâ, post brevem deinde cum turba de morte sua disputationem cum jam vespera esset, rediit in Bethaniam cum duodecim

Alterâ die, feriâ nempe secundâ, revertitur Jerosolymam, in via esuriens ficulneam accessit, nihil autem in eâ inveniens præter folia maledictione arborem arefecit. Templum ingressus ementes & vendentes pro Paschate victimas rursus è Templi atrio ejecit exprobrans eis, quòd Domum DEI & orationis fecissent speluncam latronum, postea verba fecit ad confluentem populum; hoc enim tempore erat quotidie docens in templo, & cum vespera facta esset, egrediebatur de Civitate in montem, scilicet

Triumphans
Jerosolymam
ingreditur.
Mat. 21. à v. 1.
Mar. 11. à v.
1.
Luc. 19. à v.
29.
Jo. 12. à v. 12.

Clarificatur
in Templo.
Mat. 21. à v.
14.
Mar. 11. à v.
11.
Jo. 12. à v. 20.

Ementes &
vendentes è
templo ejecit.
Mat. 21. à v.
12.
Mar. 11. à v.
12.
Luc. 19. à v.
45.

scilicet Oliveti; nam ut Lucas ait c. 21. v. 37. *erat diebus docens in templo: noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.*

Feriâ terciâ manè redeuntes Jerosolyman Apostoli in via advertunt ficulneam à radicibus arefactam. quod cum miraretur Petrus, docuit Dominus, quanta vis esset fidei & orationis, ita ut illà etiam montes è terra transferantur in mare, hac verò, quidquid petitur, obtineatur. ubi venit in templum & populum docuit, circumsteterunt eum Principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores populi quærentes, qua potestate hæc faceret, ejiceret scilicet vendentes de templo, permetteret sibi à turbis acclamari &c. at Dominus ipsis os obstruxit istud interrogans: an Baptismus Joannis de Cælo fuerit an ex hominibus? ad quod cum respondere timentes dicerent: nescimus; JESUS, *neque ego, ajebat, dico vobis, in qua potestate hæc facio.* addidit etiam parabolam hominis, qui habebat duos filios, quorum alter verbo inobediens fuit & dixit: nolo ire in vineam, & tamen postea abiit: alter autem inobediens fuit facto, dixit enim: eo, & non ivit. Huic subjungit parabolam de Patrefamilias locante vineam Agricolis, qui non tantum servos Domini malè tractârunt, sed & filium ejecerunt extra vineam & occiderunt. quibus cum se perstrictos sentirent, voluerunt in eum manus mittere, sed populi metu abstinerunt; nam universâ turba mirabatur super doctrinâ ejus.

Tertiam parabolam adjecit de homine Rege, qui fecit filio suo nuptias. ad quas cum invitati nolissent venire, loco eorum obvios quosque per servos suos convocari jussit, donec impletæ sunt nuptiæ discumbentium inter quos autem unus, qui non habebat vestem nuptialem, missus est in tenebras exteriores; quâ parabolâ Dominus indicare voluit, reprobationem Judæorum & vocationem gentium: addens in fine: multi sunt vocati, pauci verò electi.

Inter hæc Pharisei odio flagrantes cum Herodianis consiliis inierunt illaqueandi Christum captiosis quæstionibus, ut sic populo etiam ipso probante possent apprehendere & tenere eum. primò ergò nequiter quærunt, liceatne census dare Cæsari an non? ad quod Dominus ita respondit, ut confusi abirent. Post hæc Sadducæi de resurrectione mortuorum, & quid de septem

Duabus parabolis Judæos perstringit. Mat. 21. à v. 20. Mar. 11. à v. 20. & 12. à v. 1. Luc. 20. à v. 8.

Parabola de homine Rege. Mat. 22. à v. 1. Mar. 12. à v. 13. Luc. 20. à v. 20.

Varias quæstiones dissolvit. Mat. 22. à v. 15. Mar. 12. à v. 13. Luc. 20. à v. 20.

fratribus unius uxoris viris post hanc vitam futurum sit, quæstionem afferunt. quam Dominus ita dissolvit, ut dicerent: *Magister benè dixisti.* Pharisei audientes, quòd silentium impolisset Sadducæis, rursus adsunt, & unus ex eis Legis Doctor tentans eum de magno Legis mandato interrogat. quo explicato hæc à Scriba Dominus verba expressit: *benè, Magister, in veritate dixisti.* Tum verò vicissim Christus petiit à congregatis Phariseis, sibi quoque responderent, ac dicerent, cujus filius esset Christus? cui quæstioni cum Incarnationis divinæ ignari satisfacere nequirent, *non ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

Phariseorum
vitia detegit.
Mat. 23. à v.
85.

At sic desperatam videns Phariseorum correctionem oratione ad turbas & ad Discipulos suos conversa hortatus est, ut Scribarum & Phariseorum doctrinam quidem & præcepta sequantur, nequaquam verò vitia eorum & mores depravatos; ut qui dicunt & non faciunt: imponunt onera gràvia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere; volunt ambulare in stolis, amant salutationes in foro, & vocari Magister: amant primas Cathedras in Synagogis, primos discubitus in conviviiis, devorant domos viduarum sub obtentu proluxæ orationis. Tum in ipsos Scribas & Phariseos severiori, quàm unquam, objurgatione invecus octies eis maledictionem leuæ interminatus est; nempe, quòd claudant Regnum Cælorum ante homines: quòd comedant domos viduarum: quòd, dum faciunt unum Profelythum, faciant eum filium gehennæ: quòd juramentum per templum, altare, vel Cælum pro nullo habeant: quòd graviora legis negligant, leviora sectentur, cum tamen oporteat hæc facere & illa non omittere: quòd mudent quod deforis est, intus autem sint pleni rapina & immunditia: quòd similes sint sepulchris dealbatis, appareantque foris justis, intus autem pleni sint hypocrisis & iniquitate. demum quòd exemplo Patrum suorum missos ad se prophetas occidant, crucifigant, flagellent in Synagogis & persequantur de Civitate in Civitatem. Ita quidem in Phariseos & Scribas; erga Jerosolymitanos Cives autem ad extremum Invektivæ commiserationem ostendit, quòd paternam suam erga ipsos sollicitudinem neglexerint ad suam ruinam. Videns postea inter alios dona sua offerentes mittentesque in Gazophylacium pauperem viduam, quæ injiciebat duo

solu.

solumodò minuta, eam plus omnibus dedisse discipulis affirmavit. Marc. 12. à v. 41. Luc. 21. à v. 1.

Tandem egressus de templo dum pergit cum duodecim in montem Oliveti, respicientibus Apostolis in via & magnificentiam templi admirantibus, luctuosam tam templi quàm urbis everisionem eis prædixit. ubi verò in montem Oliveti pervenit, Apostolis tantæ cladis tempus & signa scire cupientibus, sedens longum de futurâ Judæorum calamitate tanquam figurâ rem figuratam res nempe Justorum adversas, usque ad finem mundi significante, de secundo suo ad Judicium adventu, de Antichristo, rebûsque novissimis sermonem instituit. Et primò quidem signa prævia & communia excidio urbis & orbis universi exposuit, deinde attulit signa propria everisionis Jerosolymæ, monens Pseudo-Prophetis non habendam fidem. tertio signa propria excidii orbis, & extremi Judicii prænuntiavit, inferens inde vigilandum esse omnibus in hac vita, maximè autem viris Apostolicis & Ecclesiæ Prælati, ne dies Illa quasi dormitantes imparatos obruat. atque hanc vigilandi necessitatem tum parabolâ de decem Virginibus tum alterâ de distributis à Domino inter servos suos talentis ostendit. demum quàm severum judicium facturum, quàmque sententiam pro bonis & contra improbos sit laturus, apertissima oratione pronuntiavit.

Hos sermones omnes cum consumasset, denunciavit Discipulis, post biduum fore Pascha seque traditum iri Judæis ut crucifigeretur. Porro per duas has ferias mansit in Bethania neque ultra ad docendum in templum ascendit. Interim autem feriâ quartâ in atrium Summi Pontificis Cajphæ Principes Sacerdotum Scribæ & Seniores convocati consultarunt, *quomodo Jesum dolo tenerent & occiderent*. Hujus conventus & Consilii non ignarus unus de duodecim, in quem Satanas intraverat, Judas Jerosolymam petiit, suamque Principibus Sacerdotum ad id operam pro pretio obtulit. Læti tam idoneo proditore triginta argenteos sive siclos ei constituunt. *quibus contentus quarebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis*.

Feriâ quintâ, quâ ob decimam quartam Lunæ mensis Nisan comedendus erat Agnus Paschalis, Dominus Jerosolymam misit Petrum & Joannem, ut Agnum, panes azymos, aliâque pararent in Cœnaculo, quod grande ac stratum Civium aliquis ac Domi-

Sermonem
habet de re-
bus novissi-
mis.
Mat. 24. &
25. à v. 1.
Mar. 13. à v. 1.
Luc. 21. à v. 5.

Venditur à
Juda.
Mat. 26. à v.
1. ad 6. & à
v. 14. ad 17.
Mar. 14. à v.
1. ad 3. & à
v. 10. ad 22.
Luc. 22. à v. 1.
ad 7.

Agnum Pa-
schalem edit.
Mat. 26. à v.
17.

Mar. 14. à v.
12.

Luc. 22. à v. 7.

Mat. 26. à v.
25. ad 36.
Mar. 14. à v.
18. ad 32.
Luc. 22. à v.
15. ad 39.
Jo. 13. à v. 1.
Eucharistiam
instituit.

nus Domûs, ipsis descriptæ, in hunc finem oblaturus esset, quod cum illi exactè fecissent, vespere facto cum duodecim venit Jerosolymam. Igitur Agnum tanquam Paterfamilias prius sacrificavit, eoque mox affato, post Solis occasum discumbens cum duodecim Pascha comedendo Agnum celebravit.

Post esum Agni figuræ veritatem sufficere volens & magnum Eucharistiæ mysterium instituere, turrexit à Cœna, politisque vestimentis ac missâ in pelvim aquâ lavit pedes Discipulorum, & linteo, quo erat præcinctus, extersit, quo humilitatis & charitatis exemplo tradito, simulque indicata puritate animi, quacum sumenda esset Eucharistia, eam solennibus verbis conficit, consecrat, distribuitque omnibus discumbentibus, præcipiens, ut in posterum idem in sui memoriam facerent, quo sacro epulo peracto cœnare pergens se traditum iri Judæis affirmat ab uno, qui secum mensæ acumberet, singulis de se sollicitis illum soli Joanni, intinctum panem Judæ præbendô, indicavit, qui mox acceptâ buccellâ à cœnaculo & Apostolorum Collegio obstinata mente discessit plena jam nocte; reliquis Apostolis, quid ageretur, non advertentibus; & rursus, quod Christus post Judæ abitum se clarificatum esse & adhuc clarificatum iri diceret, importunè de Primatu & quis eorum videretur esse major, super mensam contendentibus. quam autem disputationem propositâ suâ humilitate, qua inter eos esset, sicut qui ministrat, discussit; addiditque communi ipsos omnes honore judicatos secum duodecim Tribus Israël, sessurosque deinde super mensam suam in Regno suo. postea de suo discessu sermonem inferens *Filioli*, inquit, *adhuc modicum vobiscum sum*, novumque eis mutua dilectionis mandatum dedit. Petro scire volente, quò vaderet; nec ipsum, nec cæteros nunc quidem secum venire posse respondit. urgente autem Petro, quare non se plane paratum cum Ipso & in carcerem & in mortem ire; ipsi apertis verbis prædixit, se ea adhuc nocte, antequam gallus bis cantaret, ter ab ipso negatum iri.

Confirmat
Apostolos &
pro his Patrem
rogat.
Jo. c. 14. c. 15.
c. 16. c. 17.

Quo dicto cum Petrus, & cæteri decem, qui eadem cum Petro pollicebantur animosè, vehementer perturbarentur, intulit sermonem longum ad eos consolandos, & contra imminens crucis scandalum confirmandos; quem denique terminavit his verbis: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici*

mun.

mundum. Sublevatis deinde in Cœlum oculis orationem habuit ad Patrem, quâ suos illi commendavit, ut ab eo protegantur, & sanctificentur. Nec pro eis tantum rogavit, sed & pro iis, qui deinceps per ipsorum prædicationem in Ipsum erant credituri.

Demum hymno gratiarum actionis dicto domo, in quâ cœnatum fuerat, & civitate egressus, relictis trans torrentem Cedron in villa Gethsemani reliquit Apostolis cum Petro, Jacobo, & Joanne ad montem Oliveti pro more perrexit. Hic comitibus orare jussis, at mox præ tristitia dormientibus, Ipse, quantum est jactus lapidis, progreditur; positisque humi genibus, ac demum procidens in faciem suam super terram, tristitia, pavore, radio mirum in modum afflictus, semel, iterum, tertio orat, ut transeat ab Ipso calix amarissimæ Passionis. Apparuit Illi quidem Angelus de Cœlo confortans Eum, in hac tamen agonia factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Interim tres Discipuli dormiebant, quos tamen secum vigilare voluerat, & orare, ut non intrarent in tentationem, ita enim dormientes primo, ac secundo eos accedens invenit. cum autem nunc tertio ab oratione venisset ad eos, ecce adventat Judæ Ductore Tribunus cum cohorte militari & Ministris Judæorum.

Ex osculo Judæ agnoverunt quidem Jesum; at cum contra eos progredere, rogans, quem quærent, ad unum prosternuntur omnes in terram. Mox autem verbo eos erigit, luisque abire permittis, sui capiendi potestatem facit. capitur ergo, frustra que resistente Petro ligatus ac per torrentem Cedron reductus Jerosolymam ingenti tumultu à furentibus trahitur. ac primo quidem per noctis tenebras honoris & gratulationis causa captivus ducitur ad Annam, unum ex Principibus Sacerdotum, & Socerum Caiphæ; inde ad ipsum Pontificem, in cujus domo Principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores congregati erant. Hic coram omni Concilio à Summo Pontifice interrogatur de Discipulis & doctrina sua; à villi servo percutitur; à fallis testibus accusatur; à Pontifice per DEum vivum adjuratur; ut dicat, an sit Christus Filius DEI; blasphemus, ac reus mortis per tumultum proclamatur. Latâ iniquissimâ sententiâ solutoque Concilio per reliquum noctis tempus usque ad primam

Christi in horto agonis.
Mat. 26. à v.
30. ad 48.
Mar. 14. à v.
26. ad 44.
Luc. 22. à v.
39. ad 48.
Jo. 18. à v. 1.
ad 4.

Capitur & ducitur primo ad Annam, deinde ad Caipham.
Mat. 26. à v.
48.
Mar. 14. à v.
44.
Luc. 22. à v.
48.
Jo. 18. à v. 4.
ad 28.

nam diei horam a satellitibus indignissimis tractatur modis, illuditur, conspuitur, colaphis palmisque velatâ facie percussus rogatur insolentissimè; *prophetiza nobis Chryste, quis est qui te percussit; & alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Interea Petrus ter Dominum in atrio Pontificis negavit, & primum ad secundum galli cantum respicit aspectu Domini tactus; tunc enim egressus foras flevit amarè.

Nunc ad Prætorium.
Mat. 27. à v. 1. ad 11.
Maa. 15. v. 1.
Luc. 22. à v. 66. & c. 23.
v. 1.

Primâ luce feriæ sextæ, quæ erat primus dies Azymorum seu Solemnitatis Paschalis, rursum in domo Pontificis adsunt omnes Principes Sacerdotum cum Senioribus & Scribis & universo Concilio, ut JESUM, quem nocte jam mortis reum pronuntiârant, nunc morti traderent. Iterum ergo coram Concilio, an Christus & Filius DEI esset, interrogatus cum diceret, *quia ego sum*, illi satis se instructos rati ad accusandum eum apud Pilatum, vinctum ad Prætorium seu ad domum ipsius adduxerunt; quod videns Judas, conscientiam sceleris victus argenteis triginta unâ cum spe salutis in Templum abjectis, laqueo infelicem vitam clausit.

Mittitur ad Herodem, & reducit ad Pilatum.
Mat. 27. à v. 31.
Mat. 15. à v. 2.
Luc. 23. à v. 2.
Jo. 18. à v. 28.

Ubi ad Prætorium perventum est, JESUS quidem ductus est intrò, Principes autem Sacerdotum, Scribæ & Seniores cum reliqua Judæorum turba ante fores manserunt, ne ex ingressu domus Gentilis immundi postea non possent cibis Paschalibus vesci. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, auditurus accusationis capita. Illi tribus maximè criminibus Christum onerant. *Hunc invenimus, ajunt, subvertentem gentem nostram; & prohibentem tributa dare Casari, & dicentem se Christum Regem esse.* His auditis regressus in Prætorium Pilatus stante coram se JESU illud præcipuè urgebat, an Rex esset? ad quod respondit, omnino se Regem esse: cæterum Regnum suum non esse de hoc mundo. Facile intellexit Pilatus innocentem esse Christum. iterum ergò prodivit ad Judæos, nullumque à se in accusato crimen deprehendi palam dixit. Illi contra: *commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilea usque huc.* Galilæam audiens quæsit, num Galilæus & de Herodis potestate esset; cumque id circumstantes affirmassent, misit Christum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus; ut sic ipsum liberaret, vel certè se ab hac causa expediret. Herodes interrogabat quidem ipsum multis sermonibus, & Principes Sacerdotum ac Scri-

Scribæ constanter accusabant; at neque ad Illius interrogata, neque ad horum accusationes quicquam respondit; ut denique quali amens propter silentium contemptus & veste alba indutus ab Herode ad Pilatum remitteretur, qui isto erga Herodem officio id saltem consecutus est, ut ipsi, antea inimico, reconciliaretur.

Reductus ad Prætorium à Principibus Sacerdotum, & Senioribus denuò accusatur in multis, à Pilato verò urgetur, ut ad tanta ipsi objecta crimina respondeat. sed nec Præsidi nec acculatoribus respondit ad ullum verbum, ita ut miraretur Præsides vehementer, Sciensque quòd per invidiam tradidissent eum Summi Sacerdotes, alteram ejus liberandi viam tentat. Habebat populus Judaicus festo Paschatis die concessum à Romanis privilegium, quo poterant captivo alicui libertatem exorare apud Præsidem; ac iste necesse habebat dimittere eis, quemcunque petissent. Igitur proponit ipsis duos JESUM, & Barabbam, merito credens petituros JESUM præ latrone, qui primùm nuper in seditione quadam fecerat homicidium. at Principes Sacerdotum & Seniores sollicitè hortati sunt populos, ut peterent Barabbam, JESUM verò perderent. Itaque petunt virum homicidam donari sibi, Authorem verò vitæ à tergiversante Præside iteratò ac tertio elatioribus semper vocibus crescentèque tumultu ad mortem crucemque deposcunt.

Pilatus hac quoque spe delusus Christum flagellis immaniter cædi jubet, ut vel sic misericordiâ moti toto corpore laceratum vitâ saltem donent. præterea milites flagellatione non contenti Dominum in atrio Prætorii velut scenicum Regem chlamyde coccineâ, coronâ spineâ, sceptro arundineò, sputis & verberibus, aliisque indignissimis modis & cruciant & ludificantur; quo tamen factò Pilatus aliud à barbaris hominibus non consecutus injuriis ac cruciatibus ultimum innocentis supplicium tantumodò accumulavit.

Cum enim Dominus ita flagellis cæsus, ut à planta pedis ad verticem non esset in eo sanitas, colaphis lividus, sputis deformatus, portans coronam spineam à Pilato foras produceretur, ut tam horrido spectaculo invidiam odiùmque Judæorum placaret, ac frangeret; illi nihilò mitiores adeò commoti non sunt, ut potius efferati, præcipuè Summi Sacerdotes & Ministri, con-

Sacra Veterum Temp. Histor.

T r

cla-

Mat. 27. à v. 15.
Mar. 15. à v. 6.
Luc. 23. à v. 17.
Jo. 18. à v. 38.
Barrabæ postponitur.

Mat. 27. à v. 26.
Mar. 15. à v. 15.
Jo. 19. à v. 1.
Laceratur flagris & spinea corona ac purpura exornatur.

Damnatur à Præside.
Jo. 19. à v. 4.

clamarent: crucifige, crucifige Eum. Necdum tamen his clamoribus dehortante & propria conscientia & uxore ad ferendam sententiam motus, acciperent Eum ipsi, aiebat, & crucifigerent, se plane nullam in Eo invenire mortis causam. cumque instarent, secundum leges suas debere mori, quia Filium DEI se fecit, adhuc magis timens vocatum intra Palatium novo examini subjecit, ac unde esset, interrogavit. ad quod licet JESUS responsum non dederit ei, de novo tamen querebat dimittere eum, quod Judæi animadvertentes conclamarunt: *si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* hoc demum ariete victa est constantia Pilati. cum enim audisset hos sermones, adduxit foras JESUM sedique pro tribunali. Antequam tamen ferret mortis sententiam, ultimo flectere tentavit animos Judæorum dixitque: *Ecce Rex vester!* clamantibus vero illis, *tolle tolle crucifige eum:* Pilatus, an igitur vellent, inquiebat, ut Regem ipsorum crucifigeret? reposuere summi Sacerdotes: *non habemus Regem nisi Casarem.* Denique videns quia nihil proficeret, ablutis prius coram populo manibus suam & Christi innocentiam contestatus, *Mat. 27. v. 26. Mar. 15. Luc. 23. v. 24. Mat. 27. v. 37. Mar. 15. v. 26. Luc. 23. v. 38. Jo. 19. v. 19. tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* ut autem de mortis ejus causa omnibus publice constaret, eam scripsit Hebraicè, Græcè & Latine in tabula, quam postea Cruci supra caput Christi appendi jussit. In hac porro scripta erat hæc causa sive titulus: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum.*

Ducitur in
montem
Calvariz.
Mat. 27. à v.
31. ad 33.
Mar. 15. à v.
20. ad 22.
Luc. 23. à v.
26. ad 33.

Ita traditus potestati Judæorum exiit chlamyde purpurea, indutusque suis vestimentis à Palatio Pilati ducitur in locum haud procul distantem, ubi parata jam Crux lignea ipsum expectabat. quæ humeris ipsius imposita inde bajulans suam Crucem cum duobus latronibus sequente multa turba populi & mulierum per urbem ad locum supplicii educitur. In via cum nocturnis diurnisque tormentis fractus Dominus sub ingenti pondere fatisceret, hominem venientem de villa sua Simonem nomine patriam Cyrenæum coegerunt *Crucem portare post JESUM.* In eadem viâ plangentibus mulieribus eumque lamentantibus, subinde conversus ad illas: *nolite, inquit, filia Jerusalem flere super me, sed super vos ipsas flere, & super filios vestros.*

Ut tandem per viam, ultra mille passus à Palatio Pilati longam, in Calvariæ montem perventum est, post vinum myrrhâ & felle mistum primoribus labiis degustatum detractis vestimentis Cruci clavis manibus pedibusque crudeliter affixus erigitur. id factum est circa horam meridianam, sive ab ortu Solis, æquinoctiali illo tempore, sextam. ad majorem infamiam pependit medius inter duos latrones. vix autem Servator in Cruce exaltatus fuerat, *Mar. 15. v. 33 & Luc. 23. v. 44. 45.* ecce Luna tunc plenâ ingenti miraculo obscuratus est Sol, & tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam. pendens verò innocens JESUS pro crucifigentibus se oravit: *Pater, inquit, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.*

Interim quatuor milites, qui sedentes servabant eum, inter se dividerunt vestimenta Domini. jamque erant in eo, ut tunicam in quatuor secarent partes. at ubi animadverterunt, eam esse inconsutilem, & desuper contextam per totum, forti integram reliquerunt.

Judæi, qui magno numero adstantes vel prætereuntes tragœdiam spectabant, lectô titulô vehementer offensi sunt, adeò ut quidam de summis Sacerdotibus properarent mox ad Præsidem, monerentque, titulum potius ita scribi juberet: *quia ipse dixit: Rex sum Judeorum.* at repulsi sunt; respondit enim Pilatus: *quod scripsi, scripsi.*

Illud stupendum, tam horrendi supplicii spectatores ullâ pendenti commiseratione adeò non commotos fuisse, ut ipsum etiam blasphemias impeterent, dicerentque: *vah qui destruis templum DEI, & in triduo readificas: salva te metipsum: si filius DEI es, descende de Cruce.* Principes Sacerdotum præcipue cum Scribis & Senioribus acerbè deridebant eum dicebantque ad se mutò: *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israël est, descendat nunc de Cruce. & credimus ei.* quorum exemplum imitatus alter latronum ipse quoque dicebat: *si tu es Christus: salvum fac te metipsum & nos.* Socius verò objuratò blasphemò meritis est à Christo audire; *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Inter hæc stabat juxta Crucem Mater JESU cum Joanne Maria Cleophæ, & Maria Magdalene; quas cum vidisset JESUS de Cruce, Matrem Discipulo commendavit, & Discipulum vicissim

Mat. 27. v. 33. & 34.
Mar. 15. v. 22. 23. 24.
Luc. 23. v. 33. 34.
Affigitur Cruci, & pro crucifigentibus orat.

Milites dividerunt sibi vestimenta.
Mat. 27. v. 35. & 36.

Mar. 15. v. 24.
Luc. 23. v. 34.
Jo. 19. v. 23. & 24.
Judæi frustra petunt mutari titulum.

Jo. 10. v. 20. 21. 22.
Deridetur in Cruce.
Mat. 27. à v. 39. ad 45.
Mar. 15. à v. 29. ad 33.
Luc. 23. à v. 35. ad 44.

Loquitur ad Matrem & Joannem.

Jo. 19. v. 25.
26. 27.

cissim Matri his verbis: *Mulier ecce filius tuus; & Ecce Mater tua.*

à DEO derelictum se queritur.

Mat. 27. à v.

46. ad 50.

Mar. 15. à v.

34. ad 37.

Aceto potatur.

Mat. 27. v. 48.

Mar. 15. v. 36.

Jo. 19. v. 29.

& 30.

Non diu post cum jam tres ferè horas diros Crucis pertulisset cruciatus, in summa desolatione cordis à Patre se derelictum lamentatur voce magnâ dicens: *DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me?*

Demum exhaustus sanguine ac viribus non tam ut sitim restingueret, quàm ut Scriptura impleretur, dixit: *sitis.* quod cum audissent circumstantes, unus ex iis spongiam in vase jam parato implevit aceto, infixamque arundini admovit ori ejus.

Sumptâ amarâ potionem dixit: *consummatum est, Spiritumque suum Patri sonorâ voce commendans inclinato capite hora nona expiravit feria 6. mensè Martio circa æquinoctium Anno mundi 4029. Æræ vulgaris 29. Juliano 74. natus annos 33. menses proximè tres.*

Moritur.

Mat. 27. v. 50.

Mar. 15. v. 37.

Luc. 23. v. 46.

Jo. 19. v. 30.

Prodigia in

morte Christi.

Mat. 27. v. 51,

52. 53.

Mar. 15. v. 38.

Luc. 23. v. 45.

Centurio

agnoscit eum

esse filium

DEI.

Mat. 27. v. 54.

55. 56.

Mar. 15. v. 39.

40. 41.

Luc. 23. v. 47.

48. 49.

Tunc quidem Sol rursus dedit lumen suum terræ, quo tribus horis Christo patiente caruerat. at mox crebrescunt alia prodigia. nam velum templi, quo tegebatur oraculum sive Sanctum Sanctorum, sponte suâ bifariam discissum est à summo usque deorsum; & terra mota est; & petræ scissæ sunt; & monumenta aperta sunt; è quibus corpora Sanctorum, qui scilicet in fide Messia & in charitate DEI mortem olim obierant, post Christi resurrectionem in testimonium ejus ab Inferis excitati resurrexerunt, & *venerunt in Sanctam Civitatem & apparuerunt multis.*

Videns itaque morientem, & quæ post mortem Jesu fiebant, Centurio, & qui cum eo erant custodientes Jesum, animò commoti pro Christi innocentia luculentum testimonium perhibuerunt, *verè, inquires, Filius DEI erat iste.* reliqua verò turba Judæorum, qui tum ad spectaculum adhuc aderant, percussantes pectora sua reversi sunt in urbem. longè majori luctu ac incredibili dolore perfusi fuerint *omnes noti ejus, multaq; mulieres, quæ secuta eum erant à Galilæa, à longe stantes & hæc videntes.*

Lancèa latus

jeus aperitur.

Jo. 19. v. 31.

32. 33. 34.

Interim Judæi solliciti, ne sequenti magno Sabbatho remanerent in Cruce corpora, rogaverunt Pilatum, ut ad mortem accelerandam frangerentur pendentium crura. missi sunt ergo milites, at eum viderent Jesum, latronibus adhuc cum morte lu-

Anti-

stantibus, jam mortuum, non fregerunt ejus crura. tum unus militum sive ad melius explorandam sive ad plenè perficiendam Christi mortem, lancea latus ejus aperuit sanguine simul & aquâ inde decurrente.

Sub vesperam adsunt duo Illustres viri Joseph & Nicodemus, qui obtenta à Pilato facultate sacrum Christi Corpus de Cruce deposuerunt; copiosèque aromatibus delibutum, & munda sindone ac linteis involutum honorificè sepelierunt in vicino monumento novo, in quo nondum quisquam positus erat, quodque Joseph exciderat in petra; Maria Magdalene & Maria Joseph contra sepulchrum sedentibus, & situm funeris observantibus, ut transacto Sabbatho prima luce, & ipsæ cum paratis interea aromatibus & unguentis illuc venirent, & ungerent Corpus Jesu; quod tunc temporis angustia facere non permittebant.

Postero Sabbathi die Principes Sacerdotum & Pharisei annuente Pilato sepulchrum Domini militari custodia lapidèque ei impositum sigillo muniunt, veriti scilicet, ne fortè venirent Discipuli ejus & furarentur eum, dicerentque plebi: *surrexit à mortuis; essetque adeo novissimus error peior priore.*

Sed inanis fuit hæc cura. Nam cum Domini Corpus tota Sabbathi die cum duabus noctibus jacuisset in sepulchro, anima verò ejus in receptaculis subterraneis apud Patres aliòsque in gratia DEI defunctos versata esset, summo mane diei sequentis seu Dominicæ resumpto glorioso nunc corpore clausò licèt monumento egressus est. cumque postea Angelus descendens de Cælo facto terræ motu revolutò lapide monumentum aperuisset, *præ timore ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Quæ omnia cum ad se & in civitatem reversi narrassent Principibus Sacerdotum, hi inuito cum Senioribus consilio pecuniam copiosam dedere militibus hortantes, ut in vulgus spargant, se dormientibus Discipulos ejus nocte venisse, corpusque furatos esse. neque propterea sibi à Pilato timent, se enim pro ipsis Illi rationem reddituros, & ipsis securitatem præstituros. id quod milites accurratè fecerunt populo Judaico imponentes.

Primâ ejusdem diei luce festinatò veniunt ad monumentum Maria Magdalene sociæque mulieres cum aromatibus & unguentis, ut ungerent corpus JESU; vidèntque revolutum jam

T t 3

lapi-

Sepelitur.

Mat. 27. à v.

57. ad 62.

Mar. 15. à v.

42. ad finem.

Luc. 23. à v.

50. ad finem.

Jo. 19. v. 38.

ad finem.

Sepulchrum

custoditur.

Mat. 27. à v.

62.

Resurgit;

Mat. 28. v. 2.

3. 4. v. 11. &

13. 14. 15.

Apparec-

Magdalene

& sociis mu-

lieribus.

Mat. 28. à v. 5.
ad 11.
Mar. 16. à v.
2.
ad 12.
Luc. 26. à v. 1.
ad 13.
Jo. 20. à v. 1.
ad 19.

lapidem, de quo in via sollicitæ erant ad se mutuo dicentes: *quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?* intrant ergo, at loco corporis Domini inveniunt consternatæ Angelum in forma Juvenis sedentem in monumento; qui autem eas sine timore esse jussit, referréque Petro ac Discipulis, Dominum surrexisse, ostendens locum, ubi positus erat. recurrunt igitur in urbem pavore & gaudio plenæ, visaque omnia & audita undecim Apostolis & cæteris omnibus referunt; ac Magdalena cum animo esset perturbata inter alia Petro & Joanni queritur: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* Has mulierum narrationes habuerunt Apostoli sicut *deliramentum* & non crediderunt. Petrus & Joannes nihilominus surgunt & festinant ad monumentum Magdalena & socias sequentibus, ingressi vident lintheamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput Domini, separatim involutum in unum locum. Petrus ubi omnia sollicitè perlustravit rediit cum Joanne in urbem lectum mirans, quod factum fuerat. Cæteris quoque mulieribus in urbem revertentibus Magdalena ad monumentum hærenti & ploranti post B. Virginem Matrem, quam, ut par est credere, primò redivivus consolatus est, primùm sub forma Hortulani apparet. Nec multò post rursus eidem reliquisque feminis in itinere conunctis se videndum exhibet, easque salutat, monens, dicerent Fratribus suis, ut eant in Galilæam, ubi ipsi quoque se visuri essent.

Apparet Simoni & aliis Discipulis.
Mar. 16. v. 12.
3. 14.
Luc. 24. à v.
3. ad 44.
Jo. 20. à v. 19.
ad 24.

Verùm bonus Dominus istud Discipulis gaudium tamdiu non distulit. nam eodem statim die apparuit Simoni Petro duobus Discipulis euntibus in Emmaus, qui cum eadem die ad vesperam reversi Jerosolymam congregatis in Coenaculo Apostolis narrarent visum à se Dominum & agnitum in fractione panis, ecce supervenit Dominus januis ob metum Judæorum clausis, & stetit in medio Discipulorum, eosque salutans de resurrectione sua certiores fecit, manus pedesque videndos ac palandos præbuit, coram illis cibum, partem scilicet piscis assi & favum mellis sumpsit, & divinam potestatem remittendi retinendique peccata illis concessit his verbis: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Aberat

Aberat tum Thomas, cui postea venienti licet omnes affirmarent, Dominum adfuisse, noluit tamen credere, nisi ipse videret in manibus Domini fixuram clavorum & digitum mitteret in locum clavorum, & manum mitteret in latus ejus, donec octavo post die in idem Cœnaculum januis clausis rursus ingressus Dominus coram Discipulis incredulum latere aperto & plagarum cicatricibus ostensis ab infidelitate sanavit, roboravit & consolatus est.

Post dies azymorum transactos abierunt Discipuli in Galilæam, prout à Domino jussi fuerant per mulieres; ubi Petro cum sex aliis Discipulis in mari Tiberiadis piscanti stans in litore tertio apparuit; ac post captam ingentem vim magnorum piscium, paratum ex piscibus super prunas positus & pane prandium eum ipsis in eodem litore sumpsit.

Sumptò prandiò deambulans cum Discipulis JESUS dicit Simoni Petro: *diligis me plus his?* dicit ei: *etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Dicit ei: *pasce agnos meos.* Dicit ei iterum: *Simon Joannis diligis me?* ait illi: *etiam Domine, tu scis quia amo te.* Dicit ei: *pasce agnos meos.* Dicit ei tertio: *Simon Joannis amas me?* contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: *amas me.* & dixit ei: *Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te.* Dixit ei: *pasce oves meas.* quibus verbis Petro supremum Ovile sui sive Ecclesiæ universæ creavit Pastorem, juxta promissionem ei factam, *Matth. 16. v. 18. & 19.* simul eum de morte Crucis subeunda præmonuit.

Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul in monte, qui Thabor fuisse creditur. & hæc apparitio fuerit celeberrima illa ab Angelo Mat. ult. v. 7. Mar. ult. v. 7. & ab ipso Christo Mat. ult. v. 10. promissa. Demum quadragesimo à resurrectione die visus est Apostolis in Judæam & Jerosolymam reversis, dum recumbunt in consueto cœnaculo.

Atque ita *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, non continuè sed per intervalla, apparens eis & loquens de regno Dei.* In his congressibus dedit ipsis potestatem remittendi ac retinendi peccata: constituit Petrum omnium suarum ovium in Ecclesia Pastorem: affirmavit datam sibi omnem potestatem in Cœlo & in terra: necesse fuisse impleri omnia, quæ scripta sunt in lege

Moy;

Apparet Discipulis præsentem etiam Thomam.
Jo. 20. à v. 24. ad 30.

Apparet Discipulis piscantibus.
Jo. c. 21. à v. 1. ad 15.

Petrus creat Pastorem Ecclesiæ.
Jo. 21. à v. 15. ad 20.

Apparet quingentis.
1. Cor. 15. v. 6.
Mar. 16. v. 14.
Luc. 24. v. 50.

Instruit & destinat Apostolos in mundum universum.
Mat. 26. à v. 16.

Mar. 16. 2 v.
14.
Luc. 24. 2 v.
45.
Act. 1. v. 2. 4.
5.

Moyſis, & Prophetis & Pfalmis de Ipſo: oportuiſſe ipſum pati & ita intrare in gloriam ſuam. In his congreſſibus juſſit eos ire in mundum univerſum, & prædicare Evangelium omni creaturæ, ita tamen, ut prædicationem Evangelii, pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum incipiant ab Jerolyma: juſſit baptizare omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: juſſit docere omnia, quæcunque ipſis mandâſſet, addita promiſſione, ſe eum ſuis futurum uſque ad conſummationem ſæculi. Aperuit Ipſis ſenſum, ſive illuminavit mentem eorum, ut intelligerent Scripturas: promiſit Spiritum Sanctum Doctorem ac Paracletum, eumque Jerolymis expectari voluit. Edixit, eos, qui crediderint & baptizati fuerint, ſalvos fore; qui verò non crediderint, condemnandos: credentes linguis locuturos novis, & varia Signa facturos, ita ut in nomine Ipſius dæmonia ejiciant, ſerpentes tollant, mortiferum quid innoxie bibant, ægros impoſitis manibus curent. Demum per hos quadraginta dies docuit Apoſtolos, quomodo Eccleſiam formarent, regerent, & perficerent: docuit Ordines, gradus & ſtatus varios in Eccleſia ſervandos: docuit materias & formas ritusque ſingulorum Sacramentorum & Ordinum, aliæque, quæ ab Apoſtolis ſuis Suceſſoribus tradita per ſingula ſæcula hucusque Eccleſia conſervavit.

Ascendit in
Cœlum.
Mar. ult. v. 19.
Luc. ult. v. 50.
Act. 1. v. 6. 7.
8. 9.

Eodem quadreſimo die poſtquam locutus eſt eis, finito prandio eduxit eos foras in Bethaniam, ac inde in vicinum montem Oliveti. Hæc, antequam in Cœlum aſcenderet, quidam communi adhuc Judaicæ gentis errore putantes, regnum Meſſiæ fore temporale & de hoc mundo, interrogarunt eum an tempus iſtud eſſet, quo Ipſe reſtitueret Regnum Iſraël, nempe à tempore Roboami ſatis collapſum, & demum à Romanis omnino proſtratum? at Dominus non eſſe ipſorum indirecete reſpondit noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuiſſet in poteſtate ſua: iſtud potiùs Ipſi curent, ut accepta Spiritus Sancti virtute ſint ſibi teſtes in Jeruſalem & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixiſſet, elevatis manibus benedicens videntibus illis elevatus eſt, & ferebatur in Cœlum cum multo Angelorum Sanctorumque, quos è limbo eduxerat, comitatu.

HISTORIA APOSTOLICA

PETRUS

Summus Ecclesiæ in terris Pastor & Pontifex.

DUm ita ascendentem suscepit demum nubes ab oculis eorum, coram adstant duo Angeli in vestibus albis, & in cælum adhuc aspicientibus nuntiant, Jesum aliquando sic venturum, quemadmodum nunc vidissent eundem in cælum. quibus rursum disparentibus illi reversi sunt Jerusalem *cum gaudio magno*, ingressique notam Joannis Marci unius è Christi discipulis domum in canaculo, seu superiore parte domus, summa juncti charitate inter ardentes preces promissum Spiritus Sancti adventum præstolabantur. Petrus verò, natus tunc annos circiter triginta, vices Christi in terris agere cepit, & Ecclesiam Ejus fundatam sanguine gubernare. cumque à morte Christi nullus in locum Judæ suffectus esset, rem haud amplius & ultra Pentecosten differendam ratus aptum istud tempus esse putavit faciendæ electioni, qua impleretur Scriptura, & Episcopatum ejus acciperet alter. Quodam igitur die exurgens in medio fratrum hoc suum consilium presentibus centum viginti ferè hominibus proposuit. Cumque placuisset, in tantæ dignitatis spem vocati sunt Barsabas & Mathias duo ex septuaginta Christi discipulis. Horum nominibus in urnam conjectis, factaque ad Deum oratione *sors cecidit super Mathiam*; qui adeo duodenarium à Christo definitum Apostolorum numerum implevit.

Post hanc functionem dum perseverant unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre Jesu, & fratribus Ejus, sive cognatis; ecce Spiritus Sanctus vigesima quartâ Maii die Dominico horâ ab ortu Solis tertiâ in sono vehemente instar igneæ linguæ supra singulorum capita effulgentis descendit. Quo repleti omnes capere variis linguis loqui, & magnalia DEI populo, ad canaculum auditò insolitò sono undique affluenti, prædicare stupentibus maximè illis Judæis, qui è Perside, Ægypto,

Ab Anno Christi passæ primo.

Apostoli revertuntur in urbem. Mathias fit Apostolus. Act. c. 1.

Spiritu Sancto repleti variis linguis loquuntur. Act. 2. à v. 1. ad 13.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Uu

Ara

Arabia, Roma, Creta, Mesopotamia, Cappadocia, aliisque Asiae partibus Jerosolymæ magnò numero tum religionis, tum negotiorum causâ aderant, & audiebant unusquisque lingua sua, in qua nati erant, eos loquentes.

Die Penteco-
stes tria mil-
lia baptizan-
tur.
Act. 2. v. 13.
ad 42.

Non deerant, qui irridentes dicerent, Galilæos hos multò plenos esse, quos autem Petrus stans cum undecim facile confutavit ductò à temporis ratione argumentò; eùm Judæi sole-
rent festis diebus ab ortu solis abstinere omni cibo & potu us-
que ad meridiem, sive horam sextam. habita deinde ad circum-
fusam multitudinem oratione omnes ad pœnitentiam hortatus
est, quam etiam *compuncti corde* ad tria circiter millia ample-
xi sunt, & eodem Pentecostes die baptizati, qui deinceps magno
quotidie credentium numero aucti statis horis ad conciones
Apostolorum, ad orationem, ad fractionem panis, seu Evchari-
stiam sumendam, conveniebant.

Petrus clau-
dum sanat, &
quinque mil-
lia virorum
convertit.
Act. 3.

Quodam die ascendente Petro cum Joanne in templum ad
horam orationis nonam sedens ad speciosam templi portam men-
dicus ab utero matris suæ claudus petiit ab iis elæmosynam; ad
quem Petrus *aurum, & argentum*, inquit, *non est mihi:*
quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazare-
ni surge, & ambula. tantamque hæc verba habuere virtutem,
ut, qui hactenus bajulabatur, & ponebatur quotidie ad eam
templi portam, nunc non tantum consolidatis basibus ac plantis
staret, sed & cum Apostolis ambularet in templum, & laudans
DEum exiliret. porro hic homo annorum amplius quadraginta
notissimus erat toti Jerosolymæ. eùm ergo Judæi, qui & ipsi ad
eam orationis horam in templum ascenderant, viderent eum
ambulantem, audirèntque, virtute ac potestate duorum virorum
factum id esse, ex omnibus atriis concurrerunt ad porticum Sa-
lomonis, ubi cum mendico orabant Apostoli, nec satis poterant
mirari ac intueri divinos hos homines, quod videns Petrus *Viri*
Israëlita, inquit, *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini,*
quasi nostra virtute ac potestate fecerimus hunc ambulare?
docuitque se non nisi per fidem Nominis Jesu id fecisse. tum al-
tero jam sermone prædicavit populo pœnitentiam, & Jesum Chri-
stum, quem ostendit per Moysen & omnes Prophetas pridem
fuisse prænuntiatum conversaque sunt hac occasione quinque
millia virorum præter fœminas & pueros, atque horum tot mil-
lium familias.

Non

Nondum finita concione adsunt Sacerdotes, Magistratus templi, & Sadducæi; iratique, à duobus Galilæis non tantum doceri populum, sed & resurrectionem mortuorum prædicari, jubent iniici in Apostolos manus, quòdque jam vespera esset, detineri in custodia usque in crastinum. Altero die conveniunt in concilium principes tribuum, principes Sacerdotum, Seniores & scribæ præsidente summo Pontifice Caïpha. quid heri factum ad speciosam portam, jam omnibus notum erat. dissimulatà altera; docendi scilicet & resurrectionem prædicandi causâ, de hoc solo factò quæstionem instituendam decernunt. producti igitur in medium cum mendico duo Apostoli rogantur, in qua virtute aut in quo nomine istud fecissent? respondit sancta cum libertate Petrus, claudum hunc in pedes erectum ambulare non in alio, quàm in illius nomine, quem ipsi crucifixissent, DEUS autem suscitasset à mortuis; nec enim aliud nomen esse sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Caïphas & plerique confidentium benè noverant, hos ipsos esse, qui nuper fuerant cum JESU, mirabanturque homines sine literis & idiotas cum tanta constantia loqui. interim nihil poterant vel audebant contradicere; nam mendicum coram se stantem & ambulantem oculis suis cernebant, quem antea claudum sedentem ad portam speciosam toties viderant. iussi sunt igitur extra concilium paulum secedere, donec revocati audirent sententiam. auditis suffragiis cum res toti Jerosolymæ manifesta neque negari, neque propter populum durius quidpiam in eos statui posset, visum est ipsis silentium indicere, ac sub gravibus minis prohibere, ne deinceps loquerentur in nomine JESU ulli hominum. audita sententia Apostoli antequam exirent, injustam esse hanc prohibitionem, palam ostenderunt dicentes: *si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum. judicate; non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* Dimissisque his minis neque ipsi, neque ceteri Apostoli, quibus hæc omnia narraverant, absterriti deinceps quoque loquebantur verbum Dei cum fiducia, *magnæque virtute reddebant testimonium Resurrectionis JESU Christi Domini nostri.*

Petrus & Joannes in custodiam dantur, sed iterum dimittuntur. Act. 4. à v. 1. ad 32.

Fideles habent omnia bona com-

His Ecclesiæ initiis erat mira animorum inter credentes consensio, aded ut esset cor unum, & anima una. Omnia ipsis erant communia; nemo erat egens; nam locupletiores vendebant

Uu 2

bant

munia.
Act. 4. v. 32.
& c. 5. v. 1.
ad 12.

bant agros & domos suas, & pretia ponebant ante pedes Apostolorum, quæ deinde dividebantur singulis ad cujusque indigentiam & necessitatem. nominatim Barnabas Levita ex Cypro oriundus vendidit in ea insula agrum suum, pretiumque posuit ante pedes Apostolorum. sequebantur nempe tunc plerique fidelium illud Christi: *si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Quod quidem faciebant non proposito solum, sed voto sese obstringentes; exuebantque se omnium bonorum dominio & proprietate. Atque hinc Ananias & Saphyra conjuges, quod integrum pretium ex vendito agro se afferre meatientes partem sibi clam servassent, subita morte puniti ante pedes Petri conciderunt, ad terrorem scilicet aliorum; *nam factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc.*

Apostoli in-
carcerantur,
& ab Angelo
liberantur.
Act. 5. v. 17.
ad 27.

Apostoli verò pergebant Christum liberè prædicare in porticu Salomonis ad sacras eorum functiones peridoneo; numerisque credentium virorum ac mulierum in dies augebatur, cum non tantum verbum Dei audirent, sed viderent etiam fieri signa & prodigia multa in plebe per manus Apostolorum, præsertim Petri; nam cum Jerosolymæ passim in plateis exponerentur infirmi in lectulis & grabatis, si prætereunte Petro vel umbra illius obumbraret quemquam, liberabatur ab infirmitatibus suis. Neque hoc faciebant soli cives Jerosolimitani; sed concurrebat multitudo etiam vicinarum civitatum afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, quales tunc temporis nutu ac providentia Divina ad refellendam hæresin Sadducæorum, Angelos & spiritus negantium, plurimi erant; qui omnes, ut primum baptizati, aut confirmati erant, curabantur. At Princeps Sacerdotum & ceteri Sadducæi ob tantam populi novis doctoribus sese adjungentis multitudinem jam diu zelò repleti, ut ipsis post contemptas nuperas minas fortiori remedio silentium imponerent, opportuno die ac tempore comprehendi jubent Apostolos, atque in publicam custodiam compingi, in Concilio crastina die convocando causam violatæ prohibitionis dicturos. Bonam partem noctis jam egerant Apostoli in carcere; cum ecce! adest Angelus Domini, apertisque januis liberos educit, hortatus, ut pergerent sine cura in templo prædicare omnia verba vitæ hujus, qui etiam diluculo intrantes templum docuerunt

populum ut antè. Congregato interea concilio mittit Princeps Sacerdotum Ministros, qui carcere, ut putabat, clausos adducant. isti carcerem quidem invenerunt clausum cum omni diligentia, custodes quoque stantes ante januam; verum aperto carcere neminem intus invenerunt. Quod cum ministri renuntiassent confessui, mirantibus ac sese mutuo aspicientibus supervenit alius nuntians, viros, quos heri in custodiam dedissent, esse in templo, ac docere populum. Magistratus templi, & Princeps Sacerdotum, quid agerent, incerti, demum invitandos potius esse in concilium, quam cogendos decernunt, veriti, ne à populo, si iis vim inferrent, lapidarentur. Ubi stetere in Concilio, Caiphas *præcipiendò*, inquit, *præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: & ecce! replèstis Jerusalem doctrinà vestrà.* Facti sunt Petrus & Apostoli, omnino se id fecisse, sed quia obedire oportet Deo magis quam hominibus, pergente deinde Petro dicere, Jesum, quem ipsi interemissent suspendentes in ligno, fuisse à Deo Patrum ipsorum à mortuis suscitatum, & exaltatum ad dandam pœnitentiam Israël, & remissionem peccatorum, *hec audientes cogitabant interficere illos.*

Quod animadvertens Gamaliel Phariseus legis doctor & honorabilis universæ plebi, quique Christo & in Eum credentibus jam tum clam favebat, surrexit, Apostolisque paulisper foras secedere iussis gravissima oratione monuit, ne præcipitarent sententiam; novam enim hanc doctrinam, si ex hominibus sit, suapte dissolutum iri; si autem à Deo, frustra conaturos dissolvere, cui quidem consilio cæteri eatenus acquieverunt, ut non interficerentur, flagellis tamen cæderentur. quo facto dimissi sunt severè iterum moniti, ne omninò loquerentur in Nomine Jesu. Et illi quidem *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati.* Non tamen minùs ac antea in templo publicè, ac circa domos privatim quotidie docebant, & evangelizabant Christum Jesum.

Hactenus credentium, utpote paucorum & ferventium, erat cor unum & anima una. crescente autem paulatim numero, & fervore decrecente incipiunt murmuraciones & schismata. Judæi inter Græcos nati ægrè ferebant, quòd ipsorum viduæ ad viliora solum ministeria adhiberentur, viduis Judæorum in Iu-

Creantur
septem Diaconi.
Act. 6. à v. 1.
ad 8.

dæa natis honoratiora quæque & laudatiora demandarentur; quæque in ciborum & vestium distributione Hebræis magis fauebant, pluræque illis suppeditabant quàm Græcis. Ad sopiendum hoc Græcorum murmur Apostoli judicârunt deligendos esse septem Diaconos, qui locò viduarum, non sat benè officio fungentium, necessaria ad mensas profanas ministrarent; simul etiam deservirent Apostolis Eucharistiam conficientibus, populòque illam distribuerent, baptizarent quoque, per intervalla prædicarent, & alia munia sacra obirent; ut sic Apostoli à mensarum curis liberi orationi & Sacrificio Missæ ac prædicationi verbi Divini assiduè ac toti vacare possent. itaque discipuli è suo numero elegerunt Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam, & Nicolaum, omnes in Græcia gentili natos; quos postea Apostoli impositis manibus creaverunt Diaconos. Fructus brevi apparuit; nam *verbum Dei crecebat; & multiplicabatur numerus Discipulorum valdè; multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.*

26. Dec.
Stephanus lapidatur.
Act. 6. à v. 8.
ad finem &
Act. 7. tot.

Porro inter Diaconos istos eminebat Stephanus, plenusque gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. illud iniquè ferebant Judæi, maxime qui extra Judæam Alexandria in Ægypto, & in Asia nati erant. igitur quidam doctiores ex ipsis surrexerunt de Synagoga, quam habebant Jerosolymæ & Stephanum disputandò adorti sunt; quos autem ita confutavit, ut non possent resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur. cum disputationibus rubore simul & irâ suffusi nihil proficerent, concitata plebe, senioribus, & scribis effecerunt, ut Stephanus veluti blasphemus in Moysen & in Deum, qui loqueretur verba adversus locum sanctum & legem, in Concilium raperetur; coram quo data à Principe Sacerdotum loquendi pro se facultate, longa ac tam vehementi oratione eis homicidium in Christo, à tot Prophetis prænuntiato, perpetratum exprobravit, ut dissecarentur cordibus, & striderent dentibus in eum. cum autem finita oratione fixis repente in cælum oculis insuper exclamaret, se videre cælum apertos, & Jesum, quem crucifixissent, stantem à dextris Dei, voce magna conclamantes continuerunt aures suas, raptatimque furentes ejecerunt non tantum è loco concilii, sed etiam è civitate, & in valle Josaphat sine alia forma judicii, nec requisita Pilati facultate lapidibus obrutum

tum occiderunt, Saulo, licet præsens & consobrinus Stephani esset, non tantum non contradicente, sed iniquissimam necem etiam probante.

Non stetit hic furor Judæorum. sanguine Stephani magis efferati grandem excitant persecutionem in omnes, qui Jerosolymis in Christum credebant. Inter acerrimos persecutores erat ipse ille Saulus, qui devastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros & mulieres tradebat in custodiam assentiente Præside Pilato, vel certè connivente, qua occasione dispersi sunt fideles non solum per regiones Judææ, & Samariæ, sed quidam etiam in Phœniciam, Cyprum, Antiochiam usque pervenerunt Act. 11. v. 9. imò Magdalena cum Martha, Lazaro, & Josepho ab Arimathia conscensa navi in Galliam; alii plusquam quingenti in Hispaniam trajecerunt; alii aliò dilapsi sunt, solis Apostolis (Domino, qui tunc ipsis omnibus erat visus 1. Cor. 15. v. 7. fortassis ita monente) Jerosolymæ persistentibus, ut Ecclesiam illuc à Christo fundatam, & inchoatam altiùs firmarent, ac stabilirent, quem in finem Jacobum Minorem (cui etiam soli Dominus visus erat. 1. Cor. 15. v. 7.) Jerosolymæ Episcopum vigesimo septimo Decembris creaverant. Fructus persecutionis fuit, ut discipuli quaquaversam dispersi, & prædicantes Christum in varias Provincias inferrent verbum Dei & Evangelium. Ita Philippus Diaconus Samariam delatus plurimos ad Christum adduxit; cumque signa faceret & virtutes magnas, spiritus quoque immundos ejiceret, inter alios etiam Simon, qui apud Samaritanos ob magicas artes celebris erat, & gentem seducebat, baptizatus est.

Menſe Januario Anno à passione 2. ob persecutionem discipuli disperguntur. Act. 8. à v. 1. ad 14.

Hoc bonum nuntium ubi acceperunt Apostoli Jerosolymæ, quòd scilicet recepisset Samaria verbum Dei, illuc profecti sunt Petrus & Joannes, & à Philippo jam baptizatis uberio rem gratiam Spiritus Sancti (qui se tunc temporis ferè signo aliquo visibili linguæ, vel ignis prædebat) per Sacramentum Confirmationis impositis super illos manibus & unguendò illos balsamo & oleo simul commixtis ad fidem intrepidè profitendam impertiverunt. quod videns Simon ille magus nuper baptizatus, admiransque tantam in Petro & Joanne virtutem desiderium similis potestatis accipiendæ concepit. Accedens igitur Apostolos obtulit eis pecuniam, ut sic empto episcopatu ipse quoque posset aliis im-

Petrus & Joannes Samariæ evangelizant. Act. 8. à v. 14 ad 26.

imponere manus, ipsique acciperent Spiritum Sanctum. At Petrus in sacrilegum acriter investus *pecunia tua*, inquit, *tecum sit in perditionem*; monuitque, ut de tam gravi peccato, quo putasset Divina dona emi pecuniâ posse, severam ageret penitentiam, meliusque de Deo Divinisque donis sentire deinceps disceret. Verum Simon iste aded emendatus non est, ut postea ad vomitum & ad magicas artes rediret, falsisque doctrinis Evangelio tum Samariæ, tum postea Romæ plurimum officeret. Petrus autem & Joannes, postquam aliquo adhuc tempore non solum in urbe, sed & per reliquam Provinciam Samariæ verbum DEI disseminarunt, reversi sunt in Jerusalem, relicto Samariæ Philippo Diacono.

Philippus
baptizat Ev-
nuchum.
Act. c. 8. à v.
26. ad finem.

Hic pergens in suo ministerio jubetur fortè ab Angelo iter inire meridiem versus, ac prope urbem Gazam sese jungere curru, quo Reginae Abyssinæ thesaurorum summus Præfectus Jerusalem, ubi adoraverat, in Æthiopiam reverteretur. iste, cum Philippus appropinquaret, legens in curru suo Isaiam habebat ad locum illum: *tanquam ovis ad occisionem ductus est: generationem Ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus*. quod animadvertens Philippus jam curru proximus rogat, an intelligat, quæ legit? evnuchus negante rogantèque ut alceret, & sederet secum, Philippus ei locum explicavit, simul ei evangelizans Jesum desiderium baptismi iniecit. brevi venerunt ad aquam, in quam curru stare jussu descenderunt ambo, & Philippus evnuchum, credentem jam ex toto corde Filium DEI esse Jesum Christum, baptizavit. hac legatione perfunctus ab Angelo rapitur, portaturque in urbem Azotum; ubi primò, deinde in vicinis civitatibus, demum Casaræ urbe maritima Judæis Christum annuntiavit, dum interim Evnuchus it *per viam suam gaudens*; jamque fidelis ad Christum convertisse creditur etiam Candacem Reginam suam, ipsa verò regnum suum Apostolo Matthæo illuc postea profectò.

Annò à passi-
one 2do. 25.
Jan.
Saulus con-
vertitur, &
Christum
predicat.
Act. 9. à v. 1.
ad 23.

Dum Discipuli in vinea Domini ubique strenuè laborant, Saulus, ubicunque poterat, devastabat Ecclesiam. haud satis ipsi erat per integrum jam annum multa mala fecisse Sanctis in Jerusalem, adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, alibi quoque illos persequitur. audiens Damasci quoque esse sectatores Christi, petiit à Caipha literas ad Synagogas, quæ erant Damasci, ut siquos hujus fidei viros & mulieres invenisset, vin-

cu.

collis abreptos perduceret Jerosolymam puniendos. At ecce! dum urbi appropinquat, ac nonnisi mediâ ferè horâ distat, cælesti luce subitò perstrictus & cadens in terram audit vocantem se his verbis præsentem Dominum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Saulus mox ad Jesum conversus, tremens ac stupens, *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* jussusque est à Domino ingredi civitatem, ibique audire, quid ipsum oporteat facere: surgens igitur apertis oculis nihil videns ab attonitis comitibus Damascum introductus est; ubi *tribus diebus non videns & non manducavit, neque bibit.* Interim monetur à Domino Ananias insignis in ea urbe discipulus accedere domum, in qua hospitabatur Saulus, ut ipsius manibus & visum recipiat, & per baptismum Spiritu Sancto impleatur. Ananias non ignarus, quem in finem vir iste post tot mala jam Jerosolymæ Sanctis illata Damascum venisset, primò tergiversatus est. At ubi didicit, quæ illi contigerint in via, auditque à Domino: *Vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram gentibus & Regibus & filiis israel,* Saulum quæsit, inventumque restituto primùm visu baptizavit. Postea per aliquot adhuc dies à discipulis omnia fidei mysteria doctus ipse cœpit ea publicè in Synagogis prædicare mirantibus Judæis tam subitam hominis pro Judaïsimo antea ferventissimè stantis metamorphosin. Inde ad tempus abiit in Arabiam ad Gal. 1. v. 17. reversus autem Damascum multò *magis convalescebat, & confundebat Judæos,* qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam Jesus est Filius Dei.

Interea sedatus erat Jerosolymæ primus Judæorum furor auctoritate maximè & beneficio Tiberii Cæsaris, qui auditis stupendis Christi gestis Eum inter Deos referendum censuit. Et licet reclamaret Senatus, tamen in sententia persistit accusatoribus Sectatorum Christi mortem publicò edictò comminatus. agebant adedò Fideles sine metu in tota Judæa, Galilæa, & Samaria. Quæ Ecclesiæ pace bene usi Apostoli Evangelium per eas partes liberè prædicârunt. & Petrus quidem Judæam pertransiens prædicandò venit ad sanctos, qui erant Lyddæ urbe haud procul à portu Joppensi sita. ubi sanato Ænea paralytico ad fidem conversi sunt omnes, qui habitabant Lyddæ, & in vicina urbe Sarona. Quæ dum fiunt Lyddæ, in Joppe

Petrus Lyddæ & in Joppe multos convertit. Act. c. 9. à v. 31. ad finem.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Xx

dis

discipula Domini, Thabita nomine, plena operibus bonis & eleemosynis morbo corripitur, & moritur. mors ista valde afflixit fideles Joppenfes, quod sortorem perdidissent tam sibi utilem; utpote qua ipsis tunicas & vestes conluisset. Audientes, Petrum esse Lydda, miserunt, qui rogarent, ut veniret in Joppen. venit, ductusque est in canaculum, in quo defuncta adhuc erat exposita. Flentibus omnibus viduis, qua circumstantabant, & ostendentibus ei tunicas & vestes, quas Thabita eis fecisset, commiseratione ductus Petrus omnibus e canaculo egredi jussis oravit ponens genua, & conversus ad corpus dixit: *Thabita surge.* atque hac voce suscitatae Sanctis & viduis vivam reddidit. qua res ubi vulgata est per universam urbem, crediderunt multi in Domino.

Cornelium
gentilem
Caesarem cum
omni domo
sua baptizat.
Act. 10.

Sed ecce! novam & inexpectatam hominis non Judaei, sed gentilis conversionem. Caesarea in praesidio erat Romana cohors dicta Italica, quod ex solis Italici constaret. inter hos milites centurio quidam nomine Cornelius timebat Deum cum omni domo sua, faciebatque eleemosynas multas plebi, & deprecabatur Deum semper. hunc misericors Dominus primum esse voluit ex gentibus, qui converteretur ad fidem. misit igitur e caelo Angelum, qui hora diei quasi nona in veste candida ad Cornelium orantem intravit hortatusque est, ut vocaret ad se Petrum in Joppe morantem; ab eoque disceret, quid facere oporteret. hic caelesti monitori obsecutus confestim mittit in Joppen duos domesticos & militem cum eis, qui & ipse timebat Dominum. Petrus hospitabatur dies jam multos apud civem quendam opificio coriarium in domo juxta mare sita; ac tum, cum illi Joppen ingrederentur, in superiore parte domus orabat circa horam sextam; de qua re tota divinitus pervisionem edoctus descendit ad tres viros jam ad januam stantes, & introductos recepit hospitio. audita adventus causa, quam quidem jam ante cognoverat, sequenti die comitantibus aliquot fratribus iter Caesarem ingressus, altero post die eodem pervenit. Cornelius convocatis cognatis suis & necessariis amicis Petrum jam expectabat; qui cum domum ingrederetur, Cornelius procidens ad pedes ejus adoravit; quem autem Petrus mox elevans, *surge,* inquit, *et ego ipse homo sum.* narravit postea Cornelius, qua audivisset ab Angelo, ostenditque

se & circumstantes omnes paratos esse audire omnia, quæcun- que ipsi præcepta essent à Domino. Petrus itaque apta ad Gentiles oratione prædicavit ipsis Christum, & remissionem peccatorum per Nomen Ejus, qui credunt in Eum. Nondum peroraverat, cùm ecce! *cecidit spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* & confestim loquebantur linguis, & magnificabant DEum mirantibus iis, qui cum Petro venerant, gratiam Spiritus Sancti etiam in gentiles effusam esse. Postea iussit eos omnes baptizari, rogatusque mansit ad eorum preces aliquot adhuc dies Cæsareæ.

Fama interim de rebus à Petro Cæsareæ gestis perlata est Jerosolymam ad Apostolos, cæterosque fratres. è quibus aliqui de circumcisione factum, quòd nempe ad gentes accessisset, improbabant. Cùm igitur Jerosolymam redisset, eum adorti: *quare, inquit, introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* bene advertit Petrus, necesse esse totius rei gestæ ordinem ac seriem fratribus exponere. quod ubi fecit, tacuerunt, & glorificaverunt DEum dicentes: *ergo & gentibus penitentiam dedit DEUS ad vitam.*

Toto jam à morte Christi triennio prædicatum fuerat Evangelium Judæis per Galilæam, Samariam, atque Judæam. nunc cùm viderent Apostoli ostium fidei per cæleste oraculum Cæsareæ etiam gentibus esse apertum, tempus adesse putarunt discedendi in remotiores provincias, & *usque ad ultimam terram.* quare cùm prius Symbolum quasi communem fidei tesseram, dictum deinde Apostolicum, confecissent, per universum orbem divisi, dispersique sunt alii citius, alii tardius prorerum & negotiorum commoditate vel necessitate, tùmque impletum est illud: *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.*

Et Petrus quidem sedem suam primam Episcopalem anno à morte Christi nono vigesimo secundo Februarii posuit Antiochiæ post Romam & Alexandriam tum primaria non tantùm totius Syriæ, sed & Imperii Romani urbe; ita tamen, ut crebrò in Judæam & Ierosolymam excurreret; uti & in regiones Pontum, Galaciam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam, quas prima Evangelii luce illustravit.

Jerosolymæ fratribus dationem sui facti. Act. 11. à v. 1. ad 19.

Post tertium à morte Christi annum dividentur Apostoli in omnem terram.



Andreas in Scythiam Europæam, quæ ei Provincia ad Christi fidem diffeminandam obtigerat, profectus est. inde Epirum ac Thraciam peragravit, doctrinæque ac miraculis innumerabiles homines ad Christum convertit. demum etiam in Achaia Evangelium prædicavit.

Jacobus frater Joannis in Hispaniam trajecit. inter eos, quos convertit, septem postea Episcopi à Petro Romæ ordinati in patriam remissi sunt. ipse verò post illustratam veritatem Evangelii etiam Galiam & Britanniam, anno à morte Christi decimo tertio Jerosolymam rediit.

Joannes, qui Mariæ à Christo è cruce datus fuerat custos, imò filius, mansit in Judæa, etiam postquam Illa in cælum assumpta est; quod verosimiliter contigit altero post Christi filii mortem anno, vel certè ante divisionem Apostolorum; cum nulla amplius de ipsa mentio fiat in sacris literis. demum autem Joannes Ephesi totius Asiæ minoris rexit Ecclesiæ.

Philippus populis Paludi Mæotidis, fluvio Tanai & Volgæ adjacentibus Christum annuntiavit tota serè illa gente ad ipsum conversa, constitutis verò ibi Presbyteris & Episcopis inde in Asiam minorem rediit, ac in Mysia, Lydia, Lycaonia, ac Phrygia laboravit.

Bartholomæus per Indiam citeriorem, quam fidei lumine collustrandam in Orbis terrarum divisione acceperat, Evangelii lucem circumtulit. ubi cum fidem Christi conversione plurimorum stabilivisset, perrexit in Armeniam Majorem, ibique Polymium Regem & conjugem ejus ac præterea duodecim civitates ad Christianam fidem perduxit.

Thomas Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis & Baëtris Christianæ fidei & vitæ præcepta tradidit. Postremò ad Indos se convertit; inter quos Christiani ab ipso in fide instructi hodie ab ejus nomine Thomæi vocantur.

Matthæus, cum antea Evangelium propter eos, qui ex circumcissione erant, hebraicè scripsisset, in Æthiopiam delatus illud prædicavit tanto cum successu, ut totum Regnum fidem Christi amplecteretur.

Jacobus frater Domini appellatus ab Apostolis Jerosolymorum primus Episcopus constitutus eam rexit Ecclesiam; scripsitque epistolam Catholicam; qua animat fideles ad patientiam, & constantiam in persecutione, ad studium virtutum ac bonorum operum, præsertim orationis & beneficentiæ in proximum; docetque etiam opera fidei, charitatis, legisque Christianæ esse necessaria ad salutem; & non sufficere nudam fidem, veluti tunc Simon ille magus, ejusque sequaces spargebant, ansam accipientes partim aliunde, partim ex epistolis Sancti Pauli ad Romanos & Galatas; in quibus fidem Christi mirè extollit, opera verò legis Mosaicæ ubique deprimunt.

Judas Mesopotamiam Evangelica prædicatione peragravit primo; deinde in Perside innumerabiles filios Jesu Christo peperit. ubi etiam scripsit epistolam Catholicam, in qua hæreticorum mores describit, & acre Dei judicium ab Henoch prædictum ipsis intentat, omnesque quasi seductores & pestes cavendos docet, Christianis verò in fide suscepta constanter persistendum; ne si deflectant, ipsis contingat, quod Sodomitis & Angelis apostatis. denique hortatur ad orationem, castitatem, charitatem, & zelum animarum, quo seductos ab hæreticis ad fidem reducant.

Simon fidem Christi doctrina & miraculis in Ægyptum intulit. postea verò Evangelium unâ cum Juda in Perside, in qua convenerant disseminavit.

Mathias Judæam Apostolicis laboribus excoluit, excurrens inde etiam in vicinas Ponto Euxino regiones.

Quæ quisque Apostolorum singulariter in suis provinciis gesserit, quæ mira patravit, per pauca, atque ista non satis certa habemus. Solus scilicet Paulus suum Lucam habuit.

Saulus interim præfens vitæ periculum adiit Damasco. Cum post prædicatum toto jam triennio Evangelium pergeret confundere Judæos, hi demum irritati consilium fecerunt in unum, ut eum interficerent. jamque gubernator, quem Rex Arabum Aretas Damasco habebat, instinctu illorum jussit eum rodiri portas urbis die ac nocte, in qua elabi posset. Verùm detectis in tempore insidiis nocte per fenestram in porta à Discipulis

An. à Passio-
ne 5. to
Saulus primò
venit Jeroso-
lymam elusus
Damasco in-
sidiis.
Act. 9. à v.
23 ad 26.
2. ad Cor.
11. v. 32. & 33.
ad Gal. 1. v.
18.

pulis demissus est; & sic effugit manus ejus, venitque primò à sua conversione Jerosolymam, ut videret Petrum.

Jerosolyma
mittitur
Tharsum.
Act. 9. à v.
26. ad 31.
ad Gal. 1. à:
v. 18. ad fin.

Urbem ingressus volebat se jungere discipulis. At hi timebant, vitabantque hominem non credentes, quòd qui tanta mala fecisset in Ecclesia, esset discipulus. afflictum propterea crexit Barnabas vetus Sauli amicus, & in schola Gamalielis Pharisei ipsius & Stephani condiscipulus, apprehensumque duxit ad Apostolos, Petrum scilicet & Jacobum fratrem Domini; quibus postquam casus Damascenos narravit, inter discipulos admittitur, eratque cum illis intrans & exiens in Jerusalem in Nomine Domini. Porro per quindecim solummodo dies Jerosolymæ moratus est; cum enim loqueretur gentibus, & ferventiùs disputaret cum Græcis, atque ob id quæreretur ad mortem, fratres non consultum putarunt eum manere Jerosolymæ, sed deduxerunt eum Casarem, impositumque navi dimiserunt Tharsum Ciliciæ Metropolitim.

Quod ad Judæorum Rempublicam hoc tempore attinet, Philippus Herodis Primi & Magni filius Tetrarcha mortuus est; & Vitellius cæcis Syriæ Præles Marcellum Judææ Procuratorem misit; antecessorem verò Pontium Pilatum à Judæis accusatum Romam navigare jussit ad dicendam coram Tiberio causam. Ab eodem Vitellio etiam Caiphæ summus Pontifex exauthoratur, qui privata vitæ pertæsus paulò post sibi ipsi mortem conscivit. Sed & Annas sacer ejus malè periit. Caiphæ in Pontificatu substitutus est Ionathas, & huic paulò post Ananias. Mortuo Tiberio annò à morte Christi septimò Successor Cajus Caligula condemnavit Pilatum, & in perpetuum exilium Viennam Galliæ ablegavit. ubi calamitatis impatiens sibi ipsi postea manus intulit. Meliorem fortunam habuit Herodes Agrippa Herodis Magni nepos ex Aristobulo in carcere occiso genitus; qui varia hæctenus fortuna factus à Tiberio conjectus fuerat in vincula, quòd Cajo impensius studens eelerem Tiberio mortem precatus esset, ut Cajus regnaret. hinc post mortem Tiberii Cajus eundem in honore habuit, & catenam auream pondere parem pro ferrea rependit, ac Philippi demortui & Lyfaniæ Tetrarchiis cum Regis appellatione ipsum donavit; quod audiens Herodias uxor Hero-

dis

dis Antipæ, qui solam hæctenus Galilæam tenebat, simulante tum invidia, tum ambitione virum suum similibus dignitatum spe incitavit, ut Romam ad Cajum Imperatorem proficisceretur ad Regnum ab Eo impetrandum. At locò regni exilium reportavit; nam Cajus Agrippæ literis contra ipsum velut proditoris reum concitatus Lugdunum in Galliam relegavit; ubi cum impia uxore sua Herodiade, quæ infauſtam mariti sortem ultrò secuta est, mœrore contabuit. Tetrarchia verò Galilææ Agrippæ in uper adjecta est. Hoc quoque tempore Iudæi in Ægypto, præcipuè Alexandria, maximas clades & calamitates passi sunt à Flacco Ægypti Præfecto, quas Philo Judæus oculatus testis descripsit in suo Commentario adversus Flac-cum. ipse verò Cæsar in templo Ierosolymitano statuam suam poni iussit à Iudæis in ea adorandus. missus quidem est communi gentis nomine Philo Romam Legatus: verum alio ipsum responso Cajus dignatus non est, quam isto: *Vosne illi Diis inuisti, qui me omnium Confessione DEum soli aspernamini?*

Antiochiæ jam ante, quàm Petrus primam Cathedram ibi poneret, Verbum DEI prædicabatur ab iis, qui ab illa tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, dispersi venerant Antiochiam. hi enim ab eo tempore annuntiabant Dominum IESUM primò quidem Iudæis solis, qui ea in urbe erant; ubi verò constitit, per Petrum Cæsareæ referatam fuisse fidei januam etiam gentibus, prædicare cœperunt Evangelium etiam Græcis, ut multus jam numerus credentium conversus esset ad Dominum: quæ res cum nunc pervenisset ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis, missus est illuc Barnabas, qui credentes in fide non tantum confirmavit, sed & per eum multa turba apposita est Domino. Cum verò messis in dies cresceret, accersendum adiutorem putavit Saulum. itaque profectus est Tharsum, ut quæreret Saulum, eumque perduxit Antiochiam. Horum præcipuè labore atque operâ Ecclesia Antiochena unius anni spatio, quo ibi conversati sunt, tanta incrementa cepit, ut novum inde per totum orientem militiæ nomen percubuerit & profeminatum sit; quique hæctenus Fideles, vel Credentes, vel Nazaræi, vel Galilæi, vel Discipuli dicti fue-

Antiochia
credentes
primo di-
cuntur Chri-
stiani.
Act. 11. à v.
19. ad 27.

fuerant, nunc cognominarentur Christiani à Duce & Magistro Christo.

Barnabas & Saulus mittuntur Ierololymam.
Act. 11. v.
27. 28. 19.
30.

Dum Barnabas & Saulus sunt in medio laborum Apostolorum eursu, Ierololymis Antiochiam venit Agabus unus è septuaginta Christi discipulis, qui à Spiritu Sancto edoctus prædixit famem magnam futuram in universo orbeterrarum. prædictioni respondit eventus; nam anno sequenti cœpit, Romæque adeò sævit, ut ob illam plebs in Claudium, tunc Imperatorem, medio in foro insurrexerit. Christiani Antiocheneses non dubitârunt, se à DEO per Agabum præmonitos, ut Fratribus in Judæa, qui divenditis omnibus in commune vivebant, & magnam annonæ penuriam passuri essent, opportunè succurrerent. quare subsidium sibi ultrò indixerunt, æsque collatitium Ierololymam ad Seniores per Barnabam & Saulum miserunt. quo charitatis opere persuncti redierunt ambo Antiochiam assumpto secum Joanne Marco. Anno à Passione 14. to.

Herodes sævit in Ecclesiam.
Act. 12. à v.
1. ad 19.

Interim Cajo Caligula anno Imperii quarto à Prætorianis militibus occiso successerat Claudius anno à morte Christi undecimo: qui Herodi Agrippæ non tantum ditiones priores confirmavit, sed & regnum ejus ampliavit additâ Judæâ & Samariâ, quæ Archelao olim ademptæ fuerant, ita ut avi sui Herodis Magni terras omnes recuperaverit. quare Herodes Ierololymam venit primam Regni sui sedem. utque primo statim Regni aditu Judæus demerereur sibi gentem suam, grafari cœpit in Ecclesiam Christi. ac primò Jacobum cæteris ferventiorum, qui obicâ Hispaniâ, Galliâ, & Britanniâ in Judæam redierat, occidit gladiò. videns autem, quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum. jamque comprehensum miserat in vincula & carcerem, volens post Pascha, sive post exactos Azymorum dies, producere eum populo. interim autem oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEum pro Eo, maximè in domo Joannis Marci, ubi in consueto cænaculo erant multi congregati, & orantes. audivitque Dominus preces Ecclesiæ, & eripuit Petrum de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. nam in ipsâ nocte, post quam producturus Eum erat Herodes, adstitit Angelus Domini in carcere, dormientemque inter duos milites ac vinculum

cum catenis duabus excitavit. Cùmque surrexisset, & cecidissent catenæ de manibus Ejus, cum per primam & secundam custodiam militum, ac deinde per portam ferream ultrò apertam eduxit. ubi in tuto fuit, & quo in urbis vico esset, per noctis tenebras advertit, disparuit Angelus, & Petrus properavit ad notam Ioannis Marci domum. multâ forium pulsatione opus fuit, donec crederetur, non ejus Angelum, sed planè ipsum adesse. Receptus in domum stupefcentibus narravit, quomodo Dominus eduxisset eum de carcere; voluitque; ut hæc ipsa Jacobo, & ceteris fratribus nuntiarent. ipse autem egressus ea adhuc nocte alias & tutiores latebras quæsivit; Herode frustra altero die eum requirente, & totam iram in custodes inquisitione facta effundente.

Petrus verò, ne rursus incideret in manus Herodis, totâ Judæâ excessit, venitque primò Cæsaream, inde Sidonem, Berythum, Tripolim, Aradum, Antaradum, Antiochiam. Hinc deinde peragravit Galaciam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Bithyniam, ubique evangelizans, Christianos confirmans, & instituens Episcopos; & Nicomediæ quidem Prochorum, Cæsareæ Cornelium centurionem illum. Antiochiam reversus intelligit, Simonem illum magum Romam esse delatum; veritusque, ne, uti hactenus orientem, ita nunc occidentem ipsamque Romam falsis suis doctrinis, magicis que artibus deciperet, statuit illuc contra scelestum proficisci. Itaque Evodio Antiochiæ Episcopo constituto hac occasione Romam petiit, DEO ita providente, ut, ubi caput Imperii & orbis terrarum erat, ibi quoque Ecclesiæ caput statueret, eique orbem converteris Romanis Principibus subjugaret. In via Episcopos dedit Tharsensibus quidem Urbanum, Smyrnæ Apellem, Philippensibus in Macedonia Olympam, Theffalonicensibus Iasonem, Corintho Silam, Tauromenio in Sicilia Maximum. Romam denique anno à morte Christi decimo tertio appulsus Cathedram suam Episcopalem decimo octavo Januarii ibi erexit. divertit autem in domo Pudentis Senatoris Romani, eumque cum filiis Timotheo & Novato, ac filiabus Pudentiana & Praxede ad Christum convertit, domumque hanc postea in Ecclesiam, quæ ad eò Romæ prima fuit, consecravit. Ubi etiamnum altare, in quo Petrus Sacrificium obtulit, ostenditur.

Petrus Romam venit.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Yy

Eo;

Saulus &
Barnabas
creantur Epi-
scopi & mit-
tuntur ad
gentes.
Act. 13. à v.
1. ad 5.

Eodem anno Saulus Antiochiæ raptus est in tertium ce-
lum, nescius, an in corpore, an extra corpus; & audivit arca-
na verba, quæ non licet homini loqui. 2. ad Cor. 12. v. 2. 3. &
4. postea ita jubente per Prophetas, qui Antiochiæ erant, Do-
mino Saulus & Barnabas à Lucio tum jam Cyrenensi Episcopo,
à Simone & à Manahen præmissò jejuniò & oratione impositis
utrique manibus creati sunt Episcopi, ablegatique ad prædi-
candum gentibus Evangelium. missi igitur à Spiritu Sancto hi
duo gentium Apostoli assumpto secum Ioanne Marco in mini-
sterium Antiochiæ abiērunt Seleuciam, & inde navigarunt in in-
sulam Cyprum.

Herodes
Cæsareæ di-
vinitus pe-
rit.
Act. 12. à v.
19. ad 24.

Circa idem tempus Herodes Agrippa miserè periit, cum
regnasset annis duntaxat septem, tribus autem Iudæam obti-
nuisset. Concesserat Ierosolymis Cæsaream tum ut ludos so-
lennes pro salute Claudii Cæsaris magna Nobilium multitudine
confluente celebraret, tum ut Tyriorum & Sidoniorum, qui-
bus iratus erat, causam cognosceret. Altero ludorum die
dum vestitus veste regia sedet pro tribunali, ac Tyriis Sidoniis-
que pacem petentibus impertit verbis solitò blandioribus, ac-
clamatum est ipsi à populo adulante, quasi novo DEO. ad
quas populi assentantis voces dum sibi ipsi applaudit, nec dat
honorem Deo, percussus est ab Angelo Domini, & consum-
ptus à vermibus quinto post die expiravit. Filius ipsius Agrip-
pa, Junior dictus tum agebat Romæ, & in aula Claudii edu-
catur; quem quidem paterno regno destinaverat Cæsar; sed ne hoc faceret, ab aliis deterritus eum saltem Chalcididis
regno donavit cum palatio, quod pater ipsius Ierosolymis ha-
buerat. Iudææ verò ac Samariæ totiùsque regni, nunc autem
provincia Romanæ Procuratorem misit Cuspium Fadum. Et
sic regnum Iudæorum omnino defecit nullo posthac tempore
restituendum.

Petrus Româ
scribit pri-
mam episto-
lam ad varias
gentes.
1. Petr. per
3. capita.

Petrus uno & altero anno Romæ Verbum Dei seminave-
rat, cum pro sua in omnes Ecclesias sollicitudine epistolam
Româ (quam ob confusionem nationum, idolorum, vitio-
rum, totius mundi spoliorem Babyloni simillimam, Babylone
nem vocat) ad Christianos Ponti, Galatiæ, Cappadoecæ, Asia-
nos, & Bithynios, quos converterat, cum regiones illas pera-
graret, græcâ linguâ dedit. in ea celebrat admirabile Dei
con-

consilium & beneficium in Verbi incarnatione & passione, mundi redemptione, Judæorum & gentium ad fidem Christi, salutem & gloriam æternam vocatione. Mores quoque ad Christi legem efformat, hortatusque ad obedientiam, vigilantiam in orationibus, Charitatem, hospitalitatem, temperantiam, aliasque virtutes. in eadem epistola scribit fidelibus illis salutem à Marco filio suo, spirituali scilicet, quem secum Romam duxerat. qui tamen brevi post, cum Evangelium ex ore Petri magistri sui latinè scripssisset, ab eo missus est Alexandriam in Ægyptum primus Episcopus.

Saulus interea & Barnabas cum Ioanne Marco peragran- res Cyprum venerunt Salaminam, nunc Fama-Augusta di- ctam, & prædicarunt Verbum DEI in Synagogis Iudæorum. inde perrexerunt in urbem Paphum, ubi residebat Romanus Proconsul Sergius Paulus vir prudens, qui cum multa audi- visset de doctrina, quam prædicarent in Insula Saulus & Barna- bas, desiderans & ipse audire Verbum DEI accersivit eos ad se. quod dum coram eo exponunt, vehementer illis resistebat præfens Elymas magus Pseudo-propheta Judæus, quo Procon- sul familiariter utebatur, quærebátque Sergium avertere à fide. At Saulus repletus Spiritu Sancto acerbis prius correp- tum verbis cæcitate punivit, ac obmutescere docuit. quod videns Proconsul credidit admirans super doctrina Domini, creatusque postea à Saulo Episcopus non tantum in Cypro, sed tum tempore etiam Narbonæ in Gallia, & per Hispaniam ean- dem doctrinam prædicavit. Saulus verò occasione conversi Sergii Pauli & ipse deinceps vocari voluit Paulus mutato he- bræo nomine Saulus in Romanum & Græcum Paulus, fortas- sit, ut se ita facilius ac blandius Romanorum & Græcorum ani- mis insinaret.

A Papho vela fecerunt in Pamphylia, veneruntque Per- gen, ubi Ioannes Marcus, pertæsus fortè longioris itineris, discedens ab eis Ierosolymam reversus est. illi verò pertranse- untes Pergen profecti sunt Antiochiam Pissidiæ. ubi die Sab- bathorum post lectionem legis & Prophetarum in Synagoga Paulus surgens primam, quam Lucas descripsit, concionem habuit. qua prolixè ostendit, DEum post tot alia antiquis eo- rum Patribus collata beneficia demum etiam ex semine David

Saulus & Bar- nabas Sergi- um Paulum convertunt. Act. 12. à v. 5. ad 13.

Judæi Anti- ochiæ Pissi- diæ non re- cipiunt fi- dem. Act. 13. à v. 13. ad fin.

misisse Salvatorem JESUM: per quem, à Jerosolymitanis habitatoribus quidem Crucifixum, at tertia die à mortuis à DEO suscitatum, ipsi nunc annuntiarent remissionem peccatorum, & liberationem ab omnibus cæremoniis, obligationibus, & oneribus legis Mosaicæ; quibus utpote inanibus & gratia vacuis non poterant justificari, & salvari. itaque placuit oratio, ut exeuntes Paulus & Barnabas rogarentur, sequenti Sabbatho iterum loquerentur sibi verba hæc. Condixere Apostoli, atque altero Sabbatho convenit penè universa civitas audire Verbum DEI. Verùm concionantibus illis obstinatioribus Judæi indignati novos præcones cum tanta aviditate audiri *contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.* Conticuerunt itaque Apostoli illud solum in egressu è Synagoga dicentes: *Vobis, Judæis, oportebat primùm loqui verbum DEI: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vita aterna, ecce! convertimur ad gentes.* urbèque egressi disseminarunt verbum Domini per universam regionem à gentilibus ferè habitatam, qui gavisi sunt, se quoque vocari ad lucem salutem & vitam æternam, magnòque numero glorificantes verbum Domini crediderunt. Sed neque foris in vicina ferendos putarunt Judæi, concitaruntque mulieres, & per has primos civitatis; nec destiterunt, donec Apostoli ejicerentur etiam de finibus eorum. qui excusso juxta præceptum Domini in cives pedum pulvere, relicta illa regione profecti sunt Iconium in Lycaonia

Iconii persecutionem
pariuntur.
Act. 14. à v.
8. ad 6.

Hic multo tempore demorati ad fidem Christi adduxerunt copiosam multitudinem Græcorum æquè ac Judæorum ob signa & prodigia, quæ fiebant per manus eorum. inter credentes fuerant Thecla, Tryphena, Tryphosa, quas deinde Paulus in suis epistolis subinde laudavit, & salutavit. Sed demum etiam hic concitatis per Judæos incredulos gentilibus periculum erat, ne conspiratione jam facta Apostoli contumeliis afficerentur, & lapidarentur. quare de hac in tempore moniti confugerunt Lystram.

Lystris pro
Diis habentur.
Act. 14. à v.
7. ad 18.

Dum Lystris Evangelizant, videt Paulus virum claudum ex utero Matris suæ, qui nunquam ambulaverat; vidensque quòd fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magna voce: *surge super pedes tuos rectus; qui etiam mox exsilavit, & ambulavit.*

bulabat. Attonitæ hoc miraculo turbæ exclamârunt Lycaonice: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* & vocabant Barnabam Jovem ob grandiore[m] forsân staturam, Paulum verò ob facundiam, seu quoniam ipse erat Dux verbi, Mercurium. jamque Sacerdos Iovis ante fores eorum hospitiî parabat sacrificare cum populis tauros coronatos. quos Apostolis immolâssent etiam, nisi audito sacrilego proposito procurrentes conscissis in detestationem sceleris tunicis, id prohibuissent.

At hi ipsi Lystrenses (quæ est inconstantia populi) brevi ita mutârunt animos, ut quos antea divinis honoribus afficere voluerant, nunc dignos morte judicarent. quidam ex Iudæis Antiochenis & Iconiis non contenti Apostolos è suis urbibus & sinibus ejectos esse, eos persecuti sunt de civitate in civitatem, veneruntque Lystras. ubi persuasis facilè turbis effecerunt, ut lapidarent Paulum, traherentque postea extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. & verò etiam discipuli jacentem circumdantes id poterant existimare. at Paulus subito instauratis per miraculum viribus surgens iterum intravit civitatem, & postridie profectus est cum Barnaba in Derben.

Cùm hic aliquo tempore docuissent multos, reversi sunt Lystram, Iconium, & Antiochiam. in quibus urbibus non tantùm Christianos in fide piis adhortationibus confirmârunt, sed & per singulas Ecclesias præmissa oratione & jeunio ordinârunt & constituerunt Presbyteros, qui decinceps civibus sacra ministrarent. inde venerunt in Pamphyliam, & loquentes verbum Domini in Pergen descenderunt in Attaliam, ubi conscensâ navi redierunt Antiochiam Syriæ, unde ante quadrienium ad hanc Apostolicam missionem egressi fuerant; congregatâque ibi Ecclesia, quanta DEus per ipsos in gentibus operatus esset, prolixè narrârunt.

Petrus interim dum Romæ gentilibus æquè ac Iudæis ibi habitantibus fidem in Christum prædicat, simul inde per urbes & provincias totius orbis Episcopos misit. At cùm res Christiana Romæ jam magna incrementa caperet, Claudius Imperator Iudæos, & ex Iudæis oriundos Christianos omnes Româ pellit. Causam dat Suetonius cap. 25. in Claudio, eoque d

Lystris Paulus lapidatur. Act. 14. v. 18. & 19.

Redeunt denique Antiochiam Syriæ. Act. 14. à v. 20.

Judæi & Christiani ex Iudæis oriundi Româ pelluntur. Act. 18. v. 2.

Judæi assiduè tumultuarentur occasione Christi, de quo cum Christianis assidua Judæis erat altercatio. quare etiam Petrus Ierosolymam reversus est, nec non Aquila & Priscilla ejus uxor, quos Petrus Romæ converterat, Corinthum venerunt.

Paulus &
Barnabas
mittuntur
Ierosoly-
mam.
Act. 15. à v.
1. ad 4.

Non diu post, quàm Petrus Ierosolymam rediêrat, Antiochiæ oritur controversia super Iudaicis ritibus, an nempe Græci & Gentiles, priusquam reciperentur, circumcidi deberent, & servare legem Moysis. istud maximè volebant, qui ex Pharisaïs conversi erant ad fidem. aiebant enim, solis Iudæis uti promissum, ita etiam missum esse Messiam, & per ipsum partam gratiam, Redemptionem, & salutem æternam: proinde gentiles non esse horum capaces, nisi prius fierent Profelythi, & per circumcisionem Iudaismo insererentur. Paulus & Barnabas statim initio se opposuerunt huic opinioni. orta denique contentione non minima, quam Ecclesia Antiochensis sedare non poterat, mittitur ex utraque parte legatio Ierosolymam ad Apostolos & Presbyteros super hac quaestione. Paulus & Barnabas ex una parte electi assumpto secum Tito, qui antea erat utroque parente gentilis, nec tamen circumcissus, iter ingressi transeunt Phœnicem & Samariam. ubi referentes, quæ egissent in Græcia, magnò ubique gaudiò affecere Christianos, ac demum venere Ierosolymam annò à morte Christi decimò nonò.

Orta de ser-
vanda lege
Moysis qua-
estio à Con-
cilio decidi-
tur.
Act. 15. à v.
4. ad 22.

Ex Apostolis tunc Ierosolymæ aderant Petrus, Ioannes, & Iacobus ad Gal. 2. v. 9. A quibus Paulus in primis collato cum ipsis Evangelio petiit, ut doctrina, quam ipse & Barnabas inter gentes prædicarent, licet ab ipso Domino accepta ipsorum, qui Columnæ Ecclesiæ esse viderentur, auctoritate comprobaretur. veritus nempe, ne aliàs, si falsi fratres & Pseudo-Apostoli, quales jam tunc erant, jactarent, ipsius & Barnabæ doctrinam non esse conformem Evangelio, quod præcipui Christi Apostoli inter Iudæos prædicarent, in vacuum curreret, nullumque fructum inter gentes, verbis suis non credituras, referret. Idque fecerunt tres Apostoli, datisque dexteris Paulum & Barnabam in Apostolatûs socios, & in doctrina Evangelii rectè secum consentientes agnoverunt, & ut tales receperunt, hortantes solum, ut pauperum in Iudæa Christianorum memores essent ad Gal. 2. à v. 1. ad 11. Relata deinde, quæ Antiochiæ

orta

orta esset, controversia coactum est Apostolorum & Seniorum concilium. Post agitatam diu multumque questionem surgens Petrus primus sententiam dixit, ostenditque, gentes æquæ ac Iudæos per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari sine discrimine inter hos & illos: non igitur imponendum jugum legis Mosaicæ super cervices discipulorum ex gentibus, quod ipsi Iudæi non potuissent portare. Narrantibus deinde Paulo & Barnaba, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos nulla habita observatione legis Mosaicæ, Jacobus quoque peroravit, & confirmavit sententiam Petri. placuitque demum Concilio nihil ultra oneris gentibus ad Christum conversis imponere, quàm ut abstineant se ab immolatis Simulacrorum, seu à cibis, antea simulacro immolatis, cum talibus vesci symbolum esset cultus idolorum: deinde à fornicatione, quam pleræque gentes opinabantur non esse peccatum: demum à suffocatis, & sanguine, à quibus Iudæi maximè abhorrebant, ipsisque prohibitum erat Gen. 9. v. 4. quod ultimum præceptum quidem solummodò pro illo tempore erat necessarium, ut sic gentilium cum Iudæis esset major familiaritas, & minùs dissentanea vitæ morumque conditio.

Soluto Concilio Antiochiam remissi sunt cum Paulo & Barnaba Iudas & Sila duo ex primis discipulis, qui definitionem illuc referrent cum epistola, quæ ita habebat: *Apostoli & Seniores fratres his, qui sunt Antiochie & Syria & Cilicia, fratribus ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum eligere viros & mittere ad vos cum Charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro Nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hac necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos bene ageris. Valere.*

Paulus & Barnabas cum Iuda & Sila remittuntur Antiochiam. Act. 15. à v. 22. ad 30.

Tra-

Petrus Jero-
solyamā venit
Antiochiam.
Act. 15. à v.
30. ad 36.
ad Gal. 2. à v.
11. ad fin.

Tradita lectaque in frequenti Antiochiæ conventu hæc epistola vehementer omnes recreati sunt super consolatione; ac præterea verbis Silæ & Iudæ plurimum confirmati. qui cum aliquanto tempore ibi substitissent, Judas rediit Jerosolyam, Silæ verò visum est Antiochiæ remanere, & cum Paulo & Barnaba aliisque pluribus docere & evangelizare Verbum Domini. brevi post ipse etiam Petrus Antiochiam pervenit, ut antiquam suam reviseret Ecclesiam. In ea urbe plerique Christiani olim fuerant gentiles, quibuscum tamen Paulus, licet antea Iudæus, agebat & ad mensam sedebat eodem cibo indifferenter ac promiscuè utens. quod quidem primis ab adventu diebus fecit etiam Petrus, suilla aliisque cibus lege Mosæ prohibitis cum gentibus sine scrupulo vescens. At cum Ierosolyamis missi quidam à Iacobo ex circumcisione Christiani venissent, metu offendendi Iudæos subtrahebat se à convictu gentilium; suoque exemplo ad hanc simulationem trahebat cæteros Iudæo-Christianos ipsūque etiam Barnabam. quod videns Paulus coram omnibus Petro in faciem restitit, improbavitque hanc simulationem, vanūque Iudæis displicendi timorem; quasi verò lex Mosæ etiamnum obligaret, neque esset per legem Evangelii abolita; atque ex operibus legis illius justificaremur, & non per fidem Jesu Christi.

Paulus cum
Sila, Barna-
bas cum Jo-
anne Marco
pergunt gen-
tibus præ-
dicare ver-
bum DEI.
Act. 15. à v.
36. ad fin.

Utrum Petrus diutius Antiochiæ moratus sit, an in Judæam redierit, an Romam vivente adhuc Claudio reversus sit, an alias regiones in oriente peragraverit, incertum. Posthac enim Lucas nullam amplius mentionem facit de Petro. Paulus autem cum Antiochiæ toto biennio strenuè cum aliis laborasset, demum sollicitus de Græciæ civitatibus, in quibus antea prædicaverat, invitavit pristinum socium suum Barnabam ad revisendos in Græcia fratres. placuit consilium Barnabæ; ac ipse volebat secum habere Joannem Marcum, quem Paulus nolebat, eoquod eos deseruisset & discessisset de Pamphylia. Unde facta inter eos dissensione Barnabas cum Joanne Marco navigavit in insulam Cyprum: Paulus verò assumpto secum Sila perambulavit Syriam & Ciliciam, confirmandis Ecclesiis, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Post hanc disjunctionem Barnabæ à Paulo nihil amplius meminit Lucas de Barnaba; antiqua autem monumenta Ecclesiæ Medio-lanæ-

lanensis habent, è Cypro in Italiam trajecisse Barnabam, & Ecclesie Mediolanensis primum Episcopum fuisse, fidemque Christi longè latèque propagasse; tandem verò reversum in Cyprum gloriosò Salaminæ Martyriò perfunctum.

E Cilicia Paulus per Derben profectus est Lystram; ubi inter alios discipulos erat Timotheus ob egregiam indolem à cæteris fratribus Paulo laudatus juvenis; quem adeò prædicationi aptum itineris socium assumpsit. quòd verò haberet Matrem quidem fidelem, Patrem autem adhuc gentilem, eum priùs circumcidit propter Iudæos, qui erant in illis locis; ne scilicet abnuerent audire verbum DEI ab homine incircumciso, & sic Iudæos sibi demereretur. Cum hoc deinde & Sila pertransiens civitates hortabatur Christianos custodire dogmata, quæ nuper Ierosolymæ ab Apostolis & Senioribus fuerant decreta; factumque est, ut Ecclesie non tantum confirmarentur fide, sed & abundarent numero quotidie. Cogitabant quidem inde transferre Evangelium tum in Asiam Minorem, tum in Bithyniam; at vetiti sunt à Spiritu Sancto. Incerti, quò DEus ipsos vocaret, id didicerunt Troade; ubi per noctem Paulus in visione à viro Macedone invitatus & rogatus est his verbis: *transiens in Macedoniam adjuva nos.* Ergo cum Timotheo, Sila, & Luca, qui Troade se Paulo adjunxerat, navigavit Philippos, quæ urbs prima occurrebat navigantibus in Macedoniam, eratque Colonia Romanorum.

In hac urbe cùm aliquamdiu morati essent, quodam die Sabbathi extra portam egressi vident mulieres in loco orationis convenisse. Ad has Paulo verba faciente Lydia purpuraria, jam antea colens DEum, credidit, & cum Domo sua baptizata coëgit eos non tantum ædes suas subire, sed & deinceps in ea habitare. itaque ex hac postea domo ibant ad orationem. quoties autem id faciebant, sequens ipsos puella quædam à spiritu Pythone obsessa clamabat: *isti homines servi DEI excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.* istud cùm multis diebus fecisset, demum miseratus puellam Paulus, & conversus iussit spiritum in nomine Jesu Christi exire; qui etiam exiit eadem hora. At hinc gravis in eos tempestas est exorta. puella hæc divinando magnum quæstum præstabat dominis suis. nunc

Sacra Veterum Temp. Histor.

Z z

lu.

Paulus cum Sociis venit in Macedoniam. Act. 16. à v. 1. ad 13.

Philippis Paulus & Sila virgine caduntur. Act. 16. à v. 13. ad finem

lucrum suum cessare dolentes Paulum & Silam in forum rahunt, ibique veluti Iudæos ac perturbatores civitatis accusant, ut qui doceant mōres, quos Romanis non liceat suscipere, neque facere. Cūque etiam plebs accurreret adversus eos, Magistratus scissis eorum tunicis jusserunt utrumque virgis cædi, & post multas plagas in carcerem detrudi, & diligenter custodiri. Ecce autem media nocte Paulo & Sila orantibus Deūque laudantibus subito terræ motu moventur fundamenta carceris, aperiuntur omnia ostia, & captivorum vincula solvuntur. expergestus custos carceris, credensque captivos fugisse evaginatus gladiō sibi ipsi manus inferre parabat timens Magistratum. At Paulus inhibuit clamans voce magna, ne sibi quidquam mali faceret, universos vinctos adhuc adesse. quod ubi allato lumine vidit, tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, petens cum omnibus suis instrui in necessariis ad salutem; quo factō baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo; lotisque eorum plagis ea adhuc nocte mensam ipsis apparavit, *& latatus est cum omni domo sua credens DEO.* Manē adsunt lictores nomine Magistratus nuntiantes, liberos posse abire. At Paulus, ut constaret, quā indignē egissent cum hominibus Romanis, publicē eos cadendo, indemnatos in carcerem mittendo, noluit exire, donec ipsi Magistratus venirent, deprecarentur, rogarēntque, ut egrederentur de Urbe. quod ubi fecerunt, Paulus & Sila egressi accesserunt ad domum Lydiæ, consolatique fratres perfecti sunt Thessalonicam.

Thessalonicæ
& Berææ
predicant.
Act. 17. à v.
1. ad 16.

Hic cū esset Synagoga Judaica, in ea Paulus pro more suo per tria Sabbatha diserebat de Scripturis, ostendens, Christum Jesum, quem annuntiaret, debuisse pati & resurgere à mortuis, eo cum fructu, ut Iudæi quidem pauci, ex Profelytis autem seu ex gentilibus ad Iudaismum conversis, & ex ipsis gentilibus multitudo magna, ac præterea mulieres nobiles non pauca crederent. Sed demum & hic à zelantibus pro lege Iudæis Romani in Paulum & Silam concitati sunt, delatique ad Principes civitatis, quod contra decreta Cæsaris facerent prædicando Jesum esse Regem; adeo ut fratres necesse judicarent Paulum & Silam in domo Jasonis latitantes per noctem dimittere Beræam, urbem in Macedonia non longè à Pella Alexandri Magi

Magni patria sitam. Berœenses Iudæi longè nobiliori & avidiori animo susceperunt Verbum DEI, quàm Theffalonicenses; nam Paulo in ipsorum Synagoga prædicante quotidè scrutabantur scripturas, an ea, quæ Paulus ex iisdem assererat, ita se haberent. hinc multi ex iis crediderunt, ac præterea ex gentilibus mulieres honestæ ac viri non pauci. Verùm adventantibus Iudæis Theffalonicensibus etiam Berœæ turbata est prædicatio. Paulus expectare noluit, donec tumultus crederet; sed Sila & Timotheo Berœæ remanentibus ipse statim à fratribus dimissus est, ut iret usque ad mare. quò ubi pervenit, conscensa navi perductus est Athenas usque, dato revertentibus nautis mandato, Silæ & Timotheo dicerent, ut celeriter venirent ad se.

Quos dum expectat, videns ac dolens nobilissimam Athenarum civitatem, scholam sapientiæ & eloquentiæ, dæmonum cultui esse deditam, Zelò illam juvandi, erudiendi, ac convertendi, non tantùm disputabat in Synagoga Iudæorum, sed & in foro per omnes dies cum Epicuræis & Stoicis Philolophis. Alii quidam quidem per contemptum dicebant: *quid vult semivverbis hic dicere?* aliis, cum Jesum & Resurrectionem annuntiaret, videbatur novorum dæmoniorum annuntiator esse. Sed cum invicta Pauli contra ipsorum sectas & errores argumenta refellere non possent, eum in Areopagum, seu vicum Martis pertraxerunt, ut eorum confesso sapientissimorum virorum ac Iudicum novæ suæ doctrinæ ac religionis rationem redderet, & si reus deprehenderetur, acriter puniretur. Paulus igitur stans in medio Areopagi luculenta oratione demonstravit explosa inanitate simulacrorum unum verum DEum esse colendum, illum nempe, cujus aræ titulum dedissent: *Ignoto DEO*; à quo per Adamum omne genus hominum descenderet: Annuntiavit iis quoque pœnitentiam, & extremum iudicii diem, quo Christus suscitatus à mortuis iudicaturus esset orbem in æquitate. & cœtera quidem attentis animis audiebantur. Cum verò mentionem faceret de resurrectione mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt: *audiemus te de hoc iterum.* Atque ita solutus est confessus, & Paulus exivit de medio eorum. Hæc areopagitici tribunalis majestas magnum Evangelio & Religioni Christianæ dignitatem

Paulus Athenis in areopago concionatur. Act. 17. à v. 16. ad finem

attulit; cum in eo non modò non damnata fuerit, sed non paucis etiam ulque eò probata, ut eam amplecterentur, nominatim Damaris inter primarias urbis Matronas una, & Dionysius celebris ille Areopagita & Iudex, imò inter Iudices princeps. Cujus conversionem juverit collata cum dictis Pauli miraculosa eclipsi, quam moriente Christo viderat in Ægypto, cum juvenis regionem illam peragraret, uti ipse describit epistolâ ad Apollophanem, & epistolâ undecimâ ad Polycarpum; observata enim illa eclipsi exclamaverat *aut Deus natura patitur, aut mundi machina dissolvetur.* adhæsit deinceps per triennium ferè Paulo, à quo etiam creatus est Athenarum Episcopus primus. Post mortem Pauli hortatu Ioannis Apostoli Romam ad Pontificem Clementem profectus ab eo in Gallias cum Rustico & Eletherio missus est, & nobilissimo Martyrio in extrema senectute coronatus Parisiis.

Paulus Corinthi annuntiat Verbum DEI.
Act. 18. à v.
1. ad 12.

Paulus, licet ex Macedonia necdum advenissent Sila & Timotheus, Athenis profectus est Corinthum, & hospitium sumpsit apud Aquilam & Priscillam eò commodius ipsi, quòd essent Scenofactoriæ artis, seu opifices aulaorum; quam artem ipse etiam Paulus callebat, & exercebat, ne Fidelibus pro victu & vestitu gravis esse deberet. porrò in hac urbe sedit eum Sila & Timotheo, qui ex Macedonia tandem advenerant, integrum annum & sex menses. Ac primo quidem tempore disputabat in Synagoga Iudæorum per omne Sabbathum. Sed eum Iudæi contradicerent, & blasphemarent, relicta Synagoga docuit Verbum DEI in domo Synagogæ vicina, crediditque Crispus archisynagogus cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur à Sociis; nam ipse neminem baptizavit, nisi Crispum hunc & Cajum, & Stephanæ domum; uti 1. ad Cor. I. v. 14. protestatur contra eos, qui Corinthi dicebant: *ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cepha.*

Corinthi scribit primam epistolam ad

Hic otium scribendi nactus misit primam omnium epistolam ad Thessalonicenses nomine suo, Timothei, & Silæ seu Silvani. in qua inprimis laudat eorum constantiam in fide, quæ facti sint forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaja. deinde ostendit, quàm sincerè nullo ipsorum onere in mul-

multa solitudine prædicaverit Evangelium ; & quàm sedulò ipsi Verbum DEI servaverint, licet multa passi à contribulibus. Addit, quàm magno ipsos revisendi teneatur desiderio. hortatur ad castitatem, & perfectam vitæ sanctitatem, docetque modum nostræ resurrectionis, ne inordinata tristitia se obruant propter eos, qui moriuntur. demum ob incertitudinem diei iudicii hortatur ad vigilantiam & studium bonorum operum. Orat pro ipsis, utque pro se orent, precatur.

Insurrexerunt quidem Iudæi etiam Corinthi uno animo in Paulum, eumque traxerunt ad tribunal Gallionis per Achajam Proconsulis Romani. At ubi iste advertit, accusationem non esse dere quapiam politica, sed de ipsorum religione, declinavit iudicium, repulitque eos à suo tribunali. Spe sua frustrati cum furorem effundere non possent in Paulum, verterunt in Sosthenem ex principibus Synagogæ unum, eumque ante tribunal Gallionis percusserunt, eoquod causæ Pauli videretur impensius favere. Paulus licet se Iudæis invisum videret, dies tamen adhuc multos sustinuit Corinthi. &

Scriptit secundam epistolam ad Thessalonicenses. Cum enim occasione primæ fraudulentis Doctores quidam terruissent eorum animos metu iudicii extremi, quasi ex mente Pauli iam instantis ; atque ad fidem faciendam supposititias Pauli proferrent literas ; hac secunda ipsos certos facit, tunc primam instare diem Domini, cum Filius perditionis Antichristus in mundo apparens operabitur mysterium iniquitatis per signa & prodigia mendacia, eumque post brevem tyrannidem Dominus IESUS interficiet spiritu oris sui. In ea quoque monet, ut servent traditiones à se sive per sermonem, sive per epistolam acceptas. hortatur, ut se subtrahant ab omni fratre inordinatè ambulante, non laborante, sed curiosa tantum sectante. demum signum ipsis dat, ex quo genuinas suas epistolas à commentitiis dignoscant.

Transactis Corinthi uno anno & sex mensibus vasa fecit versus Syriam, comitantibusque Aquila & Priscilla devenit Ephesum. hic in Synagoga disputans cum Iudæis ita placuit, ut rogarent, longiori tempore secum maneret. At Paulus propebat. pollicitus est tamen, se DEO volente reversurum ;

Zz 3

reli-

Thessalonicenses per quinque capita.

Corinthi trahitur ad tribunal Proconsulis Achajæ. Act. 18. à v. 12. ad 18.

Scritbit secundam ad Thessalonicenses per tria capita.

Varias urbes & regiones peragravit. Act. 18. à v. 28. ad 29.

relictisque Ephesi Aquilâ & Priscillâ cum reliquis sociis deo-
dit Cæsaream, ac inde venit Ierosolymam, tum ut salutaret Ec-
clesiam, matricem scilicet; tum ut Collectam undique pro
Christianis Ierosolymæ pauperibus eleemosynam afferret, qui
à Judæis contribulibus suis nuper bonis omnibus ob fidem
Christi exuti fuerant. Ad Hebr. 10. v. 34. commissum enim
Paulo fuerat in Concilio Ierosolymitano, ita gentium curam
fisciperet, ut tamen pauperum Iudæo Christianorum memor
esset; id quod diligenter & per se præstitit, & per alios. Ad
Gal. 2. v. 10. Primâ ad Cor. 16. v. 1. 2. 3. 4. Ierosolymis pro-
fectus est Antiochiam, ubi primùm creatus fuerat Episcopus,
& gentium Apostolus. hic aliquanto tempore moratus perre-
xit ad Galatas, qui ipsum quasi Angelum de cælo lapsum exce-
perunt. ad Gal. 4. v. 14. inde perambulavit Phrygiam, confit-
mans ubique omnes discipulos.

Apollo
Ephesi ac
Corinthi
docet.
Act. 18. à v.
24. ad fin.

Non diu post, ac Paulus Ephesò discesserat, illuc venit A-
pollo Alexandrinus genere, vir eloquens, & in scripturis egre-
giè versatus, qui licet Joannis solummodò baptismò baptiza-
tus esset, tamen in Synagoga docebat diligenter ea, quæ sunt
Jesu. Aquila & Priscilla, qui ipsum audierant, idoneum judi-
cârunt, qui & alibi cum Judæis disputaret. quare ipsum rece-
perunt in domum suam, ut eum pleniùs in fide instruerent. Nec
puduit virum eloquentissimum, & in scripturis versatissimum
à textoribus doceri. Satis per aliquod tempus instructum, ac
baptismò Christi baptizatum dimiserunt Corinthum, ubi pariter
Iudæos vehementer convincebat publicè, ostendens per scriptu-
ras esse Christum Jesum.

Philippus
Apostolus
pro Christi
fide occidi-
tur.

Eodem ferè tempore, anno scilicet à morte Christi vigesi-
mo secundo Philippus Apostolus post prædicatum in Scythia
Asiatica, in Asia minore, in Mysia, Lydia, Lycaonia, Phry-
gia Evangelium tandem Hierapoli Phrygiæ urbe gloriosam
Martyrii palmam fuit assecutus, Cruci affixus, & lapidibus
obrutus.

Paulus Ephe-
si prædicat.
Act. 19. à v.
1. ad 13.

Paulus ex superioribus Asiæ partibus, Apollo Corinthi
prædicante, rediit Ephesum, & ad tertium usque annum in ea
urbe permansit hospitans apud Aquilam, & Priscillam. Primis
statim diebus invenit viros ferè duodecim ab Apollo baptiza-
tos Joannis solummodò baptismò; qui ut acciperent spiritum
San-

Sanctum, de quo ne quidem aliquid audiverant, iussit eos baptizari in Nomine Domini Iesu. ipse vero imposuit illis manus, & confirmationis sacramentum impertiit: venitque continuo spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & propheta-
bant celebrantes DEI laudes; nam in illa primitiva Ecclesia propheta-
re erat non solum futura predicere, sed revelatam doctri-
nam alios docere, & in audientium praesentia de divinis Myste-
riis loqui. deinceps in Synagoga docuerat Paulus per tres men-
ses suadens de regno DEI. Sed cum aliqui non tantum non
crederent, sed etiam palam maledicerent viam Domini, reliquit
Synagogam, & sacras suas functiones habuit in ampla aula uni-
us e principibus Ephesinis, ut sic potentia & auctoritate illius
contra Iudaeorum insultus & audaciam se suosque discipulos
tueretur. atque ita omnes Asiae minoris populi Iudaei atque
gentiles liberè audiebant verbum Domini publicè, & per do-
mos, Act. 20. v. 20. Nec tantum verba faciebat Paulus, sed &
magna miracula, ita ut etiam per sudaria & semicinctia, quibus
inter texendum praecingi solebat, pellerentur ab infirmis lan-
guores, & daemones ab obsessis egrederentur.

Erant Ephesi inter alios Exorcistas Iudaicos septem juvenes,
filii cujusdam primarii in ea urbe Sacerdotis. hi relicto Iudaeo-
rum consueto exorcizandi genere fortè in ejiciendo daemone
imitari volebant Paulum; dicebatque unus eorum ad homi-
nem, qui habebat spiritum malum: *adjuro te per Iesum, quem
pradicat Paulus.* At malè multati sunt; respondens enim ipiri-
tus nequam dixit: *Iesum novi, & Paulum scio. Vos autem qui
estis?* nec mora, homo, in quo erat daemone pessimum, in
duos eorum audaciores insiliit, vestibisque discerptis eos pu-
gnis, dentibus, unguibus ita laceravit, ut nudi & vulnerati
domo effugerent. Cujus rei famam mox per urbem vulgatam ce-
cidit timor super omnes, qui habitabant Ephesi, & magnificabant
Nomen Domini Iesu; multique credentium veniebant ad Pau-
lum, Silam, & Timotheum *confitentes actus suos*: multi con-
scientiam ducti attulerunt libros curiosos, illicitis nimirum arti-
bus plenos; quos Paulus omnes comburi iussit quinquaginta
millibus denariorum aestimatos. Ephesi enim erant Magiae
valde addicti, ita ut Apollonius Thyaneus etiam scholam pub-
licam magicæ artis apertam ibi haberet. Atque ita oc-
casio-

Ephesi for-
titer crescit
Verbum
DEI.
Act. 19. a v.
13. ad 21.

casione hujus exorcismi fortiter crescebat Verbum DEI, & confirmabatur.

Scribit primam ad Corinthios per 16. capita.

Inter medios Pauli labores varii nuntii cum querelis & dubiis Corinthò afferuntur. quare nomine suo & Sosthenis scripsit ad Christianos Corinthios epistolam; in qua per prima quatuor capita redarguit inprimis schismata & contentiones inter eos de Magistrorum suorum præcellentia, cum hic diceret: ego sum Petri: alter, ego sum Pauli: alius, ego sum Apollo. deinde præfert simplicem scientiam Mysteriorum fidei Christianæ omni scientiæ naturali: gloriatur, se nihil scire, nihil ipsos docuisse, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum: asserit, sapientiam hujus Mundi stultitiam esse apud DEum: monet eos, ne temerè judicent Ministros DEI, neque de iis deque acceptis donis glorientur, ac si illa à se haberent: promittit, se ipsum præmissò ad eos Timotheo brevi venturum, datque ipsis optionem, an in virga veniat, an in charitate & spiritu mansuetudinis. quinto capite incestuosum hætenus ab ipsis toleratum absens tradit sathanæ, monetque, ne commisceantur Christianis palàm criminosis. Sexto capite lites eorum coram tribunalibus gentilium reprehendit: enumerat peccata, quibus dediti regnum DEI non possidebunt: varias ob causas vitandam esse fornicationem ostendit. Septimo & sequentibus capitibus varia dubia ad se perscripta resolvit, ut de matrimonio, virginitate, de esu idololythorum, de velatione mulierum, de Cæna Eucharistica, de virtutibus fidei, spei, charitatis, de gratiis gratis datis, de resurrectione Christi & corporum, de colligenda pro Jerosolymitanis eleemosyna. demum commendat eis Timotheum, ac Stephanæ domum, subjungitque salutationes.

Petrus mortuo Claudio Romam redit.

Interea anno à morte Christi vigesimo sexto decima tertia Octobris Claudius porrecto ab Agrippina uxore veneno moritur. Succedit in imperio Agrippinæ filius Nero ætatis decimo octavo. Sublato adeò per mortem Claudii contra Judæos & Judæo-Christianos edicto Petrus, si non jam antea occultè, Romam intravit, nunc certè illuc reversus. An verò Romæ stabiliter usque ad mortem manserit, an varias iterum provincias peragraverit, haud satis certum est. quòd Romæ reliquos vitæ annos sederit, juxta Antverpienses in actis Sancto-

rum

rum rationi perquam consentaneum esse videtur. Fundaverat quippe spatio viginti quinque annorum post passionem Domini per Asiam atque Europam Ecclesias plurimas tum per se, tum per discipulos suos. in quibus necesse fuit identidem nasci dubia, & oriri contentiones sive inter Fideles ejusdem Ecclesie, sive inter Ecclesias diversas, aliis aliud sequendum (ut initiis maximè fieri solet, ac etiam Paulus expertus est) contententibus. Pro hujusmodi autem dubiorum, atque contentionum decisione cum sæpè recurrendum esset ad primarium & infallibilem Magistrum, debebat is, videlicet Petrus, certò locò conveniri posse. Nullo autem poterat conveniri facilius, quàm Romæ; unde per totum Mundum commercium literarum patebat. Inde quoque ad varias orbis provincias & urbes misisse Episcopos: Linum verò, Cletum, & Clementem ordinasse Episcopos, seu potiùs Chorepiscopos in opus Evangelii, ut vicaria opera intra & extra Urbem sublevarent ipsum ordinandis per varia loca Episcopis, & per ipsam Romanam Dioccesin Clericis, ita illi. Econtra apud eosdem Antverpienses græco-latina monumenta habent, Petrum aliquamdiu Romæ permansisse quidem; constituto autem Lino, tanquam Vicario suo, seu Coadjutore cum jure successionis, usque ad ultimos ante passionem suam annos peregrinatum fuisse. itaque rebus Romæ compositis Tarracinam profectus Episcopum Epaphroditum ibi reliquit, inde in Hispaniam trajecit, deinde Carthaginem in Africa adiit, eique Crescentem Episcopum præfecit, exin Ægyptum petiit, Marcum Alexandriae invisit, & Thebis Rufum Episcopum dedit. Ex Ægypto Ierosolymam revisit, inde in Ægyptum reversus & Africam iterum Romam navigavit. Deinceps Mediolanum venit, ibique Barnabam, in urbe Luca verò Paulinum, Episcopos constituit. demum in Britanniam trajecit; ubi cum innumeras gentes ad fidem Christi adduxisset, Episcopos atque Presbyteros ordinasset, Angelica visione est admonitus, Romam rediret, resolutionis suæ finem instare. ita dicta monumenta.

Paulus quoque audita morte Claudii proposuit in spiritu transire Macedonia & Achaja ire Ierosolymam, ac postea videre etiam Romam. præmittit igitur in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi Timotheum & Erastum. ipse verò mansit E-

Tumultus
Ephesi in
Paulum ab
argentariis
excitatur,

Act. 19. à v.
29. ad fin.

Ephesi usque ad Pentecosten; quia, ut scribit 1. ad Cor. 16. v. 8. ibi apertum ipsi erat ostium magnum & evidens ad convertendas gentes, & adversarii multi. At ecce! per hanc temporis moram oritur gravis tumultus contra viam Domini, & Ecclesiam Ephesinam à Demetrio Argentario. iste caput fabricarum argentariorum hucusque magnum quæstum fecerat ex ædificulis argenteis, quas ad formam Templi Dianæ, quod ibi erat Magnificum, efformabat, & ubique divendebat in larariis & oratoriis collocandas. Nunc cum Paulus cultum omnem Deorum ut impium & sacrilegum redargueret, diceretque, *quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt*; videns Argentarius non solum periclitari quæstum suum, sed & templum Magnæ Dianæ, quam tamen tota Asia & orbis hucusque coluerat, in nihilum reputari; collectis cæteris hujus artis consortibus periculum factâ ad eosdem oratione ob oculos ponit, qui irâ repleti per totam mox civitatem vociferantur: *Magna Diana Ephesiorum*; quibus clamoribus impleta est civitas confusione concurrentibus undique civibus, quorum tamen plures nesciebant, qua de causa convenissent. Paulus, qui unus hoc tumultu petebatur, accurrens volebat se dare in theatrum, sive editum locum (in quem à furenti populo jam protracti erant ipsius comites Gajus & Aristarchus Macedones) & ad confusum populum verba facere. Sed non est permixtus à discipulis & quibusdam Asiæ principibus ejus amicis, timentibus fortè, ne, postquam jam semel Ephesi in teatro cum bestiis certaverat, 1. ad Cor. 15. v. 32. iterum tantum periculum subire cogeret, si in teatro à furenti populo conspiceretur. Cum autem hæc faba cuderetur non minus in Judæos simulacrorum contemptores, quam in Christianos, illi è suis Alexandrum eloquentem & doctum protraxerunt in theatrum ad perorandum pro communi causa & reipublicæ quiete. sed ubi cognoverunt, eum Judæum esse, de novo conclamârunt Ephesii, *quasi per duas horas: Magna Diana Ephesiorum: Magna Diana Ephesiorum*. Tandem vir primarius è senatu gentilis quidem, sed Christianis non infensus sedavit populum prudenti oratione, qua ostendit, Paulum ejusque socios in Deam Dianam nullo modo fuisse sacrilegos, neque eam blasphemasse. Demetrium verò & cæteros artifices argentarios, si quam habeant causam contra eos, non

non per tumultum, sed in legitimo Proconsulis tribunali judicari debere.

Sopito tumultu Paulus cum prius ad Discipulos habuisset allocutionem, valedixit, ac profectus est, ut iret in Macedoniam, creatò Insulæ Cretæ Episcopò Titò; Timotheo verò, qui jam ex Macedonia redierat, relicto Ephesi primo Episcopo. I. ad Tim. I. v. 3, qui deinceps quinquaginta annis Ephesinæ Ecclesiæ præfuisse traditur; nam Joannes Apostolus juxta Sanctum Epiphanium in senectute primùm curandas suscepit Asiæ minoris Ecclesias. Paulus per Macedoniam iter faciens Christianos ubique exhortatus est multo sermone, & in fide confirmavit. Vacuum tempus scribendis epistolis dedit.

Nam inde scripsit epistolam ad Timotheum. in qua ipsum monet muneris sui Episcopalis; & ut rejectis Judaicis & Simonianis fabulis doceat, quæ fidem, charitatem, & bonos mores promoveant: vult pro Regibus, & Magistratibus orationes fieri, ut populus quietam ubique & tranquillam vitam agat. addit, quomodo tum vir, tum mulier debeat orare, quomodo hæc se debeat ornare: mulieris non esse docere, sed in silentio discere: describit dotes Episcopi, & Diaconi: prædicat suborituras hæreses: commendat Timotheo pietatis & doctrinæ studium: declarat, qua ratione Episcopus omnibus Ecclesiæ statibus providere possit, & debeat: demum quid servi dominis debeant, quàm exitiosa sit avaritia, & quàm nova dogmata vitanda.

Scripsit quoque epistolam ad Titum; qua ipsum instruit, quales debeat ordinare Episcopos per vicinas Cretæ insulas atque urbes: quomodo Cretenses in fide sanos conservet: quid ipsum docere oporteat senes, anus, adolescentulas, juvenes, præbendo in omnibus seipsum exemplum. Monet, ut dum inculcat morum emendationem, vanam devitet doctrinam, uti & hæreticos. demum jubet, ut festinet ad se venire Nicopolim, ubi statuisse hyemare, ad Tit. c. 3. v. 12.

EMacedonia transiens in Græciam venit Nicopolim, ubi hyemavit. Atque hinc scripsit epistolam secundam ad Corinthios, misitque per Titum & Lucam cap. 12. v. 18. In hac consolatur Corinthios, quos primâ epistolâ objurgaverat: causam reddit, cur necdum, veluti in priore epistola promiserat,

Paulus peragravit Macedoniam. Act. 20. v. 1, & 2.

Scribit primam ad Timotheum per sex capita.

Scribit epistolam ad Titum per tria capita.

EMacedonia transit in Græciam. Act. 20. v. 2. & scribit secundam ad

6. v. aver. mpo. Ec. abro. ædi. erat is & Deo. niam n so. anæ. illum ulum i per e. sio. ncur. ant, u pe. n lo. omi. ulum sdam quam Cor. chea. a cu. ores, & do. nuni udx. yas: Tan. ianîs ndit, se la. cetè. eos, non



Corinthios
per 13. ca-
pita.

rat, Corinthum venerit: docet, majori in honore debere esse Ministros novi testamenti, quam veteris: spe melioris vitæ omnia dura & adversa esse toleranda hortatur, ne acceptam fidei gratiam negligant: pœnitentes consolatur: hortatur ad faciendam eleemosynam pro pauperibus Christianis Ierofoly-mæ. Deinde texit pro se apologiam contra Pseudo-Apostolos, qui Paulo infensi eum ejusque doctrinam deprimebant, & étum fructum prædicationis impediabant. Coactus adeo profert apostolatûs sui vera insignia, prodigia nempe & virtutes, item labores & solitudines, passionésque, pro Christo toleratas; ac inter cætera scribit, se ter virgis cæsum esse, ter naufragium fuisse, nocte & die in profundo maris fuisse, à Judæis quinquies quadragenas plagas unâ minùs accepisse, aliâque, quæ Lucas quidem in Actis prætermisit, ipse autem in hac epistola enarrat. demum timens, ne ad Corinthios veniens aliquos inveniat dissensionibus ac vitiis adhuc implicatos, provocat tales ad pœnitentiam, ne in adventu suo cogatur se verè in eos animadvertere, datâque sibi à Christo uti potestate. Ultimò addit generalem ad perfectionem exhortationem & salutationes.

Scribit epi-
stolam ad
Galatas per
sex capita.

Hic quoque scripsit epistolam ad Galatas. in qua eos reprehendit, quòd à Pseudo-Apostolis seducti putent, Judaicas cæremonias unâ cum Evangelio esse servandas: ostendit, se Evangelium suum à Christo immediatè accepisse, & à primis Apostolis Petro, Joanne, & Jacobo approbatum, adeoque illi fidem adhibendam: docet, non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem JESU CHRISTI: Christianos omnino liberos esse à servitute legis veteris. demum hortatur ad Charitatem, & opera misericordiæ, docetque gloriandum esse in solo Christo Crucifixo.

Scribit epi-
stolam ad
Romanos
per 16. ca-
pita.

Nicopolî Corinthios adiit, ac apud ipsos vel potiùs ex vicino portu Cenchrensi scripsit epistolam ad Christianos Romanos. in qua primò ostendit desiderium suum prædicandi Evangelium Romæ, atque ipsorum fidem annuntiari in universo Mundo. Deinde per prima quinque capita docet, tam gentiles legem naturæ, quam Judæos legem Moysis violasse; idèdque omnes esse sub peccato, egerèque Salvatore Christo; quòd-

quodque ex fide & gratia Christi, non verò ex operibus legis Mosaicæ vel naturæ petenda sit justitia. Capite 6. & 7. instruit Fideles, quomodo in Justitia progredi, vitiisque ac concupiscentiæ resistere debeant. Capite 8. enumerat fructus ex fide & justitia Christi provenientes. Capite 9. 10. & 11. scribit, gentes ad justitiam electas esse, Iudæos verò ab illa rejectos, eoque gentes Christo crediderint, Iudæi verò credere noluerint. à capite 12. ad finem mores instruit fidelium, hortaturque ad varia vitutum Christianarum exercitia, ultimò Romanis commendat quosdam tum viros tum foeminas, eosque salvere juret, ac inter eos Aquilam & Priscillam, qui post mortem Claudii Imperatoris redierant cum aliis Romam. Vicissim etiam Romanis scribit salutem à Timotheo, Lucio, Jasono, Sosipatre, Cajo, apud quem hospitabatur, Erasto, Arcario, & Quarto.

E Græcia cogitaverat quidem Paulus rectà navigare in Syriam. Cum autem comperisset sibi parari ea in via insidias, coepit consilium in Syriam proficiscendi per Macedoniam. quare navigavit Philippos cum sociis, qui erant Sosipater cognatus Pauli, Aristarchus postea Thessalonicensium Episcopus, Secundus, Gajus, Timotheus, qui Epheso ad ipsum venerat in Græciam, Tychicus, qui administer erat Pauli in literis & mandatis ad absentes perferendo, ad Coloss. 4 v. 7. Trophimus, postea à Paulo constitutus Episcopus Arelate; è cujus prædicationis fonte, ut S. Zosymus Papa scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit. Hi omnes postea Philippis alia navi præcesserunt, & expectarunt Paulum Troade. Ipse verò cum Luca aliisque primùm post Pascha, seu post septem azy-morum dies exactos. Philippis eos secutus est, & invenit Troade.

Troade morati sunt septem dies. ultimâ, quæ erat Dominica, cum convenissent Christiani ad sumendam Evcharisti-am in cœnaculo lucentibus in eo copiosis lampadibus, juvenis quidam Paulo in mediam noctem sermonem protrahente ac discutante, sedens ad fenestram, somnòque victus cecidit per tres contignationes deorsum exanimis. turbatis omnibus, qui in cœnaculo erant, descendit Paulus; cumque incubuisset super eum, suscitavit mortuum summa omnia admittatione &

Per Macedo-
niam tendit
in Syriam.
Act. 20. à v.
3. ad 7.

Paulus mor-
tuum susci-
tat, & Mileni
valedicis
Episcopis
Aliz.
Act. 20. à v.
6. ad fin.

consolatione. hoc facto rursus in cœnaculum ascendens concionatus est, usquedum illucesceret. Tunc ipse iter fecit quidem per terram in urbem Asson, comites verò illuc venerunt navî. inde assumpto in navem suam Paulo simul venerunt Mytilenem, deinde Chium, Samum, ac demum præternavigantes Ephesum appulerunt ad urbem Miletum haud procul Epheso sitam. Noluit appellere Ephesi, timens, ne fortè diutius quàm vellet, ibi detineretur; festinabat enim, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis. Mileti putabat negotia citius expediri posse. quare huc evocavit Majores natu, & Episcopos Ecclesiarum in partibus Asiæ; Ephesinum enim Episcopum Timotheum habebat secum. igitur cùm Mileti congregati essent, eos longa oratione hortatus est, ut cùm ipsius faciem non amplius essent visuri, attendant sibi & suo gregi, utpote à Sancto spiritu positi Episcopi regere Ecclesiam DEI. postquam peroravit, positis genibus oravit cum omnibus illis, quo facto inter magnum fletum procumbentes super colulum Pauli osculabantur eum, & deduxerunt ad Maris portum.

Paulus cum
Sociis venit
Ierosoly-
mam.
Act. 21. à 7.
1. ad 18.

Consensa navi natu majores Paulum aliquosque in alia navi comitati sunt; sed demum cum suis abstractus ab illis recto cursu venit Coum; secundo die Rhodum, ac inde Pataram; ubi inventa alia navî, quæ Tyrum petebat, ascenderunt, & relicta ad sinistram insula Cypro venerunt Tyrum. hic discipuli dehortabantur Paulum, ne pergeret Ierosolymam. Nihilominus post septem, quos ibi morati sunt, dies Paulus & itineris socii ab omnibus ibi Christianis cum uxoribus & filiis ad navem deducti positos in littore genibus orârunt, & vale mutuo dicto navigârunt Ptolemaidem. ubi salutatis per diem fratribus Cæsaream profecti hospitium sumpsere apud Philippum illum ex septem primis Diaconis unum. Hic dum aliquot dies quiescunt, Agabus Propheta audiens ibi esse Paulum, venit illuc ex Iudæa, & Spiritu sancto dictante prædixit, ipsum ligandum Ierosolymæ, & tradendum in manus gentium; quod quidem per omnes civitates, per quas transierat, ipsi jam prædictum fuerat. constabat enim ubique, non solum Judæos Ierosolymæ ipsi extremè intensos esse, sed & eos, qui per Iudæam ex Iudæis facti fuerant Christiani. offensio inde oriebatur;

tur, quòd Judæo-Christiani observarent simul adhuc cæremonias Mosaicas, id quod tum temporis adhuc licebat, cùm à morte Christi mortua quidem lex esset, non tamen esset mortifera. De Paulo autem fama erat, eum Iudæos, qui extra Judæam inter gentes dispersi erant, docere, non licere Iudæo-Christianis parentibus filios suos circumcidere, neque secundùm receptos patriæ mores & consuetudines vivere. quæ quidem erat calumnia; nam Paulus solùm istud docebat, justificari homines per fidem & Gratiam Christi, non per legem Moysis; & Timotheum ipse circumcidit, feceratque Nazaratùs votum, Act. 18. v. 18. vñ cuius cogebatur saltem ad tempus alere comam, & abstinere à vino & sicera, Numeror. 6. quod fecerat, ut sic Judæo-Christianos sibi, quasi legalia contemnenti, offensos deliniret. Ob periculum tam certò ab Agabo prædictum ipsi etiam comites Pauli Lucas & cæteri preces Cæsareensibus fratribus junxerunt, rogaruntque flentes, ne ascenderet in Jerusalem. At Paulus, *quid*, inquit, *facitis flentes & affligentes cor meum? ego enim non solùm alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter Nomen Domini Jesu.* Cùm igitur animadverterent, se frustra esse, acquieverunt denique dicentes: *Domini voluntas fiat*; simulque comitantibus aliquot è Cæsarea discipulis iter Ierosolymam ingressi sunt Festum Pentecostes celebraturi. Ne verò Ierosolymitanis fratribus, rapinam bonorum suorum nuper passis, graves essent, Cæsarea veterem Christi discipulum assumpserunt secum, in cuius domo, quam habebat Ierosolymæ, hospitarentur.

Altero adventùs die Paulus cum sociis accessit domum Iacobi Episcopi, ubi collecti erant omnes seniores; narravitque singula, quæ DEus per ministerium ipsius operatus esset in gentibus, qua narratione vehementer recreati magnificabant DEum. vicissim etiam Ipsi referebant, quàm multa milia Judæorum jam in Christum crederent: Cæterùm apud hos Paulum malè audire, formamque esse, ipsum doctrinà suà Judæos in Asia, Græcia, & Macedonia dispersos avertere à lege Moysis; cùm tamen Ierosolymitani, alique Judæi, licèt ad Christum conversi, adhuc circumcidant filios suos, aliasque cæremonias legis observent. Aliud esse cum gentilibus ad fidem

Paulus in
Templo se
more Judæi-
co sanctifi-
cat.
Act. 21. à v.
18. ad 27.

dem adductis, à quibus Concilium Ierosolymitanum nihil aliud requisivisset, quàm ut abstineant se ab idolis, immolato, sanguine, suffocato, & fornicatione. Ut autem palàm fiat omnibus, falsa esse, quæ de ipso spargerentur, constatque ipsum etiam custodire legem, suadere se, ut cum fecisset votum Nazaræatûs, faceret ea, quæ lex Numerorum Sexto præscriberet: adesse opportunè quatuor viros idem votum habentes, quibuscum se sanctificaret more Judaico. Paulus benè monentibus obsecutus est, & cum illis postera die purificatus septiduum ex legis præscripto impendit.

Paulus alligatur catenis duabus.
Act. 21. à v. 27. ad fin.
& Act. 22. à v. 1. ad 24.

At ecce! septimo sanctificationis die Iudæi, qui ex Asia ad Festum Pentecostes venerant, videntes Paulum in templo, seu atrio Israëlitarum, concitaverunt omnem populum, & iniecerunt in Paulum manus, clamantes: *Viri Israëlita adjuvate: hic est homo, qui adversus populum & legem & locum hunc omnes ubique docens, insuper & gentiles induxit in templum, & violavit sanctum locum istum.* cum enim vidissent antea Paulum cum Trophimo in civitate, credebant, hunc ipsius socium Ephesum antea gentilem, esse quoque cum ipso in atrio Israëlitarum, quod intrare gentilibus nefas erat. quibus Iudæorum Asianorum clamoribus denique commota est tota civitas, & facta est in templum concursio populi. Jámque extrahentes Paulum extra templum, ne scilicet sanguine ipsius pollueretur, quærebant eum interficere; cum Tribunus Romanorum militum de tumultu monitus ex arce Antonia cum centurionibus & militari cohorte advolat, penetratque in tumultuantes & Paulum percutientes. quem ubi advertit solum peti, jussit eum alligari catenis duabus, rogans interim, quis esset, & quid fecisset. Sed præ clamore turbæ nec audiebatur ipse, nec audiebat. Jussit ergo ipsum duci in atrium arcis Antonia, in qua Romanum præsidium sua tentoria & castra habebat. Sed tam densus erat populus identidem clamans: *tolle, tolle eum*, ut neesse fuerit Paulum à militibus portari. Ubi ad gradus perventum est, per quos ascendebatur in atrium arcis, stans Paulus in superiore aliquo gradu petiit à Tribuno facultatem ad populum verba faciendi. qua data Paulus annuit manu ad plebem ingenti numero circumfusam, & magno silentio factò allocutus est lingua hebræa; nar-

rans.

rânsque suæ conversionis ordinem patienter auditus est. At cum demum diceret, semissum à DEO ad prædicandum gentibus Evangelium, tum verò insanis vocibus conclamârunt: *tolle de terra hujusmodi, non enim fas est eum vivere; simul projecere vestimenta sua, & pulverem jactârunt in æra.*

Interea Paulus introducitur in atrium. ubi Tribunus, cur sic Iudæi acclamarent ipsi, atque ad mortem deposcerent, adhuc inscius, jussit Paulum flagellari & torqueri, ut sic ab ipso veritatem sui criminis exprimeret. Jámque à militibus loris adstringebatur, cum serio vultu conversus ad centurionem adstantem, *qua potestate, ait, vos hominem Romanum ac indemnatum flagellatis?* contutbatus Centurio id mox ad Tribunum refert; qui proin i se Paulum accedit rogans, an Romanus esset? sibi quidem jus Civitatis Romanæ magnâ pecuniæ summâ fuisse emendum. Paulo respondente, se verò Civem Romanum etiam natum esse, non tantùm tortores abscedere jussit, sed etiam postera die Paulum vinculis omninò solvit. Et ut certius cognosceret, ob quod crimen à Iudæis accusaretur, jussit Iudæorum Sacerdotes & omne Concilium convenire, causâque examinari. Coram quo dum Paulus stans loqui incipit, seque omni conscientia bona ante DEum usque in hodiernum diem conversatum esse dicit, Princeps Sacerdotum Ananias *præcepit adstantibus percutere eos Pauli.* qui rei indignitate motus, *percutiet,* inquit, *te DEus paries dealbate, tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti?* At monitus esse summum Sacerdotem, cui ita malediceret, cum omni modestia factum excusans, *nesciebam,* inquit, *Fratres, quia Princeps est Sacerdotum, quem nefas est maledicere.* Exodi 22. v. 28.

Sciens autem Paulus, quòd in Concilio præsentium una pars esset Sadducæorum, altera Pharisæorum, prudenti consilio pomum discordiæ jecit in medium, altâ voce exclamans, se Pharisæum esse & filium Pharisæorum, seque de spe & resurrectione mortuorum judicari. Successit Paulo res ex animi sententia. Nam confessu mox soluto facta est dissensio magna non modò intèr Pharisæos, & Sadducæos, sed inter multitudinem etiam adstantium, adeò ut Tribunus timens, ne Paulus

Paulus vinculis solvitur, & sistitur Concilio Judæorum. Act. 22. à v. 24. ad fin. & Act. 23. à v. 1. ad 6.

Paulus injudicatus reducitur in arcem. Act. 23. à v. 6. ad 12.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Bbb

in

in tumultu à Sadducæorum factione discerneretur, confestim jussit milites descendere, & è medio ereptum reduci in Arcem Antoniam; in qua postea summo solatio perfusus est. nam à Domino nocte illa sibi assistente hæc verba audivit: *Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Roma testificari.*

Paulus mittitur
Cæsaream
ad Præsidem
Judææ.
Act. 23. à v.
22. ad fin.

Pòstero die conjurant plusquam quadraginta Judæi (Sad-
duæi utique) se nihil cibi aut potûs gustaturos, donec occi-
derent Paulum. Hoc consilium non ingratum Sacerdotibus
futurum existimantes accedunt eos, suadentque, ut Paulum
à Tribuno rursus in Concilium mitti petant, se ipsum in via in-
terfecturos. De hac conjuratione quidpiam subodoratus est
filius sororis, quam Paulus habebat. Adolescens de Patruvi-
ta sollicitus se in arcem insinuat, insidiâsque primùm Paulo
deregic, ab hoc verò missus ductusque per Centurionem ipsi
Tribuno, istere intellecta imperatõeque adolescenti hujus rei
silentio veritus, ne, si Paulus à Judæis occideretur, ipse pecu-
niis corruptus id permisisse videretur, statuit Paulum forti mi-
licum manu contra vim Judæorum cinctum Cæsaream, ubi tunc
sedes erat Præsidis Judææ propter maris opportunitatem, ad
Felicem mittere, qui Cuspio Fado successerat; jubetque illic
per duos centuriones colligere ducentos Lancearios, & sep-
tuaginta equites; qui Paulum currui impositum, & tertia ab
occasu Solis hora Ierosolymis eductum per eam noctem in Anti-
patridem perduxerunt, postera verò die remissis Ierosolymam
Lanceariis equites Cæsaream usque. Felix lecta, quam Lysi-
as Tribunus ipsi scripsérat, coram Paulo epistola, auditõque,
quod è Cilicia Romana Provincia oriundus esset, *audiam te,*
inquit ad Paulum, *cum accusatores tui venerint:* jussitque ip-
sum interim à milite custodiri in Prætorio, seu palatio, quod
olim Herodes Magnus magnificum Cæsareæ construxe-
rat.

Paulus accu-
satur coram
Felice Præsi-
de.
Act. 24. à v. 1.
ad 24.

Post quinque dies Ierosolymis adest Cæsareæ Ananias
summus Pontifex cum aliquot senioribus, & cum Tertullo;
qui veluti Advocatus causam Judæorum contra Paulum coram
Præside, Romanâ fortassis linguâ, ageret. Orsus dicere gra-
vissimorum criminum accusat Paulum vocans ipsum homi-
nem pestiferum; concitantem seditiones in universo orbe;
aucto-

auctorem seditionis Sectæ Nazarenorum, seu Christianorum; violatorem denique Templi; quæ omnia Summus Sacerdos & ceteri toto vultu annuentes vera esse affirmarunt. At Paulus, annuente sibi Præside dicere, facile ostendit, nihil horum probari posse: se duodecim abhinc dies venisse Jerosolymam solum ut adoraret, faceret vota & oblationes & eleemosynas distribueret in gentem suam: esse se quidem de hæresi, quam Judæi vocant, Christianorum, credere tamen omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt; sperare quoque resurrectionem futuram justorum & iniquorum; interim neque in templo se disputasse, neque concursum turbæ fecisse vel in Synagoga, vel in civitate: hujus in se concitata tempestatis causam esse quosdam ex Asia Judæos, qui si quam accusationem haberent adversum se, certè præsto hic essent: apud hos verò præsentis unicum crimen suum esse, quod proximè in Concilio stans clamasset: *quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.* Felix, cui & Judæorum & Christianorum lex ac vivendi ratio satis cognita erat, sententiam non pronuntiavit, sed audiendos iterum fore dixit, cum Lysias Tribunus etiam adfuerit. Interim Paulum mitius haberi jussit in custodia.

Post dies aliquot Felix cum uxore sua Drusilla, quæ erat Judæa Herodis Agrippæ junioris soror, vocat Paulum, auditurus Fidem, quæ est in Christum Jesum. quam etiam prolixè explicavit; & cum ultimò etiam de justitia, de castitate, & de judicio futuro disputaret, tremefactus Felix eum quidem in custodiam redire jussit, deinceps autem frequenter ad se accersens loquebatur cum eo, sed inani solum spe pecuniæ à Paulo dandæ. Interim expleto officii tempore in Provinciam Judææ Romæ venit Portius Festus. Felix officiò decedens cum debuisset dimittere Paulum, reliquit eum vinctum tum quòd nullas ab eo pecunias accepisset, tum ut præstaret gratiam Judæis.

Ut primùm novus Præses Cæsaream, & inde post triduum Jerosolymam venit, Principes Sacerdotum & Primì Judæorum honoris causâ ipsum accedentes rogârunt hanc ab eo primam gratiam, juberet Paulum Jerosolymam adduci. quod petebant specie quidem cognoscendi causam ipsius, reverà au-

Felix, & uxor ipsius audiunt Paulum de Fide disputantem. Act. 24. à v. 24. ad fin.

Paulus accusatus apud Festum ad Cæsarem appellat. Act. 25. à v. 1. ad 13.

tem occidendi ipsum in via. Festus id animadvertens noluit, responditque, se brevi rediturum Cæsaream; mitterent illuc idoneos Viros, qui contra Paulum accusationem adornent. Post dies octo aut decem reversus est Cæsaream sequentibus ipsum delectis Iudæis. Igitur altera statim die sedit pro tribunali, iussitque Paulum adesse. Iudæi multa & gravia crimina afferebant, quæ tamen idoneis argumentis probare non poterant Paulo rationibus ostendente, se neque in legem Iudæorum, neque in Templum, neque in Cæsarem peccasse. Festus tamen volens in primo Provinciæ aditu gratiam præstare Iudæis, quærit à Paulo, an vellet Ierosolymam ascendere, ac ibi à se sententiam expectare? id quod unice Iudæi optabant. Paulus videns Præsidis inconstantiam in partes Iudæorum inclinantis respondet, se Iudæis non nocuisse, quod ipsemet optime nōset; velle se igitur cum stet coram tribunali Cæsaris, hic judicari. Cum verò timeret, ne se nihilominus Iudæis donaret, etiam Festi iudicium declinaturus Romam ad tribunal Cæsaris appellavit. Præses hac iudicii declinatione suboffensus iustæ tamen appellationi non ausus refragari partes locò excedere jubet, & cum suis Consiliariis deliberat, an videretur annuendum postulatis Pauli, qui iudicârunt, appellationem Civis Romani omninò admittendam. quare Festus ad Paulum: *Cæsarem appellasti: ad Cæsarem ibis.*

Rex Agrippa
Paulum au-
dire cupit.
Act. 25. à v.
13. ad fin.

Interim donec navis Cæsareâ solveret, & in custodia maneret Paulus, Agrippa Rex ad salutandum novum Iudææ Præsidem cum uxore sua Berenice venit Cæsaream. Inter Regem & Præsidem quodam die sermo incidit de Paulo; cumque Festus rei hæctenus gestæ seriem narrasset; adderetque, licet inter Iudæos & Paulum esse de superstitione seu lege ipsorum, & de quodam IESU defuncto, quem affirmaret Paulus vivere, iste desiderium ostendit ipsum Paulum audiendi. Festus gratificaturus Agrippæ altera die Paulum adduci iussit in aulam; ubi Agrippa, Berenice, Festus cum Tribunis & Viris Primariis civitatis considebant. ubi Paulus in conspectum venit, Festus, *hic est*, inquit, *de quo omnis multitudo Iudæorum interpellavit me Ierosolymis petentes & acclamantes, non oportere eum vivere amplius. ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse. ipso autem appellante ad Augustum, iudicavi mittere.*

tere. Jam produco eum ad vos, & maximè ad Te, Rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam, quod scribam; sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas ejus non significare. qua oratione finita Rex Paulum monuit, ut loqueretur pro semetipso.

Paulus igitur beatum se æstimans, quòd coram Rege Judæo consuetudinum & quæstionum Judaicarum non ignaro verba facere de fide posset, rationem totius vitæ suæ reddidit: quòd scilicet à juventute educatus Jerosolymis sectæ Pharisæorum adhæserit, & resurrectionem mortuorum semper crediderit: quantum postea Ecclesiam persecutus sit: ubi & quomodo conversus fuerit: quanto deinde fervore prædicaverit fidem in Christum Damasci primùm, deinde Jerosolymis, & in omni regione Judææ, & inter gentes: quanta diligentia hortatus fuerit omnes, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad DEum digna pœnitentiæ opera facientes: quòd nihil extrà dixerit, quàm ea, quæ Prophetæ & Moyses locuti erant futura esse: hanc esse causam, cur ipsum Judæi, cum in Templo esset, comprehensum voluerint interficere. quæ & alia cum loqueretur, Festus magna voce interpellans ait: *insanis, Paule, multæ te litera ad insaniam convertunt.* Cui Paulus: *non insanio, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verbaloquor,* quod Regem, ad quem loquor, non latere arbitror; nam & ipse credit Prophetis; nihil enim in angulo quidquam horum gestum est. Cùm Agrippa ad Paulum: prope modum persuades me Christianum fieri. & Paulus: opto apud DEum non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum exceptis his vinculis. Demum surrexit Rex & cœteri seorsim ad se mutuò dicentes: nihil planè dignum morte aut vinculis Paulum fecisse. Agrippa verò ad Festum: dimitti, inquit, poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Paulus coram Agrippa causam suam agit. Act. 26. à v. 1. ad fin.

Ubi tempus navigandi opportunum adfuit, Centurio nomine Julius à Præsidi in mandatis accepit, ut sumpta secum militum turma Paulum & alios quosdam reos navi impositos Romam perduceret. itaque Paulus cum Luca, Aristarcho, aliisque Comitibus navem Adrumetinam, quæ erat in portu Cæsarensi, conscendit. Sublatis anchoris vela fecerunt, ve-

Paulus Romam navigat, venitque in Cretam. Act. 27. à v. 1. ad 13.

neruntque alteto die Sidonem; ubi per Centurionis humanitatem licuit Paulo amicos invisere, & curam sui agere. inde per maria Cypri, Ciliciae, Pamphyliae navigarunt Lystram quae est urbs maritima in Lycia. Opportune in hoc portu aderat navis Alexandrina recta tendens in Italiam. quare in hanc relicta Adrumetina cum omnibus suis Julius se recepit. At lenta fuit ob adversos ventos haec navigatio. Tandem ad Insulam Cretam in loco, qui Boni Portus dicitur, appulerunt.

Naufragium patitur, venitque in Insulam Melitam, Act. 27. a v. 13. ad fin.

Hic post elapsos jam tres fere a caepa navigatione menses, cum Decembri mense non esset tuta navigatio. Paulus prophético spiritu praevidens instans naufragium, suavit in eo portu & in vicina urbe Thalassa huc mandum. Alii vero, quod portus iste minus commodus videretur, navigandum putarunt ad alium ejusdem insulae portum. Cumque Julius plus crederet gubernatori & Nauclero, quam his, quae a Paulo dicebantur, vela fecerunt. Ecce autem dum legunt Cretam, vehementes tempestas navem ab insula in altum abripit. Per plures dies huc illuc jactati non viderunt solem nec sidera, ita ut videretur ablata esse omnis spes salutis. Paulus ut metu naufragii, inedia, ac laboribus fractos erigeret, stans in medio male factum esse aiebat, quod contra suum consilium solverint ex Creta. Bono tamen animo essent; naufragium quidem passuros, nullum tamen eorum, quotquot essent in navi (erant autem animae ducentae septuaginta sex) periturum; veluti didicisset ab angelo Dei sibi praeterita nocte assistente. Atque ita plane factum est. Postquam quatuordecim omnino dies ac noctes inter syrtes ac procellas servati essent, demum decimo quinto summo mane videntes se prope quandam insulam dum conantur in littus eiecere navim, prora arenae impacta haesit immobilis; puppis autem soluta est a vi maris. Hic spem unicam faciebat vicina terra, ad quam enatando vitam servare possent. At militum consilium fuit, ut captivos occiderent prius, ne quis, cum enatasset, effugeret. Quod centurio animadvertens, volensque servare Paulum prohibuit fieri; iussitque eos, qui possent natate, emittere se primos, & evadere, atque ad terram exire; qui deinde ceteros in tabulis & fragmentis navis redeuntes & natantes ad portum deduxerunt. Et sic factum est,

est, ut juxta verbum Pauli omnes animæ evaderent ad terram.

Ignari, quoniam ea terra esset, comperiunt postea esse melitam insulam, humaniterque excipiuntur naufragi ab incolis; nam statim pyra accensa contra imbrem & frigus eos recrearunt. Ubi dum inter cæteros etiam Paulus farmenta conportat, & in ignem injicit, ecce! vipera calore excitata manum ejus invasit non dubitantibus circumstantibus barbaris, venenato tactu statim moriturum. At cum Paulum bestia in ignem excussa nihil mali passum esse cernerent, Deum esse prædicarunt, quem antea homicidam esse suspicabantur. Tribus mensibus in hac insula hyemârunt; quo tempore Lucas Evangelium suum scripsisse creditur. Paulus autem Melitensibus interea varia beneficia præstitit; nam Publii in ea insula Principis patrem febribus & dysenteria vexatum orans & manus ei imponens sanavit. quo audito omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur. præcipue autem incolis fidem Christi exposuit, & plerosque convertit, ipsisque Publium Episcopum præfecit. Constans quoque in ea insula traditio est à Paulo, cum Publius naufragos per triduum hospitio excepisset, omnes fuisse conversos, & baptizatos, domumque Publii sterisse, ubi nunc in urbe Melita ædes maxima visitur Sancto Paulo dedicata: demum Insulanos illos ab eo tempore semper constantes in fide mansisse, tametsi insulam Mauri subinde occupârunt, tenuerintque cætenis & pluribus annis.

Reparata interea per tres menses Alexandrina nave vale Melitensibus dixerunt, multisque honoribus ab eis affecti & necessaria annonâ instructi vela rursus fecerunt, & appulerunt Syracusis in Sicilia; ubi Paulus à Marciano, quem paucis ante annis Petrus Episcopum illuc miserat, aliisque Christianis incredibili læticia exceptus est. Triduum mutæ charitatis officii datum est. tum verò reliquam Siciliae oram circumlegentes trajecto infami naufragiis freto, quod Charybdin vocant, intrarunt Rhegium Calabriae portum. Paulus Rhegiensibus advenas visendi causâ ad littus concurrentibus more suo exorsus prædicare Evangelium miraculo succensæ subito in illius gratiam marmoreæ columnæ illos ad Christi fidem convertit, ut habet illius Ecclesiæ perpetua traditio. Rhegio post unum & alterum diem stante Austro tenuerunt Putcolos Campaniæ

In insula Melita hyemârunt tres menses. Act. 28. à v. 1. ad 12.

Venit Romanam. Act. 28. à v. 12. ad 17.

urbem haud procul Neapoli; ubi Paulus à Fratribus, quos ibi invenit, rogatus relicta navi Alexandrina cum Sociis septem dies moratus est. inde verò terrestri itinere cum bona Julii venia per Neapolim & alia interjecta oppida Romam perrexit. Multi Christianorum, qui Romæ erant, ab amicis de adventu Pauli ex epistola sua & fama jam noti Puteolis certiores redditi, usque ad Forum Appii, quod Româ distat quinquaginta passuum millibus, venienti occurrerunt: alii usque ad tres tabernas, oppidum triginta tribus passuum millibus distans, quos complectens, gratiasque agens Deo affectus est ingenti læticia, ac spe rei apud Romanos benè gerendæ; quos cernebat tam sibi faventes, suamque operam in omnibus offerentes. Cùm Romam tenuerunt, Centurio reliquos vincitos tradidit Præfecto carcerum; Paulo verò ex Julii commendatione permissum est manere in quocunque vellet hospicio, non nisi uno milite ei adjuncto custodiæ causâ. Porrò Romam Paulus intravit anno à morte Christi vigesimo nono, Neronis tertio, & decimo sexto, ex quo Petrus sedem Pontificiam in ea urbe collocavit.

Romæ fidem prædicat, & primò se coram tribunali Cæsaris defendit.

Act. 28. à v. 17. ad finem. 2. ad Tim. 4. v. 16. & 17.

Paulus tres dies ab itinere fessus quieti dedit. tum misit, qui rogaret primos Judæorum, ut venirent ad se in conductam domum suam, sollicitus, ne fortè Jerolymis interea contra se scriptæ venissent ad Judæos Romanos literæ. cùm convenissent, eos allocutus, ne putarent, inquiebat, se quidquam in gentem suam aut patrios mores peccasse; nihilominus ab ea se traditum fuisse Romanis, qui cognita causa innocentem quidem dimisissent; at Judæis contradicentibus, coactum se fuisse appellare Cæsarem; apud quem tamen absit, ut velit accusare gentem suam, quòd catenâ circumdatus esset, unicam causam esse spem Israël (Messiam nempe) quem jam advenisse prædicasset. Judæi, se neque literas contra ipsum accepisse, neque mali quidpiam de ipso audivisse, respondent, rogantque, ut quæ sentiret de spe Israël (sive de Messia) aperiret; nam de secta, Messiam jam venisse credentium, sibi notum esse, quia ubique ei contradicitur. Libenter annuit Paulus. Constituto igitur die venerunt plurimi Judæorum; quibus ex lege Moyse, & ex Prophetarum oraculis à manè usque ad vesperam ostendit, Messiam planè in persona Jesu iam venisse. Et quidam credebant his, quæ

quæ dicebantur, quidam verò non credebant; quibus tamen disputatio hæc non leves scrupulos iniecit, cum discedentes multam haberent inter se quæstionem. atque ita deinceps quoque victus in suo hospicio prædicabat Verbum Dei cum magna libertate sine prohibitione tum Judæis, tum Gentilibus, tum Christianis. Hanc libertatem præstabat lene Neronis ingenium primo imperii sui quinquennio, Fidem Christianam per totum jam imperium diffusam non tantum non persequentis, sed etiam benignè defendentis, uti observat Eusebius L. 2. Hist. Ecclesiasticæ c. 22. Eandem præstabat quoque copia amicorum, quos Romæ jam à Petro conversos reperit, partim sibi comparavit ex intima etiam Cæsaris familia; Inter quos eminebant Torpes & Evellius, quos postea Nero sævior occidit, & martyrio coronavit; uti & pocillator Neronis, imò & Poppæa Sabina Augusta, aliique. Primò coram tribunali Cæsaris stanti nemo adfuit, sed omnes eum dereliquerunt; Dominus autem ei adstitit, ut liberaretur de ore Leonis, Neronis nempe, 2. Tim. 4. v. 16. & 17. Post hanc primam suam defensionem varias è vinculis scripsit literas, quibus præcipuè Fideles communire voluit contra Pseudo. apostolos, suosque in Evangelio prædicando adversarios, non paucos; quorum aliqui docebant, præter Evangelium servandam simul esse legem Moysis. alii urgebant non tantum Judaicas fabulas, sed etiam gentiles quasdam superstitiones. alii dicebant non Christum, sed angelos nostræ salutis auctores esse, & mediatores. alii negabant Christum verè fuisse crucifixum. alii dicebant, non futuram resurrectionem corporum, sed si quæ admitti debeat, factam jam esse in Christo Resurgente; ceteros verò homines non resurrecturos secundum corpus, sed solum secundum animam, hic quidem per baptismum & pœnitentiam, in futuro autem etiam per gloriam animæ, qua renascetur ad vitam novam & immortalem. alii inani Philosophiæ multum tribuebant. alii profana, vaniloquia, stultas & sine disciplina quæstiones tractabant. alii alios errores docebant. quos omnes monet esse vitandos, uti & homines variis involutos peccatis, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, resistentes virtuti, corruptos mente, reprobos circa fidem. &c. Quinque autem in suis epistolis nominatim memorat adversarios suos, Phigellum, Hermogenem,

ad hunc
de mactura
mactura
mactura
mactura

E vinculis Romanis varias epistolas scribit.

Sacra Veterum Temp. Hist.

Ccc

Ale



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Alexandrum, Hymenæum, & Philetum Asianos, qui fuerint ex iis, de quibus prædixit Mileti habens orationem ad Majores natu: *ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupirapaces in vos non parcentes gregi. & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Atque ex his quinque Hymenæum & Alexandrum tradidit Sathanæ, ut discant non blasphemare, veluti scribit 1. Tim. 1. v. 20. Alexander ærarius valdè restitit verbis Pauli. 2. Tim. 4. v. 14. & 15. Hymenæus & Philetus, quorum doctrina serpebeat ut cancer, docebant, resurrectionem jam esse factam. 2. Tim. 2. v. 17. & 18. Phigellus & Hermogenes inter alios Asianos, qui erant Romæ, aversi sunt à Paulo. 2. Tim. 1. v. 15.

Scribit secundam ad Timotheum per quatuor capita.

Porro ex vinculis Romanis ante alias epistolas scripsisse videtur secundam ad Timotheum suum, qua monet, ut intrepidè prædicet sanam Christi doctrinam. Queritur, omnes Asianos, & inter hos Phigellum & Hermogenem Romæ à se esse averfos. Laudat Onesiphorum, ejusque domum, unde multa nunc Romæ, sicut antea Ephesi acceperit obsequia. deinde hortatur ad sincerè docendum, & patiendum pro Christo, quocum propterea olim conregnaturus esset: contentiones & profana vaniloquia, stultasque quæstiones devitet, uti & homines variis involutos peccatis, & reprobos circa fidem; suo verò exemplo virtutes amplecti doceat, pergatque amare studium sacrarum literarum. deinde per Christum Judicem obtestatur, ut adversus falsos doctores, & eos, qui tales sibi coacervant, prædicet sanam doctrinam, instetque opportunè, importunè, arguat, obsecret, increpet in omni patientia. prædicat postea suam passionem cum spe recipiendi à justo Judice coronam justitiæ. demum festinet ad se Romam cum Joanne Marco adhuc antehymenem venire; neminem enim secum esse præter Lucam: Demam abiisse Thessalonicam, Crescentem in Galatiam, Titum in Dalmatiam, Tychicum à se missum Ephesum, Erastum remansisse Corinthi, Trophimum infirmum Mileti, jubetque simul, ut penulam secum afferat, quam reliquerat Troade apud Carpum, uti & libros, maximè autem membranas. addit, quanta mala passus sit ab Alexandro ærario, quem proinde devitet. queritur se in prima coram Nerone defensione ab omnibus fuisse desertum, Dominum verò sibi adstitisse scribit. Demum salutatur Priscam &

& Aquilam. ipsi verò salutem mittit ab Eubulo, Pudente, Lino, Claudia, & ab omnibus sanctis.

Ex iisdem vinculis scripsit ad Ephesios epistolam per Tycheum Diaconum ad eos missam, in hac laudat ac benedicit DEum, quòd per Christum prædestinaverit nos, & omni gratia cumulârit; agitque DEO gratias ob fidem & dilectionem Ephesiorum, qui cum antea essent peccatis mortui, nunc per Christum salvati fuerint non quidem suis operibus, sed gratis per fidem, sintque jam non hospites & advenæ, sed cives sanctorum, & domestici DEI. Cumque ipse inter alios Apostolos factus sit Minister Christi, ut inter gentes & apud ipsos evangelizaret investigabiles divitias ejus, ob eam causam se nunc hætere genua, atque orare Patrem cœlestem, ut ipsi spiritu semper corroborentur, & in charitate radicati plenè in divinis mysteriis edoceantur. deinde hortatur ad varias virtutes, maximè ad charitatem & unitatem spiritûs in vinculo pacis, ut exutò veteri induant novum hominem, & imitentur Christum. avocat ab operibus tenebrarum, & animat ad opera lucis. jubet mulieres viris subjectas esse, viros autem diligere uxores suas. docet officium filiorum erga parentes, servorum erga dominos, & contrà. demum ostendit, quàm acris pugna fidelibus sit subeunda, & quibus in ea armis utendum.

Scribit epistolam ad Ephesios per sex capita.

Scripsit quoque ex carcere Romano nomine suo & Timothei literas ad Episcopos, Diaconos, & omnes sanctos, qui erant Philippâs. hi enim compertò, vinctum Romæ detineri, miserunt illuc cum muneribus Epaphroditum solatio ipsi & auxilio futurum; quem deinde cum hac epistola Philippos remisit. in hac ostendit magnum erga Philippenses affectum suum, & certos facit, se in cunctis orationibus suis ipsorum memorem esse, optatque, ut fides & charitas ipsorum magis semper ac magis abundet; & licet desiderium habeat dissolvi & esse cum Christo, innuit tamen, se adhuc in carne mansurum ad majus ipsorum auxilium & consolationem. Advertit quosdam non sincerè, sed studiò decertandi secum de fama & gloria annuntiare Christum, existimantes, se vinctum hæ ratione magis affligi; sed eos falli scribit; se enim in hoc gaudere semper, si quovis demum modo Christus annuntietur.

Scribit epistolam ad Philippenses per quatuor capita.

hortatur ad mutuam concordiam, charitatem, & humilitatem exemplo Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; in cuius nunc nomine omne genu flectitur; utque suam in timore operentur salutem. gratulatur tum ipsis, quod inter malos sanctè vivant, tum sibi, quod tales habeat discipulos. Timotheum laudat ipsis à sincera evangelii prædicatione & obedientia, uti & Epaphroditum. deinde insectatur putantes, Legalia servanda esse unà cum evangelio; se fuisse circumcisum octavo die, esse ex genere Israël, tribu Benjamin, Hebræum ex Hebræis, Pharisæum, conversatum esse in lege sine querela; hæc tamen omnia arbitratur esse ut detrimenta & sterora, ut Christum luerificeret; se semper proficere, ut tandem perfectionem consequatur. unde Philippenses hortatur, ut se, non disculos, & Crucis Christi inimicos imitentur, sive eos, qui negant, Christum Crucifixum esse. demum ad perseverantiam & spirituale gaudium, modestiam, preces, gratiarum actiones eos componit pacem DEI exoptans, rogatque, ut Evodia & Syntyches primariæ Philippis matronæ, quæ olim laboraverant cum ipso in Evangelio, nunc aliquantum discordes id ipsum sapiant. Ultimò salutem omnes Philippis, iisque salutem dicit ab omnibus sanctis Romæ, maximè, qui de domo Cæsaris sunt.

Scribit epistolam ad Colossenses per quatuor capita.

Ex captivitate Romana scripsit etiam epistolam ad Colossenses nomine suo & Timothei missam per Tychicum, & Onesimum. quos etsi Paulus nunquam adierit, c. 2. v. 1. missus est tamen ab iis Epaphras ad ipsum solandum juvandūque Romam. à quo cum audivisset, penetrasse in eorum civitatem Pseudo-Apostolos dicentes, non Christum, sed angelos nostræ salutis auctores esse & Mediatores, urgentesque observationem multarum Judaicarum & gentilium superstitionum, per epistolam ad eos scribendum putavit, qua errores istos ipsis eximeret, & mores Christiano dignos edoceret. itaque primò audita fide, spe, & charitate eorum scribit, se orare pro ipsis, ut in scientia DEI bonisque operibus perficerentur. deinde non angelos, sed Christum unigenitum DEI filium rerum omnium opificem & totius mundi, etiam gentium, redemptorem ac Salvatorem esse docet. tum carpit varias Pseudo-Apostolorum imposturas, observationes legales, falsam an- gelo-

gelorum religionem, supersticiosum delectum ciborum, dierum &c. deinde opponit christiana & spiritualia exercitia terrenis, & superstitionis: hortatur ad mentis renovationem, charitatem, pacem, officiaque Christiana. Monet, ut insistent orationi, & cautè agant inter gentiles. salutationem eis dicit ab Aristarcho concaptivo suo, & à Marco consobrino Barnabæ, & à Jesu Justo dicto, & ab Epaphra, & à Luca suo Medico charissimo, & à Dema. demum vult, ut saluent fratres Laodiciæ, quæ etiam urbs est Phrygiæ vicina Colossis, jubetque, ut hæc epistola legatur etiam in Ecclesia Laodiciæ, & quam dedit ad Laodicenses, legatur apud ipsos; quanquam ea, quæ est ad Laodicenses, jam non ampliùs extet. ultimò vult dici Archippo, ut ministerium, quod accepit in Domino, impleat.

Romæ vincetus scripsit quoque & misit simul per Onesimum epistolam ad Philemonem virum nobilem, atque inter cives Colossenses ut potentia & opibus, ita pietate conspicuum unà cum epistola ad Colossenses nomine suo & Timothei. In qua laudat vocatque Philemonem dilectum, & adiutorem suum; Appiam verò sororem charissimam, & Archippum commilitonem suum. Onesimus fuerat servus Philemonis, & ablatis furto quibusdam rebus Colossis Romam profugerat, ubi conversum, & in vinculis baptizatum Paulus senex, uti se vocat versu nono, cum hac commendatitia remittit ad Philemonem, rogatque, ut eum recipiat in gratiam. Receptus in virum evasit insignem, & post Timotheum Ephesi creatus Episcopus sub Trajano Romæ martyrium gloriosè consummavit. ad finem epistolæ monet Philemonem, ut paret sibi hospitium, sperare enim se, Colossos venturum; dicit eis salutem ab Epaphra, Marco, Aristarcho, Dema & Luca adjutoribus suis.

Demum cum causam suam apud Neronem feliciter egisset, & spes propinqua esset liberationis, scripsit epistolam hebraicè, vel potiùs Syriacè ad conversos ex Judæis, maximè ad eos, qui in Judæa degebant. Et in primo quidem capite ex variis scripturæ locis probat, Jesum Christum esse DEum, ideòque longè majorem Moyse, Prophetis, & angelis omnibus, quibus tunc aliqui nimium tribuebant. Secundo capite infert,

Ccc 3 Chri-

Scribit epistolam ad Philemonem.

Scribit epistolam ad Hebræos per 13. capita.

Christum solum Legislatorem & Redemptorem esse habendum, cum major sit angelis. tertio & quarto capite ostendit, ipsum præ famulo ejus Moysæ audiendum, ne cum incredulis Judæis ab ejus requie ipsi repellantur, curandum proin, ut credentes in eam requiem admittantur. quinto Christum Pontificem, preces Patri offerentem exauditum esse ostendit, & Mundo salutem attulisse. Sexto promittit & inchoat altiore doctrinam excitans eos ad constantem patientiam, & perseverantiam. Septimo & octavo ex typo Melchisedech docet, sacrificium Christi Aaronis abrogatò longè præstantius successisse; excellentius quoque Sacerdotium esse Christi Leviticò, cum ipse in dextra Patris sedeat in cælis, & majorum Sacramentorum Minister fuerit, quàm Sacerdotes veteris legis. Capite nono ex ritibus veteris Tabernaculi & imperfectione hostiarum ostendit perfectionem novi tabernaculi & testamenti, in quo Christus Pontifex & hostia semel oblata emundat conscientiam nostram à peccatis. capite decimo docet, non legales hostias etsi innumeras, sed unicam Christi in cruce oblationem tollere & expiare omne peccatum. deinde laudat Hebræos, quòd & multa passi sint, aliisque vinculis compassi, & rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperint, cognoscentes, se habere meliorem substantiam. undecimo ad ipsos in fide roborandos describit, quid sit fides, qui illius fructus, & quanta efficacia. capite duodecimo Christi & tot Sanctorum exemplò animat ad tolerandas constanter afflictiones, revocatque à peccatis, ne aliàs majora quàm Judæi cogantur pati supplicia. ultimò hortatur ad fraternam charitatem, ad hospitalitatem, ad misericordiam erga vinculos & ægros, ad obedientiam erga Præpositos. Orat, ut pro seorent, quod se vicissim facturum promittit; sperat eum Timotheo, se ipsos visurum; salutat omnes eorum Præpositos, & omnes Sanctos; mittit ipsis salutem ab omnibus de Italia fratribus.

Paulus absolvitur, & liber dimittitur.
Act. ultimo
v. 30. & 31.

Dum Paulus quaquaversum literas scribit, Lucas actuum Apostolicorum librum absolvit. Mansit autem Paulus biennio toto in domo, quam conduxerat, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. Demum autem amicorum opera simul & excusatoriis literis Festi Judææ Præsidis impetratum à Nerone, ut post biennalem causæ discussionem per Romanos

Pos-

Pontifices (his enim, ut vult Baronius, causa hæc, utpote sacra, à Cæsare commissa fuerat) prolata publicè sententia Paulus è carcere & vinculis ex pediretur anno à morte Christi 31. Paulo absoluto Lucas sine actis Apostolorum imposito in Græciam reversus est, eamque & alias varias Provincias evangelizando obiit; ac tandem cælebs anno ætatis octogesimo quarto apud Patras urbem Achajæ Apostolatuum suum nobili martyrio conclusit. Paulus verò jam libertati redditus peragravit reliquam Italiam, uti & Galliam, & nominatim Hispaniam, uti proposuerat ad Romanos decimo quinto versu vigesimo quarto. Reversus ex Hispaniis revistit Syriam, Asiam, Macedoniam, Græciam, ac demum Romam rediit.

Interim anno à morte Christi trigesimo Jacobus frater Domini primus Jerosolymorum Episcopus à Judæis in Paschate lapidibus obruitur. Cùm enim scribæ & Pharisei ipsum supra pinaculum templi statuissent, ut inde ad populum loqueretur contra Jesum, ipse autem pro Jesu testimonium dixisset, eum dejecerunt, & semimortuum lapidibus obruerunt. Patris verò Achajæ Andreas Apostolus in Cruce fuit mortuus.

Anno à morte Christi trigesimo primo Barnabas Salamina in Insula Cypro martyrii palmam consecutus est; cùm enim disputasset vehementius in Synagoga cum Judæis, in egressu lapidatus est, & corpus rogo injectum; quod tamen ab igne illæsum Joannes Marcus ejus consobrinus cum quibusdam fratribus clam abstulit, & extra urbem in spelunca stadiis ferè quinque ab urbe distante sepelivit, addito sancti Matthæi evangelio, quod Barnabas hebraicè ex ore ipsius propria manu exceperat, eodem anno Marcus Evangelista Alexandria, dum juxta mare ad populum de divinis rebus verba facit, ab idolorum cultoribus funibus constrictus, & per plateas raptatus spiritum DEO reddidit. Simon quoque & Judas Apostoli in Perside pro Christo necati sunt; in Judæa verò alterò post anno Mathias.

Nero primis quinque imperii sui annis, quamdiu scilicet Mater Agrippina vivebat, sese in officio continuerat; hac autem interfecta totum se deinceps ludis infamibus, ac turpissimis rebus addixit; & demum etiam decimo Imperii anno Christia-

Jacobus & Andreas Martyrium subeunt. Martyrologium.

Barnabas, Marcus Evangelista, Simon & Judas.

Mathias pro Christo mortem oppetunt. Martyrologium.

Nero primò persequitur Christianos. Tacitus l. 15. Annalium.

nos persequi, in eosque savire primus Imperatorum cepit, ardentis Trojæ speciem spectare cupiens. Tyrannus urbem variis locis incendi jussit: cuius incendii ne ipse auctor esse putaretur, facti invidiam in Christianos derivavit; qui propterea quæsitissimis ac horrendis suppliciis Romæ affecti sunt; nam quidam ferarum tergis coniecti laniatu canum interiëre; alii crucibus affixi, alii flammis ulti; plerique facum instar in usum nocturni luminis deusti sunt. Horum sanguine magis effertus primam in Christianos persecutionem privatim hinc inde hætenus ceptam, nunc anno Imperii undecimo publicò edictò instituit. in qua inter alios plures, qui de domo Cæsaris & familia erant, ipse Poppæam Sabinam Augustam, licet alias in paucis amatam, irâ percitus ictu calcis percussam occidit. Per reliquum quoque orbem Romanum innumeri passi sunt, quorum nomina quidem non extant in terris, scripta verò sunt in Cœlis.

Petrus & Paulus Romam reversi incarcerantur.

Quare Petrus primò, mox etiam Paulus, ut Ecclesiæ tum ob crudelem Neronis persecutionem, tum ob magicas artes Simonis, quibus Cæsarem & Romanos ad hoc usque tempus demerentabat, tum etiam ob hæreses, quas inter Christianos spargebat, penè labenti succurrerent, Romam redeunt. at strenuè pro Ecclesia laborantes iram Neronis brevi in se quoque converterunt. Simon videns, plurimos se relicto adherere Petro, ejusque potiùs prædicationi credere, ut insigni aliquo, sed vano miraculo eos à Petro averteret, ope dæmonum in aëra sursum volare cepit, veluti relicta ob infidelitatem Romanorum terrâ ascensus in cœlum cum admiratione totius urbis. at Petrus facta ad Deum oratione impium spectante tota Roma dejecit in terram; quo casu fractis cruribus & quassato corpore tandem scelestus interiit. Verùm Nero ereptum sibi charum suisque rebus utilem virum dolens Petrum, qui præterea duas foeminas Imperatoris fide imbuerat, & pudicè deinceps vivere docuerat, in Mamertinum carcerem detrudi jussit; eique socium addidit Paulum, qui Christianam mulierem pellicem à Nerone desideratam ab impuro congressu averterat.

Petrus scribit secundam epistolam è carcere.

Ex hoc carcere scripsit Petrus secundam epistolam ad conversos ex Judaismo, cum jam divinitus didicisset, velocem fore depositionem tabernaculi sui. in ea hortatur, ut memores sint

maximorum, quæ à Deo acceperunt, donorum, & ad varias virtutes incitat: dicit, se brevi moriturum: doctrinæ suæ certitudinem ostendit ex Doctore Christo: prædicit, multos seductum iri à Pseudo-prophetis: pravos hominum mores acriter perstringit: propter quosdam adventum Domini negantes adstruit mundi renovationem, cum Dominus insperatò advenit. ultimò laudat epistolas Pauli, quas tamen, ut cæteras scripturas, quidam depravavit, contra quos ut se custodiant, hortatur.

Quo tempore Nero persecutionem in Christianos cœpit, eodem ferè contra Judæos bellum movit; quo denique excisis Jerosolymis Synagoga omnino everfa est. Futuram calamitatem Judæorum varia portentâ prænuntiavere. inter alia media nocte lux ingens circum altare fulsit, ut clarissima dies putaretur ad horam usque dimidiam. In festo azymorum orientalis porta ærea circa sextam noctis horam sponte patefacta. Non diu post in aëre visi sunt currus ferrei, & armatæ acies urbi circumfusæ. tum ipso die Pentecostes, cum Sacerdotes noctu in interiore Templo versarentur, strepitus ingens auditus est cum hac voce: *Migremus hinc.* unde Christiani memores monitorum Christi Hierosolymam emigrantes in alias & remotiores urbes se receperunt. Bello initium dedere tum gentiles Cæsareenses, qui obtento à Nerone urbis principatu Judæos vexabant; tum etiam Flori Judææ Præsidis avaritia & tyrannis, aded, ut Judæi à Romanis desciscerent pro antiqua libertate adversus ipsos arma caperent.

Cestius Gallus Syriæ Legatus Jerosolymam quidem mox obsedit, ut rebelles ad obsequium redigeret; verum à Judæis urbe repressus, & fugatus est. Victores in urbem reversi inter alios belli duces etiam Flavium Josephum, postea Judaici belli scriptorem, deligunt; qui in Galilæa & Judæa postea omnia ritè ordinavit. Perlata Romam Judæorum defectione Nero Vespasianum, qui tum in Achaja erat, Judaico bello præficit. qui Titum filium Alexandriam misit, ut inde legiones deduceret hyemis tempore; quibus copiis auctus in Galilæa strenuè rem gerit contra Josephum, aliòsque Judæorum duces. Japha & Jotapata ab eodem expugnata: Josephus ipse captus. quo audito

Judæi à Romanis deficiunt. Josephus de Excidio Jerosol.

Motus interni civium Jerosolymæ Jos. de Excid.

Sacra Veterum Temp. Histor.

D d d

dito

dito Jerosolymæ magnopere laboratum est intestinis motibus Zelotarum, seu pro patria libertate ante alios Zelum præferentium factione: qui & Idumæos advocarunt, & plerosque civium obruncarunt; atque inter hos Ananum ipsum summum Pontificem, adeoque Synagogæ ultimum.

A Nerone Petrus & Paulus Martyrio afficiuntur. Martyrologium.

Interim Romæ Apostoli Petrus & Paulus è carcere ducti gloriosam mortem pro Christo & Ecclesia subeunt, ille Cruce, iste, quia civis Romanus erat, gladio vigesimo nono Junii, anno à morte Christi trigesimo septimo. Æræ Christianæ vulgaris juxta Papebrochium sexagesimo quinto.

Linus Summus Pontifex.

Ab Anno post passionem Christi 37.

Nero perit.

Sanctus Petrus Romæ jam diu antè creaverat Linum, Clementem, & Clementem Episcopos non quidem simul, sed successivè, prout crescens paulatim Fidelium in urbe ac suburbiis numerus suadebat; qui cum nulli sedi vivente Petro adstricti essent, Episcopi Apostolici vel potius Evangelici vocabantur. Et quidem Linum Petrus, cum longinquas percurreret regiones, Vicarium suum constituit, ad quem se diu absente alia Ecclesiæ in dubiis recurrere possent. Nunc verò mortuo Petro cœpit esse Pontifex Romanus; qui adeò rexit Ecclesiam quæ Vicarius, quæ Pontifex annis undecim. Post quos Clementi sedem reliquit martyriò affectus Saturnini Consularis jussu anno à morte Christi trigesimo nono. Hoc Pontifice regnante Nero, postquam non tantum Romæ, sed per totum latè imperium innumeros Christianos martyriò affecisset, tandem ob nimiam tyrannidem, qua etiam alios præclaros in Republica viros multos, atque inter hos Senecam Philosophum, & Lucanum Poëtam occidit, à Senatu damnatus est absens in Græcia, quò abierat, unde cum in Italiam reverteretur, ac Neapoli sumam defectionem intelligeret, quæreturque ad supplicium, in tuga se ipsum interemit: quocum omnis Augusti familia extincta est. audita Neronis morte Galba, qui tum Hispaniæ præerat, Imperator à Romanis militibus salutatus est. Vespasianus verò ad Jerosolymam obsidendam jam accedens eam expeditionem distulit; & Josepho Sacerdoti Judæo, & belli duci capto vitam donavit, quòd prædixisset, ipsum Imperatorem fore.

Cle.

Clemens Summus Pontifex.

Clemens ab ascensione Christi ferè semper Apostolicarum Petri expeditionum individuus comes fuerat à Petro ante mortem designatus Successor. & tum quidem reculavit onus. nunc verò Lino successus est, rexitque Ecclesiam novem annis. Quo regnante Roma aliquot Imperatores brevi tempore habuit. Galba in Hispania à militibus proclamatus erat Imperator. At Germanicæ Legionibus brevi ab ipso defecere; quas ut sibi conciliaret, adoptavit Pisonem, Othone, qui eam dignitatem ambiebat, prætermisso. Hic occiso utroque Galba & Pisonem imperium occupat, ac tenet tribus solum mensibus; nam Vitellius inferioris Germaniæ Præfectus imperium assumpsit, cujus ab exercitu victus Otho suapte postea manu concidit. igitur Vitellius post necem othonis imperat, sed octo tantum mensibus; nam dum interea Vespasianus varias Judææ urbes subigit, Calendis Julii non tantum à suo exercitu, sed etiam à Legionibus in Ægypto Imperator salutatur. igitur relicto in Judæa Filio suo Tito ipse in Italiam ad civile bellum extinguendum progressus duos duces cum legionibus præmittit; à quibus Vitelliani ad Cremonam oppressi; ipse verò Vitellius lentis ictibus carnificis manu confossus est. Vespasianus Romam ingressus Capitolium bello civili in cineres redactum restauravit.

Dum hæc fiunt in Italia, Titus in Judæa per ipsos azymorum dies, cum undequaque Judæi ad Festum confluisent, Jerosolymam obsidere cœpit, ac tam arctè cingere, ut nusquam locus esset effugii.

Post trium mensum obsidionem Templum à Romanis interceptum quinto Augusti succensum est. Ultimo hujus mensis urbs ipsa capta, ac deinde penitus subversa. atque ita concidit Sancta illa Civitas, quam olim DEUS in deliciis habuit, subque templo atque oraculis dignatus est. Sed & alterum in Ægypto Templum ab Onia olim ædificatum tumultuantibus Alexandria Judæis Vespasiani jussu Ægypti Præfectus funditus excidit. Atque ita tota Synagoga sine honore sepulta fuit anno post Christum occisum quadragesimo secundo, Toto belli

Ab Anno mortis Christi 39. Judæi varias urbes perdunt. Jos. de Excid.

Otho Imperator.

Vitellius Imperator.

Vespasianus Imperator.

Jerosolyma cum templo evertitur. Jos. de Excid.

Æra Christiana vulgaris 70. mo

D d d 2

tem-

tempore è Judæis occisa sunt undecies centena millia: capta 97. millia teste Josepho. Postea Vespasianus cum Filio de Judæis Romæ triumphavit; quo in triumpho ducti Joannes & Simon factionum duces cum septingentis Judæis nobilioribus, Cæsarea urbs maritima deinceps totius Judææ & Palæstinæ metropolis facta.

Sub Trajano
Judæi variis
cladibus at-
teruntur.
Dio in Tra-
jano Euseb.
l. 4. c. 6.

Post ruinam Jerosolymæ Judæi per totum orbem dispersi sunt paucis exceptis, qui in Palæstina remanserant, sed cum solum quidem, non tamen animum ad seditiones primum mutarent, pluribus in locis jugi ferendi impatientes sæpius rebellant. Inprimis sub Trajano in Ægypto, in Insula Cypro, in Mesopotamia perduelles arma sumpserunt. Sed tandem victi atque prostrati inde expulsi, ac iterum dispersi sunt.

Item sub
Adriano. Dio
in Hadriano
S. Hieron. in
Ezech. l. 2.
c. 4.
Eusebius l. 4.
c. 2, 6, 8.

Sub Hadriano defectionem moliti Judæi Palæstinæ ad arma concurrerunt Duce Barchocheba, quem pro Messia habuerunt, decepti in ejus nomine, quod stellam aut Stellæ filium sonat, ratique, Hunc esse, de quo Num. 24. v. 17. *orietur Stella ex Jacob.* Sed Julius severus cum exercitu missus, variisque stratagematis usus illos ita fregit, ut pauci admodum Judæi ex illo tumultu salvi evaserint. Jerosolyma iterum funditus diruta est, novæque in residuis antiquæ urbis rudibus extructa est civitas, quam ex suo nomine Æliam appellari voluit Ælius Hadrianus. In ipso verò templi sancto sanctorum loco Adriani equestris statua posita fuit, stetitque ibi adhuc S. Hieronymi tempore; veluti iste testatur in c. 24. Matthæi. Cæsa in excursionibus & præliis eo in bello quingenta octoginta quinque Judæorum millia præter innumeros, qui fame, morbo, igne perierunt. Barchochebas seditionis auctor captus & occisus est. Sic attriti Judæi cervicem amplius erigere non potuerunt; aut si quandoque tumultuari, bellaque movere tentarunt, confestim repressi ac domiti sunt. Cum tempore Julianus apostata voluit templum Jerosolymitanum solo æquatum in odium Christianæ religionis instaurare; sed flamma è fundamentis erumpente, aliisque portentis ab incepto desistere coactus est. Atque ab hoc tempore excisæ Jerosolymæ Judæi traditi sunt in perpetuum servitium, suntque humiles in universa terra propter peccata sua; nec enim est amplius Princeps, nec Prophetæ, neque Dux, neque templum, neque holocaustum, neque sacri-

ficium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum, quod ut suo tempore averteret Dominus, Babylone rogaverat Daniel c. 3. à v. 34. ad 40.

Supererant in terris adhuc Apostoli, Bartholomæus, Thomas, Joannes. Joannem Dominus adhuc diutius voluit sic manere, donec veniat. Bartholomæus verò anno à morte Christi quadragesimo primo in Armenia immaniter excoriatus, capite deinde plectitur. Sequenti anno Thomas apud Indos Calaminæ lanceâ confossus occiditur. Matthæus jam diu antè in Æthiopia passus fuerit, quonam verò anno, certum non habetur.

Bartholomæus, Thomas, Matthæus passi.

Jam quidem antea multi sectabantur errores Simonis Magi, Simoniani propterea dicti. his verò temporibus ex eo orti celebres errorum Magistri prodiere Cerinthus & Ebion. Docuerat ille hæresiarcharum primus præter alios absurdos errores, Mundum ab angelis fuisse conditum; non fore resurrectionem mortuorum; dona gratiæ venalia esse, circumcissionem, aliisque Legis Mosaicæ ritus non esse in nova Lege antiquatos, sed cum Evangelio retinendos, & observandos. Hi duo mutatis quibusdam vel auctis etiam Pseudo-Magistri sui doctrinæ capitibus sese peculiarium sectarum duces constituere, ac præter alios errores docuerunt, Christum fuisse purum hominem ex Josephi & Mariæ congressu genitum, ac proinde negarunt Christi divinitatem. Cerinthus singulari sibi errore commentus insuper est millenarium quoddam regnum Christi in terris post resurrectionem Justorum, & mille annis ante judicium universale. in quo Christi in terris regno Justo per mille annos illicitis carnis cupiditatibus indulgere, Jerosolyma & Templum instaurari, præcepta Legis Mosaicæ servari, Sacrificia & victimæ immolari, & homines Judaico more circumcidi debent; hinc propter millenarium istud regnum Cerinthi sectatores nuncupati sunt Chiliastæ, seu Millenarii. Anno à morte Christi quadragesimo octavo Clemens abdicavit Pontificatum, Cleroque reliquit; & supervixit Episcopus Evangelicus soli prædicationi intentus usque ad finem primi sæculi factus Martyr sub Trajano in Chersoneso.

Varie hæreses oriuntur.

Ddd 3

Cle-

Cletus Summus Pontifex.

Ab Anno à
morte Chri-
sti 48. surgit
novus perle-
cutor Ecclē-
siæ.
Titus Impe-
rator.

Domitianus
Imperator.

Cletus à Sancto Petro jam ordinatus Episcopus Evangelicus vacantem Clementis cessione cathedram ascendit, eamque Vespasiani & Titi temporibus, nec non initio Domitiani per annos septem tenuit. Verùm duos optimos Imperatores Cletus & Ecclesia brevi amisit; Vespasianus quippe primò statim Pontificatùs ipsius annò mortuus est. Titus verò, qui Patri successit, generis humani deliciæ dictus, tertio Imperii anno eripitur veneno, ut fama erat, à fratre Domitiano sublatus, qui deinceps quindecim annos imperavit. Cletus verò post occupatam 7. annis Cathedram eodem imperante Martyrio coronatus est.

Anacletus Summus Pontifex.

Ab Anno
post passio-
nem Christi
54. Domitia-
nus sedit in
Joannem
Apostolum,
& alios per
Romanum
Imperium
Christianos.

Clato è vivis sublato Anacletus rexit universam Ecclesiam annos duodecim. Ordinasse fertur, ut Ecclesiastici incederent tonsis capillis; & ut Episcopus consecratur per tres alios Episcopos. Sub Galba, Othone, Vitellio, qui intestinis inter se bellis impliciti breve gesserunt imperium, nec non sub Vespasiano & Tito pace potita est Ecclesia. At Domitianus, quem Tertullianus in apologetico capite 5. portionem Neronis appellat, postquam primos è Senatu viros exilio, bonorum proscriptio, & morte multasset, furorem tandem ultimo Imperii biennio in Christianos convertit, multaque feralia emisit edicta, quibus plurimi Christiani tum Romæ, tum per reliquum Romanum imperium aut morte affecti, aut variis suppliciorum generibus excarnificati, aut in exilium fuerunt relegati. in qua persecutione Joannes Apostolus Epheso à Proconsule Asiæ vinctus Romam missus est; ibique ante Portam Latinam in ferventis olei dolium injectus, illæsus tamen demum in Pathmos insulam relegatus est. in eadem persecutione Sanctus Ignatius vexatus est, & Antipas martyrium subiit Pergami in Asia Apocal. 2. v. 13. Romæ Acilius Consularis pro Christi fide, tum complures alii necati sunt. Flavius quoque Clemens Consul Domitiani Consobrinus propter Christianam religionem ejus
jussu

jussu occisus est. Flavia verò Domicilla ejus uxor Imperatoris cognata ob eandem causam relegatur in insulam Pandatariam, uti & alia Domicilla Virgo Clementis Consulis ex sorore neptis in insulam Pontiam.

In hoc suo exilio Joannes scripsit dictatam à JESU CHRISTO Apocalypsin, seu revelationem eorum, quæ ab eo tempore juxta explicationem Bossueti Episcopi Meldensis deinceps Imperio Romano, Romæ idololatræ, quam Babylonem vocat, & præcipuè Ecclesiæ usque ad finem mundi eventura erant. Ac primo quidem capite hujus Prophetiæ Librum inscribit septem Ecclesiis, quæ tum erant in Asia, scilicet Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiciæ; simul describens Majestatem JESU CHRISTI apocalypsin scribere jubentis. Secundo ac tertio capite instruit ac corripit dictas Ecclesias, singulariter quoque laudat eos, qui Nicolaitarum, doctentium licitum esse fornicari & carnes idolis immolatas comedere, errorem respuerant: alios contra minis ad pœnitentiam revocat: illos, qui nec frigidi nec calidi sunt in operibus bonis, sed tepidi, nausæat: vincentibus & ad ostium stanti ac pulsanti domino aperientibus præmia pollicetur. à quarto capite usque ad vigesimum prædicit persecutiones, quas in tot milibus martyrum passura erat Ecclesia ab Imperatoribus Romanis idolorum injuriam vindicantibus. hinc Imperium Romanum seu Romam septicollem sub figura bestię repræsentat habentis in tergo prostitutam fœminam, scilicet Idololatriam Sanctorum sanguine ebriam. Et quia Diocletiani persecutio omnium atrocissima futura erat, Apostolus maximè occupatur in hac describenda. & in Diocletiani tyrannide, cujus etiam nomen DiocLES (ita privatus vocabatur) a VgVstVs per numerum 666. non obscure indicat. Prædicit, hanc bestiam, Romanum scilicet Imperium, lacerandam per decem Reges. Quod factum videmus per Persas, & Saracenos in Asia, Vandalos in Africa, Gothos in Hispania, Longobardos in Italia, Burgundos in Gallia, Francos in Germania, Hunnos in Pannonia, Alanos & Suevos in aliis Provinciis antea Romano Imperio subjectis; ipsam verò Romam sæpius prædam barbaris factam, maximè sub Alarico Gothorum Rege, qui eam A. 410. igne ferroque primus vastavit, tum quidem jam magnâ ex parte Christianam.

In Insula Patmos Joannes scribit apocalypsin.

præ-

Prædicat, Ecclesiam idololatriâ cum bestia exterminatâ, & re-
truso in carcerem Sathana pacem saltem à tam universali perse-
cutione habituram, cumque Christo regnaturam mille annis,
id est, toto tempore, quo Mundus deinceps existet. Prædicat
denique, ut in ultimo Mundi tempore catenis solutum rursus Satha-
nam per Antichristum omnem artem atque vim adhibituram ad
prævalendum contra Ecclesiam. At brevem fore hanc perse-
cutionem; mox enim secuturam Resurrectionem, extremum
judicium, orbisque totius excidium; ac misso in flagrum ignis
& sulphuris cum omnibus impiis diabolo gloriam Beatorum
æternam in cælo, ubi mors ultra non erit, neque luctus, ne-
que clamor, neque dolor erit ultra.

Joannes scri-
bit tres Epi-
stolas.

Scripsit etiam sequentibus annis tres epistolas Canonicas,
maximè contra Basilidem, aliòsque, qui Christum veram ha-
buisset carnem negabant, quas quidem scripsit in usum Fidelium
ubivis degentium; nominatim verò misit ad Parthos. Ad
quos post mortem Apostolorum Simonis, Bartholomæi, &
Thomæ profectus fuerat, eosque in Christi fide confirmâ-
rat.

Primam per
s. capita.

Ac in primâ quidem epistola evertit tum hæresim Cerinthi,
& Ebionis negantium Divinitatem Christi; tum Basilidis, ne-
gantis veram Christi carnem & humanitatem; tum etiam Si-
monis Magi sectatorum, solam fidem ad salutem necessariam
esse prædicantium. Hinc passim præter fidem & fiduciam in
DEum inculcat Charitatem tum DEI, tum proximi. hinc pio-
rum operum exercitia cuique ætati, pueris, adolescentibus,
Viris, ac senibus præscribit.

Secundam
per caput
unicum.

Secundam epistolam dedit ad Electam, quàm uti & ejus fili-
os in fide & charitate Christi confirmat, hortaturque, ut in ea
persistant, caveantque à seductoribus, qui recedunt ab hac
Christi doctrina. Pauca scribit, cætera reservans, donec ad
eos veniat.

Tertiam per
caput uni-
cum.

Tertiam æquè brevem scribit ad Gajum, quem laudat,
quòd in veritate ambulet, & hospites charitate excipiat. ar-
guit verò Diotrephis inhospitalitatem & arrogantiam. De-
metriam suo ac Ecclesiæ testimonio commendat, seque brevi
cum Gajo futurum, & os ad os locuturum significat. Demum
ab amicis ipsi salutem mittit, petiisque nomine suo salutem dici
amicis nominatim.

Do;

Domitianus cum ita in omnes saevissime grassaretur, à Stephano Flavie Domitillæ Procureto, aliisque conjuratis in suo cubiculo occiditur exactis Imperii annis quindecim. Successit Nerva à Domitiani interfecto Imperator salutus; qui lata in Christianos edicta ex Senatus consulto rescidit; ve-tuitque quenquam accusari causa Religionis; missos vero in exilium revocavit. quare etiam Joannes è Patmos insula Ephe-sum revertitur. ubi Ecclesiam Apollonius Thyanaeus, perpetuus Joannis antagonista, suis prestigiis valde infestabat. qui tamen brevi post occultam mortem oppetiit, quò credi posset immor-talis, & in Cœlum translatus; Joannes verò dein eps totius Asia gubernavit Ecclesias, & Anacletus in Cœlum abiit.

Joannes Ephesum re-vertitur. Hieron. de scrip-toribus Ec-clesiasticis.

Nerva Imp.

Evaristus Summus Pontifex.

Hic cum regnante Nerva Ecclesia pace fruere-tur, divisit in urbe Roma titulos Presbyteris, id est, domos Fi-delium Divino cultui destinatas; in quibus Christiani synaxes agere consueverant, quasque nos Ecclesias dicimus. Porro ti-tulus, quo Domus Divino cultui mancipabatur, fuit vexillum Crucis. qua ratione factum est, ut Ecclesia appellaretur Titu-lus, eoquod is, qui ei Presbyter adscriberetur, ab eo nomen titulumque acciperet. Cum tempore autem Romæ mos obtinuit, ut non omnis Ecclesia Titulus diceretur, sed tantum Ecclesiæ insigniores, quibus præficerentur Cardinales. Septem quoque Diaconos ordinavit, qui Episcopo assisterent ob muneris Ma-jestatem in functionibus Episcopalibus. Atque inde per mul-ta sæcula septem tantum in Ecclesia Romana Diaconi ministrã-runt. Martyr deinde sub Hadriano Imperatore obiit, cum rexisset Ecclesiam tredecim annos, Joannes Apostolus Ephe-sum reversus rogatu Episcoporum Asia Evangelium suum græ-cè scripsit, quo Divinitatem Christi contra ejus temporis hæ-reticos fortissime defendit.

Ab Anno à Christi pas-sione 65. 67. Joannes scri-bit suum Evangelium: Hieron. de scriptoribus Ecclesiasticis.

Nerva, cum fieret Imperator, numerabat annos ætatis 65. Senio digitur fatiscens, ut Imperio consuleret, præteritis sibi lan-guine junctis Trajanum natione Hispanum, qui tunc Germa-niæ præerat, in Filium & Successorem adoptat, ac paulò post vitam functus eidem reliquit imperium. Hic magnus Deorum

Popularis persecutio in Christianos.

Sacra Veterum Temp. Histor.

Ecc

cul-

Trajanus Imperator.

cultor cum paulò post è Germania in Urbem venisset, nullis quidem & ipse nefastis edictis Ecclesiæ pacem turbavit; sed tamen popularibus persecutionibus hinc inde occasionem dedit suo rescripto, quo Provinciarum Præfectis præcepit, ut adhibita omni vigilantia impedirent, ne Christiani Collegia seu privatos conventus instituerent. habebant enim jam tunc Christiani ubique certas domos, cryptas, catacumbas Romanas, aliâque loca, in quibus certis temporibus conveniebant, orabant, atque alia Christianæ pietatis officia peragebant. quæ quidem orationum loca erant Fidelibus passim nota. rescripto quoque Cajo Plinio Bithyniæ Proconsuli de Christianis interroganti: non quidem in eos inquireret, delatos tamen puniret, si Diis nollent supplicare, seque Christianos negare. hinc factum est, ut Romanorum Gentilium tumultuantium odiis & clamoribus multi ad supplicia in Provinciis raperentur, & à Præfectis Christiano nomini magis infensis non alio crimine rei, nisi quòd Christiani essent, necarentur. qua in populari persecutione etiam Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus damnatus ad bestias Romam missus est, & in Amphitheatro publicè leonibus expositus, itaque bestiarum dentibus laniatus est, ut firmiora solum ossa superessent. Simeon quoque Ierosolymæ Episcopus jussu Attici Consularis in crucem actus est. Ephesi Onesimus Sancti Pauli discipulus, ibique post Timotheum Episcopus lapidibus obrutus, & alii plerique martyriò affecti sunt; præ cæteris enim Asiæ Proconsul Fideles tum persequabatur.

Joannes Apostolus moritur. Hieron. de script. Eccl.

Joannes scripto suo Evangelio reliquis duobus, quibus supervixit annis in ultima senectute ita viribus defecit, ut eum Ephesi inter Discipulorum manus ad Ecclesiam deferri necesse esset. In solitis allocutionibus ad Discipulos & fratres istud solum identidem concionabatur: *Filioli, diligite alterutrum;* non enim poterat in plura vocem verba contexere. Demum sexagesimo octavo post Passionem Domini anno & ipse, Apostolorum ultimus, in Cælum abiit. Cum
cujus vita Historia quoque Apostolica finem habet.





Errata corrigenda.

In Historia Sacra.

- Pag. 19. l. 24. cui lege sui.
l. 31. verili sterili.
34. l. 34. adhibebur adhibebat.
43. l. 3. Ægyptus Ægyptiis.
57. l. 22. cubitus cubitis.
64. l. 30. obtrectationem obtrectationum.
78. l. 20. captis capris.
90. l. ult. afficit affixit.
93. l. ult. jesse jesse.
95. l. 19. fuit fudit.
122. l. 2. tutatas tutatus.
135. l. 31. Sectarent spectarent.
153. l. 21. Asia Asa.
168. l. 23. quæ qui.
186. l. 25. obturango obturando.
226. l. 33. amaritani Samaritani.
255. l. 4. Sagittari sagittarii.
298. l. 15. stant stans.
338. l. 25. jemporis temporis.
355. l. 15. lyffras lystras.
373. l. 34. formámque famámque.
391. l. 11. excillis excisis.

leviora menda facillè corriget prudens,
& benevolus Lector.

Er-

Errata corrigenda.

In Dissertatione Chronologica.

- In Præfat. l. 23. solidus solidius.
Pag. 5. l. 1. aliúsque aliique
26. l. penult. te &
30. l. 23. dies dies reducuntur.
31. l. 4. 601 621.
32. l. 14. 544 504.
34. l. 35. annis 522. annis 525.
48. l. 19. triginta triginta tribus.
60. l. 3. auna luna.
l. 4. cld ad
62. l. 2. cl d.
71. l. 9. F F.
78. l. 23. è flecteret flecteret.
85. l. 19. annorum auctorum.
85. l. 28. observatur, observatus.
88. l. 31. fed sedem.
90. l. 33. quater mille quadringentorum.
95. l. antep. 8. cal. Dominicus. 8. cal. April.
Dominus.
98. l. 22. asseruere asseruere mortuum Christi.
111. l. antep. Sententiam Sentiàm.

leviora menda facillè corriget prudens,
& benevolus Lector.



DE
ÆRA
SEU
EPOCHA
CONDITI,
ET PER NATALES AC MORTEM
FILII DEI REPARATI TERRARUM ORBIS
DISSERTATIO
CHRONOLOGICA,
IN QUÆ
E SACRÆ SCRIPTURÆ INFALLIBI-
LIBUS ORACULIS
NEC NON
INDUBIIS ASTRONOMIÆ CHARACTERIBUS
OSTENDITUR
*MUNDI ÆTAS, VERUMQUE NATI
AC PASSI CHRISTI TEMPUS*
AUCTORE
R. P. NICASIO GRAMMATICI,
E
SOCIETATE JESU
Cum approbatione & licentia Superiorum.

INGOLSTADII

Sumptibus JOANNIS ANDRÆÆ de la HAYE, Bibliopolæ Academici.
Typis Godefridi Zipper, Typogr. Acad. Anno 1734

DE
ERA

EPICHA

CONDITI

ET PER NATALIS AC MORTEM

MILLI DEI REPARATI FERRARIUM ORBIS

DISSECTATIO

CHRONOLOGICA

DE SACRAE SCRIPTURAE INFALLIBILI

LIBRI TRACTATUS

IN REBUS ASTRONOMICIS CHRONOLOGICIS

MUNDI ET AETERNAE VITAE

AC PASTORIS OFFICII

DE P. NIGALIS MATHEMATICA

SOCIETATE

IN PADOVA

IN PADOVA, IN AEDIBUS JOHANNIS ALBERTI DE LUCA, BIBLIOPOLAE, MDCCCLXXXIII.

PRÆFATIO.



Elebriores inter Chronologiæ Epochas primatum facile tenent hæ tres, Mundi conditi, JESU Christi nati, ac passi. Totidem eas sectionibus disquirat præsens Differtatio. Æram primam, quod attinet, mihi quoque arrisit opinio, quæ à Genesi rerum creatarum ad DEI Homini Natalis quater mille præcisè annos numerat. Rotundus hic quadraginta sæculorum numerus aptius memoriæ deservit, neque magno molimine elicitur ex ipsis SS. Pagineis *Editionis Vulgate*, ut vocant. Uranici insuper Characteres, notæ Temporum irrefragabiles, illam summam confirmant. Pauculi eidem, ut quibusdam Chronographis placuit, additi vel detracti anni, nil præcisionis videntur superaddere genuinæ Mundi Chronotaxi, non parùm derogare simplicitati Historiæ. Illos porro Domini Natales intelligo, quos Dionysius Abbas Ævi sui insignis Chronicus olim constituit, orbisque Christianus subin usu recepit. Vera etenim Nativitatis Dominicæ Epochæ & ipsa apud Chronologos maximè controversa, minùs apta censetur ritè stabiliendæ Temporum intercapedini à creatione Mundi evolutæ usque ad Filii DEI adventum in hæc Terras. Quò solidùs Æram hanc alteram ego figerem, examen illius rejeci in Sectionem tertiam, illorum Scriptorum vestigia secutus, qui ex anno mortui pro hominum salute Redemptoris, Virginei Partus annum certius deducunt. Cæterum in ista Mortis

tis

tis salvificæ Epochæ tertiâ statuenda potissimus à me
exhaustus labor, semel, iterumque mutatâ sententiâ,
quam antehac etiam publicè in Academiis tuebar,
quamcunque enim ex aliorum Lucubratis sectarer,
jugiter in aliquibus anceps hærebam. Lustratâ deni-
que attentius Antonii Pagi Cirticâ in Annales Baro-
nii filum mihi porrectum autumabam, satis feliciter
eluctandi ex hisce Labyrinthis. An reipsa evaserim
chronographiæ peritiores dispiciant. Strictim ha-
ctenus indicatorum rationes clarius patebunt ex ipsa
Dissertatione, præsertim ex dicendis cujusvis Sectionis
initiô. Si quid Benevole Lector hic boni, & excolen-
dæ Temporum scientiæ proficui repereris, totum id
uni bonorum omnium Lagitori DEO mecum tribuere
memineris. Huic Regi sæculorum Immortali &
Invisibili Soli honor & gloria in sæ-
cula sæculorum,



INDEX.

SECTIONIS I.

- Cap. I. Ostenditur à condito Orbe ad Diluuium fluxiss: annos 1656.
- Cap. II. Mundi altera Ætas à Cataclysmo ad scripta Legis promulgationem conuincitur fuisse annorum 797.
- Cap. III. Conficitur periodum temporis à promulgata Lege ad structuram Templi Salomonici constare annis 520.
- Cap. IV. Ex Historia Regum Fuda, à conditu Templi usque ad excidium illius, transactos esse annos 421. deducitur satis liquidò.
- Cap. V. Manifestum fit à desolatione Templi ad restorationem ejus prateriisse annos 71.
- Cap. VI. Ab instauratione Templi usque ad Æram Vulgarem Christiadum intercipi cyclum annorum 535. è Luna defectibus commonstratur.
- Cap. VII. E Solis Eclipsi anno Diluuii in Sinis visa liquefcit, Abram natum anno patris sui 70 non autem 130.
- Cap. VIII. Stabilitur è Danielis Hebdomadis, annisque Judæorum sabbaticis, Mundi durationem à sui origine ad vulgarem Christi Epocham esse quater mille precise annorum.

SECTIONIS II.

- Cap. I. Clarum redditur, Christo in his terris degente nullam factam Calendarii Juliani immutationem ab ea ratione, quam habere debebat ex instituto Julii Caesaris.
- Cap. II. Afferuntur annorum termini, quæ illigari potest Dominica Passio.
- Cap. III. Exhibentur illorum annorum Paschales calculi Astronomici & Cyclici.
- Cap. IV. Clarè deducitur terna ex iis Paschata, licet sortita fuerint Plenilunii & Feria VI Characteres in unam eandemque mensis diem confluentes inepta fuisse morti Domini.
- Cap. V. Elucidatur initium Imperii Tiberii, & palàm fit, à priore derivatum annum 15. ejusdem cesaris in Evangelio

lio S. Luca, ubi asseritur de Christo: erat incipiens quasi annorum triginta.

Cap. VI. Mirabilem illam phabi caliginem in obitu Redemptoris orbe attonito spectatam competere anno Æra Christiana Vulg. 29, seu Olympiadis 201. anno IV. evincitur.

Cap. VII. Demonstratur, nil obstare Æquinoctium vernum, quò minus prædicto anno dici queat die 18. Martii in Cruce mortuus Dominus.

Cap. VIII. annum hunc & diem Redemptoris obitu decorandos, auctoritate maxima, validisque rationibus concluditur.

Cap. IX. Conjectura aliquot adducuntur, cur Patres & antiquissimorum Scriptorum plures diem Martii 25. deputarint Passioni Dominica

SECTIONIS III.


Cap. I. Quatuor à suscepto Baptismate Paschata transegitte Servatorem usque ad diem mortis sue fit palam.

Cap. I. Solidè tota Christi ætas à Nativitate ad obitum definitur annis completis triginta tribus cum trimestri paulò minùs.

Cap. III. Vindicatur Chronologia Flavii Josephi de vita & gestis Herodis ab erroribus Scriptori illi Judaico immeritò impactis.

Cap. IV. Probabilius redditur Herodem potius anno Juliano 42. in Novembri vivis ereptum, quam anno præcedente, vel eodem paulò ante Pascha.

Cap. V. E quibus satis confirmatis manifestò & legitimè inferatur Natales DEI Hominis incidisse in annum Julianum 40. exeuntem, seu quinquennio ab Æra Vulg. Christianorum distantem.





SECTIO PRIMA

DE

ÆRA MUNDI CONDITI.

LN Orbis constituenda ætate, quot videlicet anni à condito usque ad reparatum per Nates Christi mundum fluxerint, tanta est Chronologorum rem ex instituto arbitantium & multitudo & diversitas, ut inter centenos vix duos reperias in diversa non abeuntes, licet eorum, quos mihi videre contigit, plerique annorum periodos ex eodem fonte, Sacra videlicet Scriptura, hausisse se asserant. Nec id quidem mirum. Deficientibus siquidem in tam proluxa temporum caligine melioris notæ monumentis, non rarò ad conjecturas potius, quàm solida fundamenta recurrere necesse videtur. Nam quamvis è sacris Paginis liquidò colligatur prima Mundi ætas ab ejus ortu ad catadistimum, indèque ad regnorum variis in locis erectorum primodia, Græcorum tamen ac Latinorum, nec non Hebraicorum etiam sacrorum codicum non rarò occurrens discrepantia, haud ubique complanatos exhibet temporum characteres. In eo autem chronographi satis consentiunt, in quæstione hac per gradus quosdam, seu insigniores annorum terminos procedendum. Sic definiunt tempus à Creatione Mundi evolutum usque ad diluvium, hinc ad exodum Filiorum

A rum

rum Israel ex Ægypto, ab illo egressu ad constructionem Templi Salomonici, inde ad captivitatem Babylonicam, ab hac ad alteram ejusdem Templi sub Nabuchodonosore penitus destructi erectionem, hinc autem ad ipsum usque Adventum Servatoris, vel, quod præstat, ad Æram *vulgarem* Christi, à Dionysio Abbate inductam sæculo sexto reparatæ salutis, & vulgò jam receptam inter Christiani Nominis Affectas, unde annorum putandorum rationes denique omnes & singuli inière, Epochis aliis, quæ olim celebres fuerant, vel abrogatis, vel saltem neglectis. Et hos quidem sex temporum limites, quos mihi disquirendos præfixi, Chronographorum aliqui augent, alii etiam imminuunt. Pro hac porro disquisitione suppono 1. anno in SS. Pagine serie aliqua notatos pro integris accipi posse, quamdiu nil occurrit, quod Secus opinari cogat, sic enim anni completi dies redundantes à fluentis adhuc deficientibus compensari mutuò valent. Quando igitur Scriptura S. perhibet, natum quempiam anno patris sui 70. vel mortuum 100. ætatis suæ, licet ad annos istos explendos hebdomades vel etiam menses desint, aut septuaginta vel centum, ante dies complures, jam fuerint transacti, familiare habent Chronologi illos usurpare pro præcisè completis, minore erroris periculo, quàm si scrupulosius inire vellent rationes excessus vel defectus eorum. Ubi autem præter annum ex. gr. Regni 20. dies præterea & menses ibidem adderentur, vel ipsi anno signato demerentur, sedulo chronotæcos compilatori incumbet istorum quoque curam gerere.

Suppono 2ò. cum magna sanè differentia in annis à creato orbe usque ad Diluvii tempora appareat inter versionem LXX. Interpretum & Hebraicam, atque Latinam *vulgatam* (prior siquidem ex Patriarcharum ætate ab Adamo ad Noëmum teste Ricciolio annos censet 2256, reliquæ duæ tantum 1656.) tutiorem à Chronologis haberi supputationem primæ Mundi ætatis petitam è fontibus Hebræis, quàm Græcis. Tum quia editio *vulgata*, ut loquitur S. Synodus Tridentina, *longo sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est*, & idcirco ab æcumenico illo Concilio sub anathematis interminatione suscipienda præcipitur cum omnibus suis partibus, adeoque etiam illis, quibus anni prædicti continentur: tum quodd ratiociniis astronomicis de motu *Apogai* solaris meliùs cum *vulgata*, quàm 70. Interpretum numeris conveniat, si videlicet ex communiore auctorum ponatur sol vernum orbi daturus æquinoctium productus in suæ orbitæ abside, seu puncto à Terraqua maximè distante, quod Astronomi *Apogium* nuncupant: tum denique quia è Græcorum numeris, si assumantur, prout

prout jacent, & in plerisque codicibus extant, absurdum ingens eruitur, Mathusalem videlicet annos quatuordecim vixisse post Cataclismum. In hisce enim Græcis fontibus Mathusalem annorum 167. dicitur genuisse Lamechum, Lamech anno suo 188. Noëmum, anno verò 600. Noe contigisse diluvium. His in unam summam conflatis prodeunt anni 955. ætate Mathusalæ ad 969. annos producta, quatuordecim minores.

Suppono 3^o Annos in SS. Bibliis signatos vel fuisse perfectè solares, vel parùm ab iis diversos. Ita communiter opinantur Chronographi, & satis colligi potest, ex anni, quo diluvium contigit Genesis vii. descripta quantitate. Ista enim summam dierum anni, quadraginta circiter à condito Mundo sæculis per Julium Cæsarem instituti, bellè exæquat. Loco namque Genesis cit. Dei jussu Arcam cum uxore & liberis stabiliter dicitur ingressus Noe 600. vitæ suæ anno, mensis secundi die 17. Ab ea die fuisse diluvium continuatum diebus, ac noctibus 40. Post hos aquas inundantes 150. diebus obtinuisse super terram Subsidentibus postea undis Arcam die 27. mensis septimi requievissè super montes Armenia, mensis autem decimi prima die apparuisse montium cacumina. Transactis inde diebus 40. emissum esse corvum, post hunc binis vicibus columbam dierum 14. spatio. His expletis sexcentimum primum Noemicæ ætatis annum iniisse, hujusque anni mense & die primo exsiccataam terræ superficiem, atque Patriarcham cum suis Arcam esse egressum. Hinc autem, subductis ritè calculis, patebit id, non posse diem 27. mensis septimi, quo requiescere cœpit Arca, derivari ab initio anni Noe 600. Nam sic constitutis sex mensibus integris dierum 30. aut 31. ineunte illo anno Noemi usque ad Arcæ quietem conferent dies 207. aut 213. cum tamen in unam summam redactis 46. diebus ab exordio ejusdem anni usque ad diluvii initium elapsis, subin diebus 40. diluvii, & præterea 150. quibus aquæ obtinuerent super terram, diebus aliis transactis colligantur ejusmodi dies 236. ergo mensis ille septimus ab inito Cataclismo veniet computandus. Patebit 2. neque mensem decimum apparentium cacuminum posse deduci à primordio anni 600. Noe. Si enim mensibus novem integris illius anni residuos dies 34. adderes, annuam periodum consequeris dierum 324. vel 333. in hypothese videlicet spatii menstrui 30. aut 31. dierum: id autem à Lunaris & solaris anni quantitate abludit plurimum. Accedit, quòd dies 54. novem mensibus expletis adiecti conficere deberent annuam revolutionem. Vel ergo isti 54. dies constituerant tres menses an-

no integro duodecimestri supposito, vel duos, si annus tunc mensibus undecim constabat, vel denique unum, anno existente decumestri? Non tertium, quia hac ratione reliqui 9. menses summam exhibuissent dierum 486. Non secundum, quia iidem menses 9. complexi fuissent dies tantum 243. Nec etiam dici potest tertium, alias mensis unus steterisset solis octodecim diebus. Quo modo ergo 9. reliqui menses dies numerassent 324. aut 333. item quo pacto dici potuit mensis septimi die 27. aquis decreascentibus arcam quievissse? ut plura inde deducenda absurda præteream. Patere igitur debet 30 annum Noeticum 600. vel fuisse dierum 370. si anni menses 12. pleni omnes statuatur, dierum 30. capedine definiti, vel si, ut exigunt menses Lunares, alternis pleni & cavi perhibeantur, dierum 366. Novem enim menses integri priore casu dies censebunt 270. additisque 46. ab anno 600. Noe ad diluvium, 54. verò à detectis montium cacuminibus ad Patriarchæ egressum ex arca, elapsis, dies putabimus 370. casu autem posteriore, si iidem 100. dies adiciantur mensibus 9. completis alternatim plenis & cavis, seu 266. dierum cumulo, summam conflabimus dierum 366. quæ est anni solaris magnitudo bissextis congruens, utique præferenda dierum 370. quantitati calculo primo deductæ & à solis atque Lunæ rationibus alienæ, cum supputatio altera è Lunaribus mensibus quæ plenis, quæ cavis adornata, periodum solis annuam bellè exæquet. Imò si mensem primum à cœpto diluvio caviu teu dierum 29. ponamus, & mensium octo reliquorum quatuor plenos, seu dierum 30. & totidem cavi dierum 29. novem illi menses ab inchoato cataclismo usque ad apparentiam cacuminum transacti periodum dierum solum 265. involvent, sicque additis 46. ante initum diluvium, & 54. post illud usque ad exsiccationem terræ elapsis, annua periodus conflabitur dierum 365. anno solari communi respondens. Atque ita ex vii Genes. collegere Torriellus, Salianus & alii, videtur colligi debere, cum annus diluvianus, ut infra patebit, ab æra vulgari Christi annis 2344. recedens, non fuerit bissextus, sed communis. Ubi id quoque liquet, adiectis mensium Lunarium alternatim plenorum & cavorum duodennario diebus 11. anno solari communi, 12. verò diebus anno bissexti (tantus est istius anni supra Lunarem excessus) idem fuisse præstitum, quod subin Hebræi & alii Orientis populi præstitere, interto triennii ferè spatiò ipsi anno Lunari mense embolismico, quo videlicet anni Lunisulares in una Enneadecaeteride, seu annorum 19. cyclo, totidem præcisè diebus utrique, seu tam Lunæ quàm solis anni

constarent. Et ita censuit S. Augustinus L. 15. de Civit. c. 14. aliisque apud Ricciolum L. 1. c. 10. Chron. His autem de anni quantitate & computi ratione suppositis per sex nuper dictos gradus mundi conditi ætatem, seu annos usque ad communem Christiadam æram, quam etiam *vulgarem* Chronologi nuncupare solent, & ego in ista dissertatione eam binis his litteris exprimam Æ. V. ubi ætatem orbis geniti geminis hisce Æ. M. deducere licet ex S. Scriptura vulgata, ut sequitur. Annos autem ante æram vulg. Christi addere volui in hac mundi Chronotaxi, quia æræ Christianæ nos Christicolæ à teneris assuevimus, estque inter omnes Epochas nobis notissima. Quò id efficere valerem, supponendum erat annis quater mille vulgarem æram Domini ab Epocha orbis conditi recedere, quam hypothesin subsistere ipsa mea Series Chronologica liquidò ostendit, ut constabit ad calcem sectionis hujus.

CAPUT I.

Ostenditur primam mundi ætatem ab Adamo creato usque ad cataclysmum esse annorum 1656.

A Nno primo Æræ Mundi incunte seu,

Æ. M. ante Æ. V.

Sexto ab origine rerum conditarum die creatur

Adam Gen. v. 1 - 1 - 4000

Adam annorum 130 genuit Seth - - - 3 - 131 - 3870

Seth annorum 105 genuit Enos - - - 6 - 236 - 3765

Enos annor. 90 genuit Caimam - - - 9 - 326 - 3675

Caimam annor. 70 genuit Malalaël - - - 12 - 396 - 3605

Malalaël annor. 65 genuit Jarem - - - 15 - 461 - 3540

Jarem annor. 162 genuit Henoch - - - 18 - 623 - 3378

Henoch annor. 65 genuit Mathusalem - - - 21 - 688 - 3313

Mathusal. añor. 187 genuit Lamech - - - 25 - 875 - 3126

Lamech annor. 182 genuit Noe - - - 29 - 1057 - 2944

Noe añor. erat 600 cum Diluvii aquæ ingruerunt,

vii. 6 • 1657 - 2344

Summa annor. 1656 q. e. o.

A 3

CA-

CAPUT II.

*Ostenditur secundam Mundi etatem à Dilu-
vio usque ad Exitum Israël ex Ægypto, seu
Legis scriptæ promulgationem esse an-
norum 777.*

Juxta nuperrimè supputata Diluvii aquæ inundaverunt anno 600
Noe, seu

	Æ.M	A.Æ.V.
Ineunte anno Mundi. - - - -	1657	2344
Sem centenar. añis 2 post Diluv. gen. Arphaxad. XI, 10 -	1659	2342
Arphaxad añor. 35 genuit Sale - - - -	12	1694 - 2307
Sale annorum 30 genuit Heber - - - -	14	1724 - 2277
Heber añorum 34 genuit Phaleg - - - -	16	1758 - 2243
Phaleg añorum 30 genuit Reu - - - -	18	1788 - 2213
Reu annorum 32 genuit Sarug - - - -	20	1820 - 3181
Sarug añorum 30 genuit Nachor - - - -	22	1850 - 2151
Nachor annor. 29 genuit Thare - - - -	24	1879 - 2122
Thare annor. 70 genuit Abram - - - -	26	1949 - 2052
Abraham añor. 100 genuit Isaac - XXI. 5 -	2049	1952
Isaac annor. 60 genuit Jacob - XXV. 26 -	2109	1892
Jacob annorum 90 genuit Joseph. - - - -	2199	1802

Quod ultimo loco de generatione Josephi dictum est, ex SS. Pa-
ginis ita eruitur. Cùm Jacob descendit in Ægyptum erat annorum
130. Genes. XLVII. 9. Joseph autem annorum 40. Ergo Joseph natus
est Jacobo patre nonagenario. p. a. quoad secundum. Joseph anno
ætatis suæ 30. stetit ante Pharaonem interpretans somnium Gen.
XLI. 46 subin illico consecuti anni fertilitatis 7. Post hos fluebat
tertius annus sterilitatis Gen. XLV. 6. cùm Israël venit in Ægyptum:
ergo adventus iste Israëlitarum contigit anno Josephi 40. quare cùm
Jacob tunc censuerit annos ætatis suæ 130. necesse est Josephum ge-
nitum esse patre Nonagenario. q. e. o.

A Joseph porro ex SS. Paginis ad Exitum Israël ex Ægypto ita
progredior. Constat Genes. XII. Abrahæ semini promissam à Deo
terram lacte & melle fluentem, cùm ageret annum ætatis 75. Videat-
ur etiam Caput XVII. Ab hac promissione juxta Paulinum illud
ad

ad Galat. III. 17. *Abraha dicta sunt promissiones & semini ejus --- hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, qua post 430. annos facta est Lex &c.* Ab hac inquam promissione anni fluxere 430. usque ad promulgatam in monte Sinai Legem ipso anno Exitus Israelitarum ex Ægypto, ut liquet ex Cap. XIX. Exod. Hinc sic pergitur. A diluvio usque ad natum Abrahamum collectis in unam summam generationibus antè adductis, obtinetur annorum summa 292
 Promissio terræ facta Abrahamo anno ætatis suæ - 75
 Inde ad promulgationem Legis, seu Exitum ex Ægypto 430
 Ergo à diluvio ad hunc Exitum Israelitarum anni 797 q. e. o.

Confirmatur ultimo loco deducta Chronotaxis ex alio S. Scripturæ textu, licet iste prima fronte illam videatur pestumdare. Exod. XII. 40. dicitur: *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto fuit 430. annorum.* Ex quo posset sic argui. Israel descendit in Ægyptum anno Josephi 40. adeoque.

Ex supra dictis anno Æ. M.	-	2239	A. Æ. V. 1762
Si ergo populus electus ibidem habitavit annis	430	-	430
Illius Exitus ex Ægypto contigisse debuit anno	2669	-	1332
Cùm tamen ex mea Chronologia id factum esset	2454	-	1547
Natus siquidem Abraham	-	1949	- 2052
Annos 75. adulto facta promissio seu anno	2024	-	1977
A promissione ad Exitum fluxere anni	430	-	430
Proin Exitus Israel ex Ægypto fieri debebat	2454	-	1547
Rursus additis à diluvio ad Josephum inclusivè generationibus omnibus capitis initio allatis colliguntur anni	542		
Peregrinatus est Jacob cum filiis in Ægyptum Josephianno.	-	40	
Habitatio filiorum Israel in Ægypto	-	430	
Ergo summa annorum à diluvio ad Exitum	1012		

Videtur proin à 1. ad 2. mundi ætatem annos longè plures intercessisse septingentis nonaginta septem.

Sed contra hæc dicendum, illos 430. annos textus Exodi XII. non solum ad habitationem Jacob & ejus filiorum ac nepotum in Ægypto, sed etiam ad peregrinationem Jacobi parentum, uti & ad profectionem ipsius Abrahami in Chananæam extendendos esse. Primo LXX. Interpretes id agnoverunt, cùm apud ipsos ita legatur: *Habitatio filiorum Israel, qua inquilini in Ægypti terra, & in Chanaanæa fuerunt tam ipsi, quam eorum patres, fuit annorum 430.*
 2. quia si textus solum extendi deberet ad habitationem Jacob & semi-

seminis ejus in Ægypto, tunc longè paucioribus annis definienda ea foret, ut ex aliis *vulgata* textibus ostenditur. Nam Moyses octogenarius Israeliticum populum ex Ægypto eduxit Exod. VII. 7. Ejus pater Amram vixit annis 137. Exod. VI. 20. Caath avus Moysis annis 133. ibid. 18. Fuit autem Caath filius Levi, qui cum reliquis fratribus, & ipso patre Levi in Ægyptum est profectus Genes. XLVI. II annis hisce 80. 137. 133. invicem junctis, summa prodibit annorum habitationis filiorum Israël in Ægypto 350. diuturnior fingi nequit, utut fingatur à Moysis avo, & patre paulò ante mortem ipsorum genitos filios prædictos, uti & Caath unius fuisse anni infantem, quàm Jacob in Ægyptum migravit, quæ certò videntur falsa, & licet vera forent, numerus annorum 350. hac via collectus adhuc annis 80. distaret à periodo annorum 430. in SS. Paginis signatorum. Liquet proin, per habitationem Israël in Ægypto neutiquam eam solam intelligi, qua duntaxat Jacob, ejusque filiorum, ac nepotum series ibidem est commorata. Ut verò summa prodeat annorum 430. extendenda erit peregrinatio filiorum Israël ad ipsa Abrahami tempora, præsertim, cum ex Cap. Genes. XII. constat Abraham paulò post factam sibi ac semini suo terræ promissionem esse peregrinatum in Ægyptum fame, quâ premebatur Chananæa, vehementi urgente. 30. denique Cap. XV. Gen. Abrahæ cœlitus fuit prædictum: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos servituti, & affligent quadringentis, annis.* Peregrinum autem cœpit esse Abrahæ semen.

anno, quo ipsi natus est Isaac Æ. M. 2049. ante Æ. V. 1952

Seu quod est probabilius anno 2054. 1947

Scilicet Isaac nati quinto, quo is juxta S. Hieronymum in quæst. Hebr. in Genes. ab lactatus est. Illo siquidem anno Ismael semen Abrahæ errare cœpit in solitudine, uti perihebetur Cap. XXI. Genes. additis annis 400. quibus usque ad Exodum partim peregrinum in terra aliena, partim servitute, & aliis afflictionibus Patriarchæ Abrahami semen vexatum est, exurget annus Æ. M. 2454. ante Æ. V. 1547.

Restant isto capite adhuc complananda dubia gemina, circa quæ magnalis inter Chronographos, videlicet an Genealogiæ Patriarcharum initio hujus capitis allatæ, interserendus post Arphaxadum veniat Cainan, quem Sale patrem Græci codices vocant Cap. XI. Genes. & L. 1 Paralip. Cap. 1. uti & S. Lucas Cap. III. Hinc plures, isque gravissimi auctores, ob irrefragabile præprimis Evangelistæ cit. testimonium, Cainanum istum reliquis Patriarchis accensent, suamque

chro.

chronotaxin ad 30. annos producunt, asserentes annò Arphaxadi 35. genitum Cainan, annò verò Cainani 30. Saleum ab ipso fuisse generatum. Dubium alterum 60. omnino annos complexum in eo versatur, an Abraham 70. uti ego notavi, an verò 130. Tharæi patris sui natus sit annò, ut tenere videtur Scriptorum opinio fors communior. Hi enim ex variis scripturæ locis id se posse colligere autumant. Nam Genes. XII. 4. Abraham annorum 75. dicitur, quando ex Haran sive Charran profectus est in Chananæam. Vixit autem Thare annos 205. Gen. XI. 32. & initio cap. XII. post parentis obitum Abraham in Chananæam abiisse perhibetur. Si 75. anni junguntur annis 70. prodibunt anni vitæ Thare tantum 145, qui deberent esse 205. ut memoratus antè cap. XI. locus expressè refert. Proin inferunt, Abraham natum esse anno sui patris Thare 130. Nachorem verò ætate, non dignitate priorem anno 70. ejusdem Thare.

Sed, quod attinet primam difficultatem, ea nil suprâ traditam Chronologiam debet turbare, sive enim Cainan ille inferendus sit inter Arphaxad, & Sale, quod videtur probabilius, ne S. Lucas aliquid dixisse in Christi Domini Genealogia censendus sit, veritati minùs consentaneum, sive non sit inferendus ob Moyse auctoritatem, juniorem illum Cainanum omittentis, id manet indubium, salva veritate editionis *vulgatae*, Saleum Arphaxadi anno 35. natum esse: dicatur deinde ab ipso ut patre genitus immediatè, vel tantum mediatè ut ab avo, quatenus Arphaxad anno suo 18. genuerit Cainanum, iste verò anno suo 17. Saleum. Binis siquidem locis Genes. XI. & cap. 1. l. 1. Paralipom. Sacra Biblia asserunt ab Arphaxado genitum esse Sale, & quidem loco priore antiquissimus Hagiographus Moyse genitum Saleum dicit anno Arphaxadi 35. id proin & esse, & haberi debet verissimum.

Majorem difficultatem parere videtur dubium alterum de anno geniti Abrahami. At etiam ab hac facillè sese expediet, qui cum D. Augustino, & aliis duplicem Abrahami de Chara exitum seu profecti-
onem admiserit: Primam videlicet patris Tharæi adhuc viventis anno 145, alteram eo jam demortuo post 60. annos. Vide ipsum S. Doctor. l. 16. de civit. c. 15. Hinc cum tali ratione ex una parte salvetur auctoritas Moyse luculentissimè Abrahamum anno patris sui 70, & non 130. genitum testantis, ex altera verò textus S. Stephani Actorum VII. 2. & sequentibus commodè salvari queant, standum sit cum recepta de nativitate Abrahami opinione. Teste enim Doctissimo Petavio nemo veterum, qui quidem esset aliquo
B nume,

numero, aliter unquam Moysis assertum acceperat, vel minimam habuerat suspicionem de Patriarchæ natalibus incidentibus in annum 130. Thare, licet istius mors anno ætatis 205. consignanda esset.

Dici itaque convenienter poterit Abrahamus primò vocatus in Chaldæa Mesopotamiæ anno ætatis suæ septuagesimo, ut Hebræis placet. Et hæc prima Abrahæ vocatio clarè refertur à S. Stephano Act. VII. 2. & seq. quando dixit: *Deus gloria apparuit Patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.* Juxta primam hanc vocationem Abrahamus cum Thare patre in Charan secessit, ibique cum eo annis quinque contedit. Post hos Patriarcha jam quinque & septuaginta natus annos novo Dei sollicitatus mandato illis verbis Gen. XII. 1. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui,* non solum patriam, Chaldæam nempe, sed & domum patris sui (tunc utique adhuc vivi: ad quid enim aliàs Deus Abrahamum juberet egredi paternis ædibus, si hæc per obitum patris, & legitimam hæreditatem jam factæ fuissent ædes sue?) relinquere est jussus. Inde in Chananæam perrexit cum Lotho, & uxore sua, ibique annis sexaginta ad parentis Thare obitum perstitit. Accepto ejus mortis nuncio Divino instinctu, vel monito Mesopotamiam repetiit ad curandum funus patrum, & adeundam hæreditatem. Illinc postremò translatus à Deo in Chananam permansit. Et reditum hunc in Chananæam D. Stephanus suo in sermone indicavit. Ista modò dicta præsertim Hipponensis nixa auctoritate, valde probabilia cuivis videri debent. Licet autem è SS. Pagineis non sint certa, prævalere tamen valent frigidissimæ responsioni, quam adversarii reddere solent claro Scripturæ asserto, Abrahamum genitum esse Septuagesimo Tharæi patris anno. Plura, qui cupit, de hac controversia, Petavium, Ricciolium, alios consulat, præsertim P. Cæsarem Calin in historia chronolog. veteris testamenti, ubi de præsentem in anno Nativitatis Abramiticæ inter auctores controversia eleganter ac solidè differit, & ipse secutus opinionem illam, quæ docet anno Thare septuagesimo natum Abramum. Id noto non deesse, qui putent errore scribarum perperam notatos vitæ Thare annos 205. cum canonicus Scriptor Moyses cyphris numericis tantum 145. signarit, quo posito utique in præsentiarum difficultas omnis

evanescit. Novissimè id ostendit P. Josephus Stöcklein in appendice chronologica, quam XVI. parti sui Cosmangeli subtexim. Facta siquidem aliquali in litteris Hebraicis numeros indicantibus mutatione anni 145. in 205. converti potuere, ut liquidò probat Auctor prælaudatus.

CAPUT III.

*Ostenditur tertiam mundi ætatem ab egressu
Israëlis ex Ægypto, seu à promulgatione Legis
usque ad templum Salomonicum construi cæptum,
annorum fuisse 520.*

SI textus iste L. III. Regum c. vi. v. *Factum est ergo quadringentesimo & Octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti in anno quarto mense Zio: ipse est mensis secundus, regni Salomonis super Israël, edificari cæpit domus Domino.* Si inquam, iste textus ob alia S. Scripturæ loca implexus non fieret, plana foret ad hoc usque tempus ex SS. Litteris texta conditi orbis Chronologia. At verò in libris Judicum & Regum, ubi per partes summa hæc annorum 480. dirimitur, colligi videntur anni longè plures, ut liquidum fit è subiecta tabula. Moyses nempe ab Egressu filiorum Israël ex Ægypto, seu promulgatione legis vixit annos 40. Mortuus siquidem hic Ductor Israëlitiçi populi dicitur anno suæ ætatis 120. Deuteron. XXXIV. 7. & populum Judaicum ex Ægypto eduxit anno à sua nativitate 80. Exod. VII. 7. Josue post Moysen cum senioribus populum rexit 25. annis circiter. Jos. XXIV. 31. Clemens Alexandrinus L. 1. Stromatum, & Eusebius in Chronico iisdem tribuunt annos 27.



Anni ergo Josue & Seniorum ponendi	-	-	-	25	vel	27
Prima servitus Hebræorum sub Chusan	Judic. III.	8 ^o	añis	-	8	- 8
Othoniel judicavit populum	ibid.	11	añis	-	40	- 40
Secunda servitus Moabitica ibidem		14	añis	-	18	- 18
Rexit Aod		30	añis	-	80	- 80
Tertia servitus Chananæa		IV.	3	añis	-	20 - 20
Debbora		V.	32	añis	-	40 - 40
Quarta servitus Madianitica		VI.	1	añis	-	7 - 7
Gedeon		VIII.	28	añis	-	40 - 40
Abimelech		IX.	22	añis	-	3 - 3
Thola		X.	2	añis	-	23 - 23
Jair			3	añis	-	22 - 22
Quinta servitus Ammonitica			8	añis	-	18 - 18
Jephthe		XII.	7	añis	-	6 - 6
Abefan			9	añis	-	7 - 7
Abialon Zabulonites			11	añis	-	10 - 10
Abdon			14	añis	-	8 - 8
Sexta servitus Philisthæa		XIII.	1	añis	-	40 - 40
Samson		XVI.	31	añis	-	20 - 20
Heli		L. I. Reg. IV.	18	añis	-	40 - 40
Samuel & Saul		Actorum XIII.	21	añis	-	40 - 40
David Rex		L. II. Reg. V.	4	añis	-	40 - 40
Salomon		L. III. R. VI.	1	añis	-	4 - 4
Summa annorum						559 vel 561.

Deberent vi textûs I. III. Reg. c. VI. I. esse tantum anni 480. vel adjunctis utrobique annis 40. à promulgata lege usque ad Jordanis transitum elapsis, summa annorum prior evadet 599. posterior 601, cum ex cit. textu solum colligantur 480. & adiectis 40, duntaxat 520.

Quò istum chronologiæ nodum solvant aliqui, corruptum afferunt annorum numerum I. III. Reg. c. VI. I. expressum, & pro annis 480. substituunt 580. annos verò 19. aut 21. residuos imminutis hinc inde tum regiminum, tum servitutum temporariis spatiis absorbent. Sed hanc, ut eruditiss. Petavius loquitur, *effranatam in SS. Paginas licentiam, & ultimum desperatorum consilium, quis sanus amplexetur?* Alii salva illius S. textus veritate, & integritate temporum intervalla ex Judicum & Regum libris deprompta sic dispensant, ut servitutum annos cum Judicum temporibus eorum judicio confusos

fufos omittant penitus, quos inter dux aliis fors exitit Eusebius in chronico. Eliminatis porrò servitutum annis omnino 111. & præterea 10. Ahialonis Zabulon. modò cit. Eusebius annos collegit 479. Nam ut nuper insinuat, Josue tribuit annos 27. Tholæ autem duntaxat 22. Verùm hæc planè sunt contraria Scripturæ. Ex gr. Judic. III. 8. dicitur, Israëlitas ab irato ipsis Domino traditos in manus Chusan, huicque serviisse annis 8. Clamantibus autem iis, & ad Deum conversis, suscitatum esse salvatorem Othonielem, qui Chusanum oppressit, ac subin quievit terram annis 40. Quis ista legens judicet annos 8. servitutis jungendos esse annis 40. quietis?

Alii denique cum Melchioro Cano & Emmanuele Sa in annotat. ad LL. Regum autumant, librum 3. Regum sola Judicum tempora, annosque, quibus populum gubernarunt, neglectis interregnis, & annis servitutis tanquam re odiosa notasse. Sed speciosa hæc est S. Scripturæ interpretatio soli innitens conjecturæ. Placet aliam duce Petavio inire viam retentis annis tam disertè in textu I. III. Reg. expressis, nempe 480. uti & computatis interregnis saltem illis, de quibus utpote in ipsa Scriptura liquidò explanatis nefas est dubitare.

Primò itaque in vocabulo *egressionis* filiorum Israël è terra Ægypti Arabiam & Ægyptum inter & Chananæam, interiectas regiones possumus intelligere, ita ut exitus Israël ex Ægypto in illo textu non significet transitum populi per mare rubrum, sed annum ab eo transitu quadragesimum, quo Israelitæ Chananæam longissimi erroris metam attigere. Nam hoc sensu alios quoque Scripturæ textus de egressu Israël ex Ægypto loquentes debere accipi certum est. Sic Deuter. IV. 45. legimus: *hæc testimonia, & ceremonia, atque judicia, qua locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto trans Jordanem.* Item v. 47. *Filii quoque Israël egressi ex Ægypto possederunt terram ejus* (nempe Regis Amorrhæorum) *& Og. Regis Basan.* En quomodo illud, quod paulò ante obitum Moysis accidit, dicatur *egressio Israël ex Ægypto.* Iterum Psalm. 113. *In exitu Israël de Ægypto plurima facta dicuntur, quæ anno duntaxat quadragesimo contingere, ut cum asseritur. Jordanis retrorsum esse conversus.* Poterit ergo in textu quoque I. 3. Reg. egressio Israël ex Ægypto in eo sensu fuisse sumpta.

Secundò, servitutum Ammoniticam annos 18. durantem confundere possumus cum annis prioribus, Jairi videlicet præfectura: nil enim scripturæ id repugnat, ut patebit legenti caput X. Judicum, ubi anni Jairi Galaaditis, quibus judicavit filios Israël, uti & servitus

Ammonitica describuntur. Imò ea servitus etiam ad annos posteriores Jephthæ & Abesân partialiter referri possent; licet enim Jephthæ paulò post ac in ducem Israëlitarum suffragiis electus est, Galaaditis victis Ammonitis in libertatem asseruerit, ut constat ex Judic. xi. nondum tamen idcirco Israël totus etiam liberatus erat à servitute Philisthæorum, cum qua Ammoniticam servitutem fuisse conjunctam dicitur cit. cap. X. 7. & 8. *Contra quos Dominus iratus tradidit eos in manus Philistim & filiorum Ammon, afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo &c.* Nam Philistæi, qui cum Ammonitis probabiliter fœdus contra Israëlitas inierant, prioribus etiam à Jephthæ victis, provincias Judææ alias verosimilius infestarent eodem tempore, quo Jephthæ Galaaditis præerat, & fortè etiam sub Abesân. Cæterum hos 18. annos à Judicium ipsum Jephthæ præcedentium regimine distinctos non esse, ex ipsa S. Scriptura probare licet. Judicium siquidem XI. dicitur Israël habitasse non contradicente Balac filio Sephor Rege Moab *in Hesebon, & viculis ejus, & in Aroër, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem per trecentos annos.* v. 25. & 26. Subjungitque Jephthæ ad Ammonitas hostes suos: *Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?* hi ergo trecenti anni computandi sunt à possessione terræ pacifica, qualis fuerat nonnihil ante ipsius terræ divisionem, quam Dominus Deus noster (Duce Josue) victor obtinuit, ut ibidem v. 24. dicitur, & colligitur ex Josue XXIII. 1. ubi hæc ponuntur: *postquam pacem dederat Dominus Israël subjectis in gyra nationibus universis.* Nam ex Numer. XXII. & XXIII. ac Sequentibus constat, Balac ab initio se opposuisse filiis Israël, imò Josue XXIV. 9. asseritur: *surrexit autem Balac filius Sephor ex Moab & pugnavit contra Israël.* Divisio porrò terræ inchoata à Josue anno 47. post egressum filiorum Israël ex Ægypto, ut liquet ex cap. XIV. Josue, ubi v. 7. Caleb ad ipsum Josue dixit: *quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses.* Id autem factum anno altero ab egressu Israël ex Ægypto, ut colligitur Numer. 1. 1. & seqq. usque ad caput XIII. ubi ea missio describitur. Idem autem Caleb loco cit. v. 10. subjunxit: *hodie octoginta quinque annorum sum.* Ergo 47. anni saltem incepti ab exitu usque ad divisionem terræ sunt computandi. Isthæc verò divisio, ut habetur Jos. XIV. & seqq. contigit ipso Josue jam grandævo, erat enim *senex, propectaque ætatis,* ut dicitur cap. XIII. 1. & probabilis haud diu subin vixit, ut ex subsequens capitibus colligi videtur, licet procul dubio aliquot anni computandi sint ante servitutem primam
Ira-

Israëlitici populi sub Chufan, cum Josue ultimo. v. 31. dicatur: *servi-
visque Israël Domino cunctis diebus Josue, & Seniorum, qui longo vi-
verunt tempore post Josue.*

Si ergo ineatur calculus omissis interim his annis, tum vitæ Jo-
sue post terræ partitionem, tum seniorum ante mancipatum Chufani,
inde usque ad mortem Jair deprehendentur anni 301, qui tamen cer-
tò sunt plures post divisionem terræ ob rationem prædictam de vita
Josue & Seniorum: ergo salvo textu supra allegato de annis trecen-
tis, quibus terra pacificè est possessa, adjungi nequeunt octodecim
anni servitutis Ammoniticæ, sed potius dicendum erit, tot annos hu-
jus servitutis cum regimine Jairi esse absorptos, quot post telluris di-
stributionem Josue & Seniores Judaicum populum rexere. Quot
autem præcisè fuerint illi anni, nec ex libro Josue, nec ex servitutis
annis expressis certò statui potest, cum in libro Josue de hujus Du-
cis & Seniorum annis post terræ divisionem nulla fiat mentio, nisi
quòd, ut supra dictum, *longo tempore* Seniores illi post Josue vixe-
rint: in libro verò Judicum, ubi servitus exprimitur, ea cum man-
cipatu Philisthinorum confundatur. Per regressum tamen paulò post
de iis annis valde probabiliter statuere licebit.

Tertiò. Idem de 6. servitute annis 40. circumscripta nil vetat
sentire. Ista nempe Samsonis & Heli annis commisceri, & ad Samu-
elis usque tempora retrahi potest. Licet enim Samson cladibus mul-
tis affecerit Philisthæos, non tamen eorum potestate ac tyrannide om-
nino ereptos Hebræos liquet ex sacra Historia, cum ab iis captus sit,
excæcatus, atque ea in captivitate mortuus ipse Samson, quando Ju-
dæi Philisthinorum jugo adhuc premebantur, ut expressè refertur Ju-
dicum XVI. Imò & Heli & Samuelis tempore ista servitus duravit,
ut liquet ex l. 1. Regum. Quoniam autem potissimùm jurati illi no-
minis Israëlitici hostes temporibus Samsonis & Heli in Hebræos gras-
sati sunt, ideo scriptura sacra 40. solum annos ultimæ calamitatis
Israëlitarum sub Philisthiim commemorat. Hæc porrò ipsa ratio per-
suadet, ut 20. Samsonis anni cum administratione Heli implicentur,
cum prior in diebus Philisthiim judicasse Israël 20. annis Jud. XV. v.
ultimo dicatur, posterior autem 1. Reg. IV. 18. annis 40. quibus ela-
bentibus utique adhuc durarat servitus Judæorum sub Philisthæis,
cum Heli ob cladem recens à suis acceptam, captamque Dei arcam
territus de sella retrorsum ceciderit, fractisque cervicibus illicò sit
mortuus. Illa tamen servitus in SS. Paginis tantùm 40. annis de-
finitur.

Sed

Sed sic ais gemini Judices simul per 20. annos judicârunt Israël: respondeo tò *judicare* in SS. Bibliis duplicem posse habere sensum; 1. ut idem sit ac *vindicare, atque tueri populum* ab inimicorum injuriis, quod egregiè Samson præstitit, quùm in Philisthæos cædibus, & populationibus efferbuit. 2. & in sensu magis proprio, ac communi significatione idem sonat ac præesse populo, illique *jus dicere*, quod non constat Samsoni competuisse, sed soli Heli. Si verò unde demùm probaretur, Samsoni quoque Judiciariam administrationem fuisse propriam, dici potest, in diversis Israël's provinciis eam fuisse ab utroque administratum, nec ratione hac dicitur quid incredibile, multò minùs S. Scripturæ contrarium, sed potius id dicitur ad tollendam, quæ prima fronte variis in locis sese offert sacrorum textuum antilogiam apparentem. Accedit, quòd LXX, Interpretes teste Eusebio in chronicis, & Sixtina editio fidem facit, viginti duntaxat annos ipsi Heli deputent. Quò igitur inter ipsos & Hebraicam ac vulgatam editionem annos quadraginta assignantem, salvetur contrarietas omnis, nil occurrit meliùs, quàm intelligendo, LXX. Interpretes locutos fuisse de iis viginti annis, quibus unus Heli populo Israël'itico præfuit.

Absorptis porrò servitutis utriusque annis 58, & 20, insuper regimini Samsonis & Heli detractis, ita ut isti simul tantùm consent numerum 40. annorum summam sortiémur septuaginta & octo. Hac itaque annis à Jordanis transitu usque ad captam exstrui Domum Domini elapsis subductâ manebit annorum 481. periodus unitate solùm excedens eam, quam S. textus computat ex 1. 3. Regum nuper citatus. Poterit itaque aptissimè Josue & Seniorum annis demi numerus unus, & fiet annorum cumulus præcisè 480. quot autem determinatè Josue regimini, quot Senioribus Præsidibus sint tribuendi anni, arduum est deoidere, nil tamen ad institutum pertinens.

Petavius istis decem, illi quatuordecim omnibus ritè perpensis assignat.



Colligamus in fascem singula hæctenus
disputata.

		Æ.M. ante	Æ.V.
Promulgatio Legis Anno orbis conditi	-	2454	- 1547
Transitus Jordanis post	40 años peregrin-	-	-
Ationis in deserto	-	2494	- 1507
Anni Josue & Sen.	24	2518	- 1483
Prima servitus sub Chufan.	8	2526	- 1475
Othoniel	40	2566	- 1435
Secunda servitus Moab.	18	2584	- 1417
Aod	80	2664	- 1337
Tertia servitus Chanan.	20	2684	- 1317
Debora	40	2724	- 1277
Quarta servit. Madian.	7	2731	- 1270
Gedeon	40	2771	- 1230
Abimelech	3	2774	- 1227
Thola	23	2797	- 1204
Jair	22	2819	- 1182
Quinta servit. Ammonit.	0	2819	- 1182
Jephte	6	2825	- 1176
Abefan	7	2832	- 1169
Ajalon Zabulonites	10	2842	- 1159
Abdon	8	2850	- 1151
Sexta servitus Philisthæor.	0	2850	- 1151
Samson & Heli	40	2890	- 1111
Samuel & Saul	40	2930	- 1071
David Rex	40	2970	- 1031
Salomon anno Regni	4	2974	- 1027
Summa annorum collecta	480.	Egressio Filiorum Israël, seu	
transitus Jordanis contigit anno mundi	-	2494	- 1507
addita summa modò dicta habetur annus constructi	-	-	-
Templi	-	2974	- 1027
annus promulgatæ legis erat	-	2454	- 1547
Proin ab egressu Filiorum Israël ex Ægypto usque ad cœptam fabricam	-	-	-
Templi Salomonici intercessere anni	-	520	- 520

q. e. o.

C

Com

Confirmatur hujus capituli chronotaxis ex actis Apost. c. XIII. ubi gentium Doctor ad Judæos verba faciens inter alia dixit: *Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto, & destruens gentes septem in terra Chanaan sorte distribuit eorum, quasi post quadringentos quinquaginta annos. Et post hac dedit Judices usque ad Samuel Prophetam.* Terræ promissio confirmata à Deo est in Isaci ortu seu anno mundi 2049 - 1952 addantur, & subtrahantur anni D. Pauli asserto lapsi ad terræ distributionem - - - 450 - 450
 & exsurget annus ærarum - - - 2499 - 1502
 Ex mea autem putatione Josue constitutus Dux populi Jordanem cum grege Israelitico transit - - - 2494 - 1507
 & septennio post divisit terram - - - 2501 - 1500
 quare juxta meam chronologiam usque ad hanc terræ divisionem effluxissent anni post natum Isaac seu annum - 2049 - 1952
 anni inquam effluxissent - - - 452 - 452
 quod cum Apostoli verbis probe convenit, cum dicat *quasi post quadringentos quinquaginta annos*, qui numerus rotundus 450, ab annis 452. solo biennio distat.

CAPUT IV.

Ostenditur à conditu usque ad excidium vel desolationem Templi intercipi annos 421.

EX dictis constat anno quarto Regni Salomonis conditam cœptam Domum Domini in Jerusalem. Stetit illa usque ad undecimum Sedecie Regis Judæe annum, quò jussu Nabuchodonosoris Chaldæorum Regis deleta est, urbe una cum templo combustis, ut perhibetur I. IV. Reg. XXV. & II. Paralipom. cap. ultimo. Regum proin, & quibus singuli regnarunt annorum series in SS. Pagine contenta, aptè erit texenda, quò tempus à condito ad excisum templum ritè erui queat.

Pro quo sciendum, Judæorum nomen, Regionemque totam Principi uni paruisse sub Regibus Saule, Davide, Salomone, hujus autem filio Roboamo Patri in solio succedente illicò sub regni primordia scissum esse in duas partes hoc Hebræorum Regnum, quorum *Juda* unum, alterum *Israel* est nuncupatum. Prioris caput, seu Metropolis erat urbs Hierosolyma, posterioris saltè initiò Samaria. Illud per-

perstitit usque ad undecimum annum Sedecia, quo, ut paulò antè dictum, urbs cum templo à Chaldaeis deleta est; istud verò breviores habuit terminos ad sextum Ezechia Regis Juda annum deficiens, quando Salmanasar Assyrius tribus X. captivas abduxit unacum Rege Israël Osée. Regnum autem hoc posterius stetit annis 260. mensibus 7. & totidem diebus, ut colligitur ex libro III. Regum, seu dimidio paulò plus tempore, quàm Regnum Juda duravit, ut constaret, hominum peccata esse illud pondus, quo ipsa merguntur Regna, eò gravius, quò plura illa & majora fuerint.

Reges Juda.

Salomon regnavit annos 40. I. III. Reg. XI. 41. detractis annis 4. quando post assumptum regimen ab hoc Davidis filio construi cœpit Domus Domini in Jerusalem, restant Salomonici imperii adhuc anni - - - - - 36

Roboam filius regnavit annis - - - - - 17

ut enim defuncto patre sceptrum capessivit, ob hominis asperitatem tribus X. Israëliticæ defecere, in solium assumpto Jeroboamo I. III.

R. XII.

Mortuus est autem Roboamus anno 18. ineunte regni Jeroboam Regis Israël, quo anno in Judæ Regno successit Abiam filius I. III.

XIV. 31. & XV. 1. Regnavit Abiam I. c. 2. annis - - - - - 3

Asa ejus filius ibid. 10. unà cum patre anno uno, solus annis. 40

Nam annodecimo octavo Jeroboami Regis Israel regnare cœpit Abiam super Judam XV. 1. & tribus annis regnavit super Jerusalem. v. 2. adeoque rexit hic Abiam anno Jeroboami 18, 19, 20. Sed anno vigesimo Jeroboam regnavit etiam Asa Rex Juda Abia filius, ut expressè dicitur v. 10. Ergo Asa hic uno anno ad regni clavum sedit cum patre suo Abia.

Josaphat filius. XXII. 42. - - - - - 25

Joram annos tres cum patre, & post eum - - - - - 4

Quòd enim Joram Regni fasces tenuerit annis 8. saltè cœptis dicitur IV. Regum VIII. 16. ubi hæc exstant: *anno quinto* (ineunte scilicet) *Joram filii Achab Regis Israël, & Josaphat Regis Judæ* (id est tempore quo adhuc ipse Josaphatus regebat) *regnavit Joram filius Josaphat Rex Judæ. Triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpisset, & octo annis* (dum scilicet octavus flueret) *regnavit*

vit in Jerusalem. Quod verò regere cœperit Joram adhuc vivente patre, verba illa indicant: & *Josaphat Regis Juda.* Fuit autem annus quintus inceptus Joram Regis Israël, quo anno in consortium throni est admissus Joram Rex Juda, fuit inquam, quintus hic annus vigesimus tertius Regis Josaphat. Nam Joram Rex Israël regnavit anno decimo octavo Josaphat Regis Juda. IV. R. III. 1. quare cum Josaphat regnârit annis viginti quinque, cum eo quoque regnavit trienniò ejus filius Joram, videlicet anno 23, 24, 25. Reliquis verò quatuor annis expletis rexit solus. Et ita sentit Doctiss. Petavius quadrienniùm | duntaxat regiminis postobitum patris Joram tribuens, atque sic videtur sentiendum; nam v. 25. l. IV. Regum c. VIII. dicitur. *Anno duodecimo Joram filii Achab Regis Israël regnavit Ochozias filius Joram Regis Juda.* Ergo iste Joram Rex Juda utpote regnum auspiciatus anno quinto Jorami Regis Israël regnum tenuit septem annis completis, seu octo cœptis, triennio videlicet cum patre, & quadriennio solus.

Dices: Si Joram Rex Juda regnavit anno quinto Joram Regis Israël, quomodo iste IV. R. I. 17. dici potest regnâsse anno secundo Joram filii Josaphat? Resp. hæc sinè dubio videri sphynghi haud assimilabilia. Quò textus concilientur prima fronte contrarii, mollis interpretatio adhibenda erit Petavio rursus probata, nempe dicendo Joramum Israëlitem duplex sortitum esse regni auspicium, primum anno 18. Josaphat post fratris sui Ochoziæ mortem, quod regnum sex annis nomine & autoritate Pro-Regis administrârit, donec anno vigesimo quarto Josaphat, qui annus simul erat Joram Regis Juda secundus, in Regem Israël à populo denique sit electus, sicque id salva-bitur, quod perhibetur loco cit. IV. Reg. Conf. Joram Israëlita regnavit annis duodecim incipiendo ab anno decimo octavo Josaphat. Anno duodecimo post obitum Joram Regis Juda inceptu regnare Ochozias filius ejus. IV. R. VIII. 25. Ergo Joram Rex Israël regnavit septem annis cum Josaphat, & quinque cum Joram Rege Juda. Quare cum hic regnârit septem annis completis, necessatio anni tres Regni ejus coincidunt cum annis viginti quinque regni Josaphat. Et hoc eruisse pro mea chronotaxi sufficit, quacunque demum ratione salvetur textus ille, de Regno Joram Israëliti anno secundo regni Joram in Juda regnantis adito, quod dispiciendum Scripturariis relinquo.

Ochozias filius Joram IV. R. VIII. 26. regnâsse dicitur anno 1.

Nota

Nota Libro II. Paralip. XXII. 2. dici, hunc Ochoziam annorum 42. cum regnare coepit, ex quo inferri potest, tunc regnasse, quando patre suo biennio erat major, iste siquidem fuit triginta duorum annorum, quum regnum iniiit II. Paralip. XXI. 5. & octo annis regnavit. ibid. Idem Ochozias dicitur annorum viginti duorum in libris Regum IV. VIII. 26, ut ante dictum. Quare cum antilogia occurrat circa hos ætatis Ochoziæ annos in prædictis S. Scripturæ textibus, & ex I. II. Paralipom. sequetur *adynaton* seu impossibile, ut filius tempore excedat patrem suum, dicendum erit locum Paralipomenon in codicibus Hebræis fuisse depravatum. Hinc in editione Sixtina LXX. Interpretum loco annorum 42. ponuntur tantum 22.

Athalia mater Ochoziæ IV. R. XI. 3. & 4. occupavit regnum a. 6.

Joas filius Ochoziæ XII. 1. 40

Amasias filius ejus XIV. 2. 29

Azarias vel Ozias fil. ejus XV. 2. 52

Joatham illius filius XV. 33. 16

Dices iterum IV. R. XV. 27. refertur, Azariæ anno quinquagesimo secundo regnasse super Israël in Samaria viginti annis Phacee filium Romeliæ, at verò v. 32. perhibetur, anno secundo ejusdem Phacee regnum tenuisse Joatham filium Oziaz regis Juda: ergo statuendum erit aliquod interregnum inter Azariam, seu Oziam & Joatham Regis Juda biennii spatia complexum. Resp. rem salvari commode posse sine interregno. Anno enim Azariæ 52. ineunte coepit regnum Phacee Regis Israël, eodemque anno unà cum Azaria exspirante & 53. incipiente scilicet anno primo Joatham iniiit annus secundus Phacee: ergo jam potest dici, Joatham coepisse regnare anno secundo (inchoante nimirum,) Regis Phacee, licet nullus intercesserit Regni hiatus, qui ad anni capedinem extenderetur sed solum mentem unum aut alterum involveret. Deinde potuit Azarias mortuus fuisse ineunte anno sui Regni 53., & tamen dici, regnasse annos tantum 52, completos videlicet. Quod verò annus secundus Phacee tantum captus computari debeat pro initio Regis Joatham, patet ex IV. R. XVI. 1. ubi Achaz, qui patri Joatham in Regno successit, dicitur regnare coepisse anno decimo septimo Phacee, cum Joatham regnaret annos sexdecim. Pone enim, elapsam fuisse anni unius sine Rege capedinem, annoque Phacee secundo expleto coepisse regnare Joatham, atque regnasse annis sexdecim, emerget annus decimus octavus Phacee pro initio Regni Achaz, cum tamen S. Pagina doceat primordia Regni Achaz deberi anno Phacee decimo septimo. Difficilioris lon-

gè solutionis nodi occurrunt in annis Regum Israël, verùm cum iis mea chronotaxis haud, indigeat, nec opus illos attingere.

Unum præterire nequeo, in Osee novissimo Rege Israël sese offerentem, cum & ipsam Regum Juda, quâ utimur, chronicam seriem turbare videatur. I. IV. Reg. XV. 30. hic Osee regnâsse dicitur pro Rege Phacee, quem occidit *vigesimo* anno Joatham filii Ozia, & tamen Joatham regnavit tantum annis sexdecim, ut supra dictum, certumque est protractam Phacee vitam ultra annos Joathan, cum iste, ut nuper ostensum, regnârit annis viginti, & decimo sexto Regni ejus anno datus sit in Regno Juda Successor filius ipsius Achaz. Igitur S. Scriptura necessariò intelligenda venit de anno vigesimo post assumptionem Joatham ad solium, quos tamen viginti annos ille non complevit, cum vigesimus Joathan fuerit Achaz filii ejus annus quartus. Et hinc primum major oritur difficultas. Si Osee Regnum Israël auspiciatus est anno quarto Achaz Regis Juda, cur S. Scriptura l. c. XVII. 1. memorat, eundem Osee anno duodecimo Regis Achaz regnâsse in Samaria super Israël annis novem? item XVIII. 1. anno tertio Osee regnâsse Ezechiam filium Achaz Regis Juda? Resp. tamen, istis utut intricatis minimè turbari debere chronologiam Regum Juda. Liquidò enim ex Historia horum Regum habemus, Joathano successisse filium ejus Achaz, huic verò Ezechiam Reges Juda, unâque regiminum eorum clarè definit annos. De Osee itaque Rege Israël duce Petavio id dicendum occurrit, regni ejus initium fuisse duplex, primum anno vigesimo Joathan, seu quarto Achaz, alterum anno duodecimo ejusdem Achaz qua verò de causâ fuerit illud imperium interruptum, haud satis constat. Fors dici poterit, primos novem annos regni illius Tyrannici, cum id proditoriè invaserit occiso Phacee IV. R. XV. 30., non fuisse pro legitimis agnitos, donec anno duodecimo Achaz, & nono ipsius Osee populi in hunc Regem conserferint, & subin ab ejus regimine annos putare cœperint. Illud certum, Osee istum anno nono Regni sui posterioris, & subditorum consensu aditi, qui fuit annus sextus Ezechia, ab Assyriis in captivitatem abductum, denique finem impossuisse regno Israël. Reg. XVIII. à versul. 9.

Ex dictis autem pro annis Regni Achaz, qui successit Patri Joathan, probabiliter colligitur, solos quindecim annos ipsi Achaz assignandos, licèt XVI. 2. dicatur, *sedecim annos regnâsse in Jerusalem*, potest siquidem hoc intelligi de 16, annis cœptis, non autem completis, ità ut primus absorptus sit ab anno ultimo Joathan, ultimus verò

verò à primo Ezechia. Imò si quis quatuordecim duntaxat annos tribueret Achaz, quod præstitit Petavius, adhuc is se tueri posset contra objectionem è S. Scriptura petitam. Verùm ego quidem nullam video id faciendi sufficientem necessitatem. Mediâ ire placuit assignando videlicet Regi illi annos quindecim.

Achaz igitur filius Joathan rexit XVI. 2. annos	15
Ezechias ejus fil. XVIII. 2. annos 29, duos cum patre, solus reliquos	27
Manasses ejus filius XXI. 1. annos	55
Amon ejus filius XXI. 19. annos	2
Josias ejus filius XXII. 1. annos	31
Joachaz fil. Josiæ XXIII. 31. menses tres	0 3
Joakim filius Josiæ, qui & Eliakim XXIII. 36. annos	11
Joachim filius Joakim dictus quoque Jechonias XXIV. 8. trimestri	0 3
Sedecias frater Joahim	11

Sub hoc, ut capituli initio dictum exusta urbe, & templo defecit etiam Regnum Juda IV. R. XXV.

Id, quod paulò ante de Ezechia dictum, quòd videlicet biennium regni 29. annis IV. R. XVIII. 2. definiti cum patre simul regnante exegerit, annos 27. reliquos solus, Chronologi complures dicunt, videturque necessariò dicendum, ne absurdum sequatur, vel repugnans communi sensui, quòd nempe Ezechias natus sit anno decimo ætatis patris sui Achaz, adeòque à novenni circiter fuerit generatus, id enim planè è SS. textibus inferri potest, si Ezechias solus annis viginti novem regnasset. Anno enim suo vigesimo Achaz regnare cœpit XVI. 1. additis quindecim, quos ei damus, annis regiminis, ætas illius triginta quinque annis definitur. Ezechias filius Achaz *viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset.* XVIII. 2. demptis viginti quinque, si Ezechias primùm regere cœpit post mortem patris Achaz, ab annis ætatis paternæ triginta quinque, restant anni decem parentis, quando filius Ezechias natus est. Cæterum quòd Ezechias iste binis annis cum patre regnârit clarè sic conficitur. Annus duodecimus regni Achaz Regis Juda fuit annus primus Osee Regis Israël XVII. 1. Annus Osee tertius fuit primus Ezechia filii Achaz Regis Juda. XVIII. 1. Ergo anno decimo quarto Achaz (iste enim est annus tertius Osee, cum annus duodecimus Achaz fuerit Osee primus, ut nuperrimè dictum) anno, inquam, *decimo quarto Achaz* cœpit regnare Ezechias. Quare cum Achaz regnâ-

gnarit minimum annos quindecim, filius ejus Ezechias cum eo regnavit bienniō, annis scilicet regni Achaz & decimo quarto, & decimo quinto.

Quōd facilius colligi in unam summam queant anni hi regiminis regum Juda, non interrupta serie sub obrutum illos ponere libuit hoc ordine.

Æ. M. a. Æ. V.

Anni Salomonis post 4. Regni annum			
Seu jactum Templi fundamentum	36	-	3010 - 991
Roboami ejus filii	17	-	3027 - 974
Abiam ejus fil.	3	-	3030 - 971
Afæ ejus fil. i. cum patre, solus	40	-	3070 - 931
Josaphat ejus fil.	25	-	3095 - 906
Jorami ejus fil.	4	-	3099 - 902
Ochoziæ ejus fil.	1	-	3100 - 901
Athaliæ matris Ochoz.	6	-	3106 - 895
Joas fil. Ochoziæ	40	-	3146 - 855
Amasiæ ejus fil.	29	-	3175 - 826
Azariæ eius fil.	52	-	3227 - 774
Joathan ejus fil.	16	-	3243 - 758
Achaz ejus fil.	15	-	3258 - 743
Ezechiæ ejus fil.	27	-	3285 - 716
Manassis ejus fil.	55	-	3340 - 661
Amon ejus fil.	2	-	3342 - 659
Josiæ ejus fil.	31	-	3373 - 628
Joachaz ejus fil.	0. 3. M.	-	3373 - 628
Joakim seu Eliakim fil. Josiæ	11	-	3384 - 617
Joachin filii ejus seu Jechoniæ	0. 3. M.	-	3384 - 617
Sedeciæ fratris Eliakim	11	-	3395 - 606

Summa annorum Regiminis Regum Juda. 421. 6. M.

Proin à condito ad destructum templum intercipiuntur anni 421. & desolatio hæc incidit in Æ. M. 3395. a. Æ. V, 606. quod e. o.



CAPUT V.

*Ostenditur ab excidio, seu desolatione Templi
usque ad ejus reparationem anno secundo Cyri in-
ceptam elapsos esse annos septuaginta & unum.*

AB anno undecimo Sedecia, quo destructa est sancta civitas una- cum templo Salomonico ortum ducere captivitatem Babylonicam auctorum, quos mihi consulere licuit, communior tenet opinio. Quamvis enim anno tertio Joakin, seu Eliakin Regis Juda multorum Hebraeorum contigerit cum Rege suo abductio in Chaldaeam, non tamen illi ira captivi abducti sunt, prout factum esse è SS. Paginis constat post ipsum Urbis Solimæ excidium. Cæterum quidquid pro hac sententia de anno tertio Eliakin, seu de ista captivitate à Prophetis maximè Jeremia prædictum afferri queat, id nullatenus derogare potest geminis omnino claris S. Scripturæ locis, quæ ostendunt captivitatem Babylonicam propriè dictam, seu annos LXX. completam, de qua toties mentio fit in SS. Bibliis, ab ipsa desolatione Hierapolis, & templi à Salomone constructi sua derivare primordia. Locus unus exstat L. IV. Reg. c. ult. v. 27. ubi dicitur: *factum est verò in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin Regis Juda (hic octennio post annum tertium Joakin, seu Eliakin translatus est Babylonem) mense duodecimo vigesima septima die mensis suble-
vavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cepit, caput Joachin Regis Juda de carcere; & locutus est ei benigne: & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Regnum Evilmerodach ab Auctoribus communiter viginti duorum vel trium annorum periodo definiri solet. Balthazar ejus in regno successor ad regiminis clavum sedisse dicitur pariter viginti unum vel duos annos, ita, ut ambobus post Nabuchodonosorem magnum usque ad Darium Medum regnantibus anni regni competant quadraginta quatuor. Si ergo annis Jechoniae seu Joachin triginta septem, à quibus, ut sacer textus perhibet, Rex ille ex Jerusalem in Babylonem transmigrarat, addas annos eos quadraginta & quatuor, habebis annos LXXXI. & si insuper annos octo, propter octennium translati post annum tertium Eliakin Babylonem Regis Joachin, priori summæ adjungas, con-

D

seque,

sequeris annos LXXXIX. Adeoque si captivitas Babylonica auspici-
 cium sumpsisset vel anno tertio Joakin seu Eliakin, quo anno ipse
 cum multis suorum subditorum ad tres annos Babylonem traductus
 est, ubi servivit Regi Chaldaeo, ut innuitur IV. R. XXIV. 1. vel an-
 no illo transmigrations Jechoniae & plurimorum aliorum ex Judaeis,
 illa durasset annis 89, posterior vero captivitas annis 81. contra expres-
 sa Prophetarum oracula & communissimam omnium AA. sententiam.
 Anno siquidem everfi à Persis Assyriorum imperii, occisique à Cy-
 ro Regis Balthazaris, à quo anno principium sumit Epochæ devoluti
 ad Cyrum Regni Chaldaici, ut habetur Esdræ 1. cap. 1. & alibi, solu-
 ta est captivitas Babylonica annorum LXX. At vero si anno unde-
 cimo Sedeciae postremi Regis Juda septuagenaria hæc captivitas ini-
 tium traxisse dicatur, nil sequitur vel Prophetarum vaticiniis adver-
 sum, vel S. Scripturæ, aut receptæ Chronologorum opinioni repu-
 gnans.

Locus alter habetur Danielis IX, ubi expressè perhibetur ab an-
 no undecimo Sedeciae, seu ab excidio urbis & templi putanda esse
 exordia captivitatis Judaicæ in Chaldaeis. Ita Daniel. c. IX. 1. & 2.
*In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui impera-
 vit super regnum Chaldaeorum, anno uno Regni ejus (Darius iste in
 consortio Cyri Babylonem subjugarat) ego Daniel intellexi in li-
 bris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jere-
 miam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septua-
 ginta anni. Ecce captivitatem Babylonicam dilucidè nuncupat Je-
 rosolymæ desolationem, & non transmigrationem. Desolatio autem
 ista juxta Chronologos omnes, & rei veritatem IV. Reg. cap. ult.
 assertam, indubiè contigit anno undecimo Sedeciae, atque adeò patet
 intentum, neque video quisnam ritè perpenso textu utroque porro
 superesse queat dubio locus.*

Anno itaque destructæ urbis & templi sub finem præcedentis
 capitis signato videlicet anno *Æ. M.* 3395 a. *Æ. V.* 606
 addantur, & demantur ipsi anni captivitatis 70 - 70
 anno primo imperii Chaldaici Cyri terminatæ. Ille enim Monar-
 cha, ut refertur 1. Esdræ 1. captivitatem solvit, & facultatem Judæis
 dedit Jerusalem ascendendi, templumque Domini rursus erigendi.
 Omnis captivorum multitudo duce Zorobabele hac Cyri licentia
 usi quadraginta duo mille trecenti sexaginta, exceptis servis eorum,
 te ancillis in urbem sanctam ex Chaldaea profecti sunt. Anno au-
 tem secundo adventus eorum in patriam, anno nempe 2do regni
 Cha

Chaldaici Cyri, ut ibid. perhibetur c. III. mense illius anni secundo Levitæ à viginti annis & supra constituti, qui urgerent opus Domini, & instarent super eos, qui illud opus faciebant in templo Dei fundato eo ipso anno, cum mense septimo anni superioris altare duntaxat ædificatum & dedicatum fuerit, ut constat ex cit. c. III. 8. 9. 10. item 1. 2. 3. adeoque addito anno uno, quò fiat Regni Babylonici Cyri annus secundus, consent anni 71. Quare dabitur annus *Æ. M.* 3466 - a. *Æ. V.* 535. quo post desolationem iterum templum fundatum, atque adeò ab ejus destructione ad alteram constructionem Jerosolymitanæ sacræ ædis elapsi sunt anni septuaginta & unus, q. e. o. Porro hæc templi reædificatio & fundatio non ita accipienda, quasi manum ultimam insigne id opus secundo Cyri anno obtinuerit. Hoc enim solùm contigit anno sexto Darii Hystaspis tertii, qui post Cyrum etiam Babylonico regno præfuerunt, Persarum Monarchæ, viginti circiter annis templi absolutam fabricam impediens Judæici nominis hostibus. Vid. I. 1. Esdræ c. VI.

Hactenus mundi ætatem ex SS. Paginis deducere licuit nullo alio assumpto adminiculo, quod vel profana historia vel alii temporum characteres poterant suppeditare. Delati inde sumus ad annum secundum fluentem Cyri regis, postquam Chaldæis quoque imperare coepit, ut per viginti & amplius annos Persis idem jam fuerat moderatus. Et quidem ad alteram hunc Cyri annum eo ex S. Scriptura vulgata pervenimus certitudinis gradu, ut re suis momentis ritè librata nullus prudenti cavillationi relinquatur locus. Quamvis enim in Judicium præsertim chronotaxi discussa sint varia, quæ forsivim intellectui non inferant, atque in iis præcisè sistendo non egrediantur omnes probabilitatis metas, neque certitudinem omnimodam attingant, si tamen annorum à promulgata lege veteri in tabulis exarata, ex I. III. Reg. c. VI. v. 1. notissima periodus, integra attendatur, neque hic quidpiam dubii superest. Ob Cainanum junio-rem seu diluvio posteriorem, sitne is Arphaxadam & Saleum inter Patriarcharum catalogo inferendus, mihi & RR. aliis chronologis certum est, nil ex ea lite mundi chronologiam titubare, cum utrovīs constituto certissimum esse debeat, natum esse Sale anno trigesimo quinto Arphaxadi. Hoc enim expressè & assertivè testatur Hagiographus Moyses, & anno illi trigesimo quinto meæ chronotaxi pertexendæ adhibito nullus alius SS. Paginarum locus, neque D. Luca, intersertus prædictus Cainan vel hilum derogat. Restat unicum dubium ob Abrahæ natales, an scilicet, septuagesimum, an verò cen-

tesimum tricesimum Tharæi patris annum illa nativitas incidit? Fateor hic ex Vulgata posse nos probabiliora quidem, non tamen penitus indubia & certa sectari, aut sectatos esse. Capite tamen 7. complanabitur difficultas illa indubio caractere Astronomico, Eclipsi videlicet Solis visa in Sinis paulò ante Cataclysmum.

A prædicto autem anno Cyri Regis chronologos videtur destituere Sacra Pagina, contenta referre aliquos posterorum Cyri, nequam expresso, ut in Regibus Juda liquidò fecerat, regiminis eorum tempore.

Putant quidem aliqui ex vaticinio Danieli factò de LXX. hebdomadis abbreviatis, adhuc porrigi à S. Scriptura Chronographis filum, cujus ope in mundi ætate pertexenda devenire queant ad baptismum Christi Ducis, indèque regrediendo ad ipsam Æ. V. Christianarum. Sed id quidem verum foret, si ex SS. Bibliis constaret de hebdomadarum Danielis exordio, quod paucis, quos novissimò secutus P. Cæsar Calin, ab anno primo Cyri, aliqui à sexto Darii Hystasp. plerique ab Artaxerxis longimani septimo, nonnulli denique ab ejusdem Regis anno vigesimo conjectando derivant. Nil proin certi inde posse conjici videtur. Et licet ipsi Auctores in hoc hebdomadarum initium consentirent, tota propemodùm difficultas manet, excepto anno Cyri primo, cum vetus Testamentum haud indicet, cuinam conditi Orbis anno Darii regni sextus, vel septimus aut vigesimus Artaxerxis sit illigandus. Supposita igitur, quæ in humanis penitus tolli nequit, fide aliqua humana de annis Imperii Chaldaici Nabuchodonosoris Magni, Cyri, & aliquot successorum ejus, quòd scilicet tali anno Regni factæ sint istæ vel illæ Luminarium Eclipses à fide dignis auctoribus relatæ, testèque Ptolemæo in Almagesto facilè Astronomorum veterum principe à Babylonis observatæ, placet hucusque ex SS. Litteris textam nostræ chronotaxos à rerum creatarum origine telam ulterius ad Æ. V. Christi pertexere. Signa etenim hæc siderea ejusmodi notæ sunt, & temporum characteres, ut ope eorum non tantùm in noticiam annorum, sed & mensium ac dierum infallibiliter devenire liceat Astronomorum unanimi asserto, quibus utpote rei hujus peritis Uranicæ scientiæ ignari credere debent. Ne autem filum usque ad Regnum Chaldaicum Cyri à SS. Bibliis porrectum in mea chronologia mundi omnino deserere videar, aliquid etiam dicam de præfatis hebdomadis Danielicis, alitque insistam viis indagini huic aptis, quòd hac ratione methodus una alteram confirmet, & ubi aliquo modo deficere videtur

decur Divinorum oraculorum indubia fides, chronotaxis humanis
hausta mediis certior reddatur. Sit itaque

CAPUT VI.

*Ostenditur ex notis Astronomicis, à secundo anno Impe-
rii Chaldaici Cyri usque ad Æram vulgarem Christi
ineuntem intercipi annos quingentos triginta
quinque.*

Constat ex Ptolemæi Almagesto observatas Babylone olim has
Lunæ Eclipses, videlicet anno quinto Nabuchodonosoris ma-
gni, Cambysis septimo, Darii Hystaspis anno vigesimo & tri-
gesimo primo, & alias plurimas scopo tamen meo haud ne-
cessarias, ritè notato anni tempore, quo Luminare minus defecit,
obscuracionis itidem quantitate, & specie, num scilicet ad Boream
vel Austrum sidus passum sit luminis solaris, terræ objectu subtrahit,
defectum. Notissimum autem Astronomiæ cultoribus, naturaliter
haud posse fieri, ut gemini ejusdem Luminaris defectus intra sæculum
etiam integrum recurrant anni die & hora eadem, præsertim ejusdem
& quantitatis, & qualitatis; atque eadem in terraquæ plaga, neque enim
id permittit lunæ cursus, neque nodorum ejus motus, circa quos
duntaxat in Pleniluniis sidus illud obscurari potest, contra signorum
Zodiaci seriem peragi solitus. Si proin è tabulis Uranicis lumi-
narium motiones complexis, saltè ubi eæ fuerint melioris notæ,
quales hodie complures suppetunt, in Eclipsis cujusdam diem, ho-
ram, & maximè lunæ obscuracionis speciem eandem, quam fide
digni observatam testantur, hisce, quæ modò dicta, & loco observa-
tionis ritè notatis (licet dubium adhuc foret de integro sæculo ob-
scuratæ lunæ plenæ, ne dicam unius vel paucorum annorum) in an-
num quoque ipsum feliciter incurristi, sive dein ejusmodi inventus
annus Æram vulgarem Christi præcesserit, sive fuerit primùm conse-
cutus. Supputavi porro è tabulis Parisinis à Philippo Hirio anno
præsentis sæculi secundo Lutetiæ in lucem editis, & viginti annis
post Ingolstadii reimpressis, supra insinuos quatuor lunares de-
fectus, & ope præstantiorum harum tabellarum in tempora anni &
quantitates, nec non species earum Eclipsium ita deveni, ut nulli si-

dereæ scientiæ perito, vel minimus scrupulus queat superesse de ipso anno, quo singula illa Lunæ deliquia contingere. Brevitatis ergo solos admetior calculorum Epilogismos, ut cum Babylone observatis conferri possint. Suppono autem Babylonem duabus & sesqui horis Lutetia Parisiorum, pro quo meridiano supputatæ illæ Tabulæ, in ortum vergere.

Primæ itaque Eclipsis medium inde eruitur Babylone anno 621. ante Æ. V. Christi. d. 21. Aprilis, tempore vero 17. hor. 28. sole existente in gradu arietis 24. m. 20. & Luna in signo opposito Libræ gradu & minuto eodem, nodo Boreo 5. signis 20. grad. & totidem minutis à luna distante. Hinc Planetæ latitudo hor. decrescens 50. min. 35. sec. minima centr. lunæ, & umbræ distantia 49. min. 50. sec. semid. lunæ 14. m. 50. sec. umbræ 39. min. 30. sec. adeoque scrupula deficientia 4. m. 30. sec & hinc maxima Eclipsis quantitas I. digiti. 48. scrup. sidere ex parte austrina obscurato.

Ptolemæus l. 5. c. 14. ita hanc Eclipsin refert. *Anno quinto Nabopallassari* (ita scriptor ille cum aliis veteribus Nabuchodonosorem magnum vocat) & *Nabonassari anno 127.* (est hic rex Assyriorum Salmanasar, qui IV. Reg. XVII. cepisse dicitur Samariam Regiam Israelis Regum, translatisque in Assyriam tribus finem imposuisse Regno Israel) *observata Babylone Eclipsis Luna inter 27. & 28. Athyr* (sunt menses Ægyptiorum, quorum dies ad calendarii Juliani dies methodo facili in Almagesto novo & Astronomia reformata Ricciolii tradita) *circa horam sextam post mediam noctem defecit ad summum quarta pars diametri Lunaris ad austrum.* Ita ille. Athyr diei 27. in calend. Juliano congruit dies 21. Aprilis: ergo cum ista die jam ante septendecim horas 28. minuta astronomice absoluta tabulæ maximam Eclipsin signent tempus supputationis, seu dies 22. Aprilis duobus minutis horariis minus hora sexta matutina satis congruit tempori observationis. Species quoque calculata obscurationis respondet observatæ utrobique, scilicet sidere in partibus austrinis obscurato. Quantitas quidem è tabulis minor eruitur unius tantum digiti, 48. scrup. cum ferè tres à Ptolemæo signentur. Ad sciendum istos Babylone non potuisse observari luna circa horam sextam matutinam jam infra horizontem mersa, sed solum ex aliquot phasibus Babylone notatis sub initium Eclipsis ibidem visibile ab ipso Ptolemæo fuisse conjectura quæpiam definitos, ubi facilè medii & amplius digiti Ecliptici error contingere potuit. Reliquum, quod deest imperfectioni tabularum quivis haud
gra-

gravatè tribuet, qui compertum habuerit etiam nostro hoc sæculo, quo tabulæ Hirianæ concinnatæ, tantundem quandoque in quantitate defectuum lunarium eas à cælo abluere. Annus autem pro hoc calculo assumptus est sexcentessimus primus ante Æram vulg. Christi, adeoque hunc & nullum alium ista Eclipsis citra omne dubium designat.

Eclipsis secundæ medium supputando collegi anno a. Æ. V. quingentesimo vigesimo tertio die 16. Julii Babylone temp. vero hor. 11. 54. min. 30. sec. luminaribus sitis in Caneri & Capricorni gradu 16. minuto 40. nodo boreo signis 11. grad. 22. & 31. min. in signorum serie à luna tunc recedente, cui argumento, ut Astronomi vocant, latitudo sideris respondet 39. min. 20. sec. eaque australis ac decrefcens, & arcus inter centra 38. m. 50. sec. Semid. lunæ erat 14. min. 50. sec. umbræ 39. min. 30. sec. adeoque Ecliptica scrupula 15. m. 30. sec. & inde obscurationis digiti sex min. 16. discolor. Ptolemæus libr. 5. c. 14. ita de hoc lunæ deliquio. *Anno VII. Cambysis Persarum Regis Nabonassari 225 observata Babylone luna Eclipsis nocte inter 17. & 18. Phamenoth hora prima ante mediam noctem, qua defecere ab arcto digiti sex.* In quantitate & specie Eclipsis supputatio phænomeno bellè respondet, tempus atamen calculi integrâ ferè horâ ab observatis dissidet, quod adscribi debet tum aliquali tabularum vitio, tum fortè etiam observationis, cum medium Eclipsis accuratè quoad tempus æstimari nequeat, nisi ex initio & fine ritè notatis de eo iudicium feratur, vel ex aliis binis phasibus sibi mutuò respondentibus, ut ex digitis æqualibus im- & emersionis. Accedit, quòd si obscurationis quantitas sextum pollicem quarta digiti parte, ut è tabulis elicitur, excefferit, sex digiti eclipsati minutis horariis septendecim citius notari debuerint, quàm Eclipsis maxima reverà contigit, ut liquebit defectus istius lunaris organicam delineationem expediendi. Sed minutia hæc, imò majora etiam supputationis ab observatione dissidia curatori quidem Astronomiæ, nil tamen chronologiæ obstrepere queunt. Evidens siquidem est, nec anteriori nec posteriori sæculi die 16. Julii fieri potuisse Eclipsin, in qua sidus dimidiam circiter sui partem ab arcto deficeret, si anno quingentesimo vigesimo tertio defectus huiusmodi incidit. En demonstrationem, & quidem ex lege nodorum lunæ peritam, ne quis nodum in scirpo hîc forsan quærat. Exploratum est lunas plenas ad eosdem mensium dies non redire, nisi transacta Enneadecaeteride, seu annorum novendecim evolutio spatio. Motus utriusque nodi lunaris eodem tempore ultra revolutionem integram

est

est 7. grad. 27. min. 20. sec. quibus debetur latitudinis lunæ variatio in Eclipsibus 38. min. proximè: quoniam igitur anno a. Æ. V. 523. die 16. Julii cum latitud. austrina 39. min. proximè obscurationis quantitas à borea sex circiter erat digit. annis novemdecim ante & post facto eodem die 16. Jul. utrobique plenilunio (nil hic sum sollicitus de horis, quæ absque dubio ab invicem multum distabunt, nec de minutis in loco solis interea parum variato ob anni Juliani formam intra Tetraeteridem, seu quadringentorum annorum periodum gradu integro, aut die uno à vero abludentem, ut manifestum est ex castigatione calendarii Jul. Gregoriana) facto, inquam die 16. Jul. plenilunio, anno quidem ante Æ. V. 542. latitudo austrina lunæ emergit 1. gr. 17. min. cum qua, ut est Astronomiæ tyronibus notum, nec recens in Anglia inventus miræ præstantiæ tubus opticus Eclipsin in luna dispiciat, anno verò a. Æ. V. 544. quo alterum die 16. Jul. commissum est Plenilunium, latitudo sideris deficientis minutum unum non excedebat, adeoque obscurationis fuit lunæ totalis ac penè centralis. Absoluta rursus Enneadecaeteride, seu annis a. Æ. V. 561. & 485. die 16. Julii in plenilunio anni prioris latitudo lunæ merid. fuit 1. gr. 55. min. in qua de Eclipsi nec somniandum, fluxeritque non unum, sed plurima sæcula fortè ad ipsam mundi originem, donec die 16. Julii lunam plenam consequare in 39. minuto latitudinis Austrinæ, seu ubi digitis scilicet sex ab arcto sidus à terræ umbra infici potuerit. In plenilunio verò anni a. Æ. V. posterioris seu 485. lunæ latitudo mutavit speciem è meridionali in borealem migrans, quantitatis 37. min. proximè. Cum autem huic debeantur digitis circiter sex obscurationis disci lunaris non ab arcto, sed ab austro, isti ante Æ. V. anno 485. relata à Ptolemæo Eclipsis quadraret, ut pugnus ad oculum. Anno 466. incurrente in 16. Julii rursus plenilunio, auctaque lunæ latitudine minutis 38. ea extitit borealis 1. grad. 15. min. adeoque planeta egressus Eclipsis possibiles terminos, quod à fortiori annis Æ. V. propioribus necesse est contigisse.

Eclipsis tertia medium è tabulis Hirii Babylone attigit anno a. Æ. V. 502. die 19. Novembr. t. v. hor. 12. 18. luminaribus oppositis in Scorpio & Tauro 21. gr. 52. min. nodo Bor. à luna distito 5. sign. 20. gr. 40. min. adeoque latitudo tunc erat septentr. decr. 48. min. 50. sec. & minima centrorum distantia 48. min. semid. lunæ 14. min. 45. sec. umbræ 38. 50. adeoque digitis obscurati in disco lunari austrino 2, d. 16. scrup. Ptolemæus l. iv. c. 9. Anno inquit,

inquit, *vigesimo Darii Hytaspida, Nabonassari 246. Eclipsis luna Babylone visa inter 28 & 29 Epiphi horâ post Solis occasum sexta 20. min. & ante mediam noctem minuto 24. defecere autem ab austro digiti tres.* E quibus patet notatam à Babyioniis Lunæ defectionem illam ipsam esse, quam Hirii tabulæ in 19. Nov. anni a. Æ. V. 502. signant.

Denique quartum plenilunium eclipticum ab iisdem tabellis exhibetur anno a. Æ. V. 491. die 25. Aprilis, Babylone temp. vero maxima defectio contigit hor. 10. minuto 53. Sole in Arietis & Luna in Libræ gradu 28. 26. min. $\frac{1}{2}$. positis. nodoque boreo inde distante 5. signis 19 grad. 9. min. atque Luna habente latitud. bor. decresc. 56. min. 48. sec. cum distantia centrorum 55. m. 50. s. lunæ semidiam. 15. m. 50. s. umbræ 43. m. 20. s. Hinc obscuratio disci lunaris ab austro 0. dig. 48. scrup. Ptolemæus locò nuper citato ita habet. *Anno 31. Darii Hytasp. 257. Nabonass. Eclipsis observata Babylone nocte sequente diem tertiam Tybi, hoc est in medio hora sexta nocturna. Defecere autem duo digiti ex parte Australi Luna.* Teste Ricciolio in Astronom. reformata Ptolemæus relationi adductæ subjungit: *Medium enim tempus mediâ horâ præcessit medium noctis Babylone.* Adeoque medium Eclipsis ibidem visum deducitur media duodecima nocturna, quod sufficienter congruit tabulis Hirii præsentis negotio, licet dissidium quantitatis intra eandem tamen speciem, integrum pollicem superans etiam hinc notabilem utique in Astronomia tabularum defectum arguat.

Patet proin ex .i. his minoris luminaris deliquiis convenientia calculi cum phasibus Babylone visis in die mensis, diei hora, obscurationis specie, atque etiam quantitate digitorum, quantum chronologiæ sufficit, imò superat pro anno ante Æ. V. Christi inde citra ullum scrupulum inferendo. Discrepancia autem supputationis ab observatione aequalis, vel imperfecti tabularum neque diebus nostris cælo examussum jugiter respondentium, vel, quod verosimilius videtur, ipsarum observationum vitio commodum dabitur. Quàm pronum enim sit aliquot horariorum minutis inermi oculo, & pluribus deficientiæ scrupulis, observando ejusmodi phænomena, à scôpo abluere, Astropili nôrunt, optimæ notæ telescopiis ejusmodi cæli spectacula arbitrari solitis. Plura capientibus dabit P. Ricciolius Astron. ref. I. 2. c. 4. ubi ex professo de incertitudine observationum antiquarum tractat, spectando scilicet *accrībiam* astronomicam, quæ

E

nil

nil derogat chronologicæ certitudini. Non enim ex horis, sed statis mensium diebus, quæ Ecliptica plenilunia contingere, indagine certissima annos venamur, atque etiam assequimur, licet anni illi fuerint Hecubâ & Sibyllâ vetustiores.

Quò jam ex his temporum inconcussis characteribus deliquis videlicet lunaribus id evincam, quod intendo, sic ulterius discurro. Annus decimus nonus Nabuchodonosoris respondet anno undecimo Sedeciæ, quo anno Solimæa urbs cum templo igni jussu Chaldæi Regis succensa, uti dicitur IV. Reg. XXV. 8. *Mense quinto septima die mensis: ipse est annus nonus decimus Regis Babylonis: venit Nabuzardan Princeps exercitus, servus Regis Babylonis, in Jerusalem, & succendit Domum Domini, & domum Regis &c.* Annus hujus desolationis Jerosolymitanæ erat, ut in præcedentibus est ostensum, annus à condito orbe, seu Æ. M. 3395. ante Æ. V. 606. ergo sub ductis anno decimo nono Nabuchodonosoris annis quatuor (anno siquidem illius Monarchæ quinto contigit prima Eclipsis è quatuor antè ex Ptolemæo relatis) si anni quindecim reliqui æris M. & V. subtrahantur & addantur, obtinebimus anno quinto Regis Nabuchodonos. quo antè dictum lunæ deliquium spectatum Babylone, annum æræ mundi 3389 a. Æ. V. Christi 621. si igitur anno 3380. Æ. M. addas annos à prima nostra Eclipsi usque ad æram vulg. transactos 621. obtinebitur Æ. M. annus 4001. seu annus primus Æræ vulgaris, à quo annus secundus Cyri, seu, ut capite V. ostensum, Æræ mundi annus 3466. distat 535. Ergo à 2. do anno Cyri ad Æ. V. Christi intercipiuntur anni quingenti triginta quinque. Q. E. O.

Notandum per hanc Nabuchodonosoris anno quinto, uti & alteram anno septimo Cambysis notatam à Babylonis Eclipsin validè confirmari id, quod supra diximus de initio captivitatis Babylonicæ septuagenariæ, cujus exordia, ut aliàs innuimus apud Chronologos sunt controversa, multis ab anno tertio Joakim, seu transmigracione complurium ac nobilliorum cum Rege suo in Babylonem, ea derivantibus, aliis meliùs ac SS. Paginis conformiùs ad annum desolationis seu undecimum Sedeciæ reducentibus. Cùm enim annus quintus Nabuchodonosor distet ab Æra V. annis 621, annus autem septimus Cambysis annis 522, hi ambo ab invicem recedent 98. annorum intervallo, atque adeo ab anno tertio Joakim annus septimus Cambysis elongabitur 102. annorum periodo. Nam Joakimi annus tertius ab undecimo sedeciæ dirimitur annis novendecim, uti liquet ex serie

non

non interrupta Regum Juda calci capitis IV. adiecta, cum ergo annus quoque primus Nabuchodonosor, ut paulò ante ostensum, ab anno undecimo sedeciae etiam novendecim annis recedat, annus hic tertius Joakim confluit cum anno primo Regis Babylonii. Anno proin quinto istius Monarchæ distante annis 98. à septimo Cambylis, primus Nabuchodonosoris, seu tertius Joakim annis 102. elongabitur ab anno Cambylis septimo. Cyri imperium Chaldaicum chronographi passim octenniò, aut novenniò circumscribunt. Cyro Patri successit Cambyles: ergo Cyri annus primus Regni Babylon. seu annus solutæ Judæorum captivitatis à septimo Cambylis differt 14. vel 15. annorum circulo. Deme hanc temporis differentiam annis 102, & invenies distantiam anni tertii Joakimi ad finitum Hebræorum mancipatum Babylonicum (juxta SS. Biblia & receptam omnium Scriptorum septuaginta annis definiendum) annorum 87. vel 88, quod multum excedit numerum LXX. At verò si à Sedeciae anno undecimo, seu ipso anno desolationis Jerusalem exordiare calculos septuagenariæ illius captivitatis, eam præcisè, quæ requiritur, temporum revolutionem deprehendes. Ab anno siquidem quinto Nabuchodonosor ad annum septimum Cambylis intercurrunt anni 98. & annus septimus Cambylis, ac primus Cyri ab invicem 14. vel 15. annis distant. ergo annus quintus Nabuchodonosoris, & primus Cyri distabunt annos 83. vel 84. adeòque annus decimus nonus Nabuchodonosoris undecimus videlicet Sedeciae seu annus desolationis & primus Cyri intercipient annos 69, vel 70. Ex quo manifestè patet intentum, & unà colligitur non novem, sed octo duntaxat Babylonii regiminis annos tribuendos Cyro, cum certum sit captivitatem durasse annis LXX.

Eclipsis altera Cambylis anno septimo fluente visa distat ab æra vulg. Christi intercapedine annorum 523. Istos unà cum annis sex regni Cyri, quos ipse à cæpto instaurari Templo sacro adhuc supervixit, uri & sex annis Regiminis Cambylis, quando defectus ille lunaris Cambylis anno septimo currente observatus est, adde anno æræ mundi, Cyri anno secundo respondentem, videlicet anno 3466. & conficietis annum Æ. M. 4001. à priore distantem annis 535. ut supra. Imò neque opus vel per ambages primùm deducere, ut nuperrimè factum, vel ex profana historia supponere annos imperii Babil. Cyri octenniò definiri. Nam citra hoc suppositum ita procedere licet. Annus nonus decimus Nabuchodonosoris seu desolationis temporis est Æ. M.

annus 3395. & ut supra ostensum istius Regis quintus erat annus Æ. M. 3380. jungantur anni 98. quibus ambæ Eclipses prima à secunda discriminantur, fiet annus Æ. M. 3478 his superadde & distantiam Cambylianæ Eclipses ab Æ. V.

annorum	523	& habebis orbis
conditi Ætatem Æ. V. ineunte anno primo	4001	qui annus Æ. M.
ut patet à secundo Cyri, seu ab anno Æ. M.	3466	nuper definito
annis dirimitur	535	q. e. o.

Deliquium lunare tertium anno Darii vigesimo Babylone notatum ab Æ. V. removetur annis 502 ab Eclipsi verò observata ibidem anno quinto Nabuchodonos. annis 119.

Horum annorum summa	621
addatur respondenti quinto Nabuchod. seu anno Æ. M.	3380 & iterum
resultrabit annus Æ. M. primus	4001 qui ab
anno secundo Cyri seu ab Æ. M. anno	3466
rursus distat annis	535 q. e. o.

Cæterum cum Cambyssi communiter tribuantur octo anni Regiminis completi, sic alia via inceditur. Annus desolationis, seu initii captivitatis Babylon.

ostensus est competere anno Æ. M.	3395
captivitas illa duravit annis	70
addatur annus secundus Cyri	1
uti & reliqui Chaldaici hujus Monarchæ regiminis	6
Regni Cambyssis anni	8
Darii anno currente 20. facta Lunæ Eclipsis	19
distantia hujus anni 20. Darii ab Æ. V.	502

Ergo annus Æ. M. ineunte anno primo Æ. V. Christi	4001.
subtrahatur hinc annus Æ. M. anno 2. Cyri debitus	3466
remanebit distantia hujus anni ab Æ. V.	535 q. e. o.
Similiter Eclipsis quarta anno 31. Hytaspidæ ab Æ. V. distans annis	
491, ab Eclipsi Nabuchodonosorea visa a. Æ. M.	3380
differt annis	130
si ergo istos & simul annos usque ad Æ. V.	491
in unam summam conflaveris, habebis a. Æ. M.	4001
ab anno secundo Cyri seu Æ. M.	3466
iterum recedentem annis	535 q. e. o.

vel

vel anno 2. Cyri, qui erat <i>Æ. M.</i>	-	3466
adde annos Regni Chaldaici residuos	-	6
uti & annos, quibus imperavit Cambyfes	-	8
atque Darius, dum Eclipsis contigit.	-	30
Item annos distantia anni 31. Darii ab <i>Æ. V.</i>	-	491
summa ut alias exsurget, <i>Æ. M.</i> ineunte <i>Æ. V.</i>		4001 a ⁿ is 535.

à secundo Cyri recedens q. e. d.

Habemus ergo Mundi conditi ætatem ad vulgarem æram Domini immediatè quidem ex sola Sacra Scriptura deductam usque ad annum secundum imperii Babylonici Regis Cyri, inde verò tum ex SS. Bibliis asserentibus nonum decimum annum Nabuchodonosoris Magni cum Sedecia Regis Juda anno undecimo, aut ultimo Regni ejus confluere, tum ex astronomorum relationibus annum quintum ejusdem Chaldaici Regis celebrem fuisse lunari Eclipsi memorantium, mediatè demonstratam, aliisque tribus antè adductis ejusmodi lunari-
bus defectionibus infallibilibus naturaliter temporum characteribus confirmatam. Placet jam eandem ulterius stabilire ex LXX. Danielis hebdomadis, uti & annis Sabbaticis ex fonte Instrumenti veteris haustis, quò etiam immediatè ex SS. Bibliis mundi ætas à
sua origine usque ad *Æ. V.* ritè definiatur. Antequam id præstem interfero aliqua de antiquissima Solis Eclipsi in Sinis apparente anno diluvii, qua expediatur ambiguitas in chronotaxi mundi cap. V. in-
iniquata.

CAPUT VII.

Et vetustissima solis Eclipsi in Sinis visa ostenditur, natum esse Abram anno septuagesimo Thare patris sui.

Phænomenon hoc cœleste in præcis Sinentium monumentis signari Græciò ad me scripsit Author Cosmangeli P. Josephus Stöcklein, supra ad calcem cap. 2. citatus. Ejusmodi documentis cum instructum abundè esse appendix chronologica parti XVI. annexa docet. In iis autem asseritur, proximè ante diluvium perfectam

contigisse planetarum omnium conjunctionem, adeoque arctam luminarium synodum, qualis est sola ecliptica. Cataclismus porro Moyſis testimonio Genes. VII. in die septimo decimo mensis secundi, Eclipsis proin illa Solis in Sinis visa evenerit alterâ anni diluvianae Neomenia diebus sexdecim ante exitiales aquas.

Tekupha Nisan, seu cardo Judaici anni jugiter incurrens in mensem primum lunarem diluvii temporibus versabatur circa diem 12. Aprilis in forma anni Juliani. Astronomicae tabellae Philippi Hirii anno 2344 (quo Iubin colligetur factum Solis deliquium in China apprens) ante Aeram vulgarem Christi reponunt verum Aequinoctium vernale in praedictam diem Aprilis 12. mediâ quintâ ante meridiem Parisiis. Post hunc Solis in Arietis primordia ingressum anno eodem novilunium mensis secundi eclipticum in meridiano Parisiensi celebratum est die quinta Junii hor. 8. ante merid. Sole & Luna tunc versantibus in Tauri gradu $22\frac{1}{2}$. Nôdo verò boreo in 28. gradu Scorpionis, adeoque argumentum latitud. lunae signorum quinque & 24. grad. cum dimidio, cui respondent latitud. bor. decreſcentis scrupula 29. prima circiter. Paralaxis horizontalis Lunae à Sole minorum 58, motus horarius 32, aggregatum semidiametrorum sideris utriusque $31\frac{1}{4}$. Confecto his elementis Eclipsis typo consueta hodiernis Astronomis methodo organica, obtinui maximam Phæbi obscuratorem Pekini accidisse eodem die quadrante post quintam vespertinam undecim penè digitorum, modica duntaxat austrini disci solaris portione non obtenebrata. In parallelis Pekinensi borealioribus, locisque magis ad ortum sitis totaliter Phæbus defecit.

Jam verò putatis juxta placita Hirii tabularum mensis secundi noviluniis inter annos ante A. V. Christi adum 2400, & 2408, uti & 2340, ac 2348, quos inter octennii utrobique terminos, sive dein Abrahami natales inciderint in annum centesimum tricesimum, sive in septuagesimum Thare patris, nullum ex his noviluniis occurrit vel minimam Solis eclipsis inducens in regiones Sinici Imperii, unico excepto anno 2344, quo die quinta Junii sub vespere insignis facta in plagis Sinenſibus Phæbi obscuratio: ergo tenendum erit, isto & nullo alio, qui controverti queant, anno signandam arctam illam luminarium synodum, quæ in Sinicis priscis monumentis notatur paulò ante universale diluvium contigisse, alterâ videlicet anni illius neomenia. Illationis vim clarè percipient Astronomiæ gnari, præsertim, si ipsi-

met

met computi laborem subire voluerint, alii haud imbuti scientiâ Astro-
nomicâ credere debent ejus artis peritis.

Inter limites autem prædictos stare debere omnem hic annorum
amphiboliam è superiùs dictis in mundi chronotaxi satis liquet. A
diluvio siquidem ad Legem promulgatam è SS. Paginis liquidò de-
ducuntur anni 797. supposita nativitate Abram anno septuagesimo
Thare, vel 857, si Patriarcha is natus ponatur anno patris sui centesimo
trigesimo, adeò ut omnibus ritè perpensis ab ea annorum periodo vix
unus redundet, aut deficiat. A Legis promulgatione ad condi cœ-
ptum Salomonicum templum anni intercipiuntur præcisè 520. inde
ad ejusdem templi desolationem anno undecimo Sedecia Regis Ju-
da factam fluxère anni minimùm 420. vel summùm 424. Certè
pauciores, aut plures in sacra historia Regum Juda haud facile quis-
quam colliget. Ab anno porro undecimo Sedecia, seu decimo no-
no Nabuchodonosoris ob eclipsin lunarem anno quinto hujus poste-
rioris Monarchæ à Chaldæis notatam astronomica evidèntia chro-
notaxis mea deduxit ad Æ. V. annos 606, quibus in unam summam
redactis terminis à cataclismo ad aram vulg. Christi colligitur an-
norum series maxima 2348. vel 2408, minima 2342, vel 2402. In-
ter hosce autem annos nullus sese offert mensis secundi ecliptica sy-
nodo insignis præterquam 2344. ante prædictam Christianorum Æ-
ram, qui annorum bis mille trecentorum quadraginta quatuor cy-
clus resultat ex constitutis Abrami natalibus anno Tharæi septuage-
simo, longè major, si Abram ortus dicatur genitore Thare atatis
suae annum centesimum tricesimum numerante. igitur rejecto poste-
riore prius erit afferendum.

Amphiboliæ, quæ in mundi chronotaxi sese offerebat ob Abra-
miticos natales ita sublata ope solaris deliquii apud Sinenses, ut ve-
tustissimi eorum annales referunt, spectati paulò ante cataclismum,
adhuc duo videntur obstare posse. 1. quòd luna nova in quintam
Junii incurrens non secundum, sed tertium mensèm designet. Ex
celebratione enim Paschatis Judaico populo subin divinitus præce-
pta constat, Neomeniam Nisan, seu primi mensis neutiquam eam
reputari, quæ vernum Æquinoctium sequitur, sed cujus luna deci-
ma quarta vel in ipsum Æquinoctium incidit, vel post incursum So-
lis in vernalem sectionem celebratur. Neutrum autem horum, ut
patet contigit anno 2344. ante Æ. V. Christi. 2. Quia non liquet,
an mensis primus anni sacri Genesis 7. descripti à Tekupha Nisan, seu
ver-

verno æquinoctio, aut à Tekupha Tifri seu ab æquinoctio autumnali auspicia sua habuerit. Notum siquidem est, Hebræos duplex anni sui initium fuisse subin sortitos, primum à Tekupha priore, alterum à posteriore, et illa quidem anni lacri, ista politici dicebatur caput, seu primordium.

Sed respondeo ad 1. post indictam à Deo Israëlitis solennitatem paschalem primum anni Sacri mensẽ habitum esse illum, in quo luna decima quarta vel in sectionem vernam vel immediatè post illam incurreret, ex Josepho & Philone Scriptoribus Hebræis certum esse, quòd autem ante cataclisum id quoque fuerit observatum nulla satis congrua ratio suadet. Imò oppositum inde colligitur, quòd creato juxta probabiliorẽ Authorum, Saliano teste, in sectione æquinoctiali ipso sole, primum novilunium annis 1655. completis ante diluvium celebratum fuerit die 3. Maji, annis verd 1656. ante illam fatalem eluvionem die 14. ejusdem mensis, ut Hiriã tabulæ liquidum faciunt, è quibus æquinoctium vernum eruitur 24 vel 25. Aprilis. Protoplasti igitur nostri annum lunæ solarem à nulla alia Neomenia auspiciari potuere quàm ab ea, quæ post condita ambo Luminaria primò commissa est, seu ab illa, quæ veris æquinoctium proximè fuit secuta. Si itaque primo orbis conditi anno mensis secundus Junii calendarii Juliani respondebat, idem jure diei poterit de ipso anno, diluvii, quo die 5. Junii solis deliquium contigisse in Sinis vel maximè visibile Uranicæ tabulæ demonstrant. Imò nullo ex annis controversis supra adductis phænomenon eclipticum solare mense secundo in China spectabile ex iis tabulis coniciet, sive mensem illum secundum accipias in sensu à me intento, sive in illo quem methodus celebrandi Paschatis subin præscripta exigit, nisi anno ante Æ. V. 2344.

Eadem ferè datur responsio ad 2um. esto enim, annum cataclismi iniisse à Tekupha Tifri, nullam ex annis controversis, mense secundo à SS. Pagine certo, Solis eclipsin in China apparentem nancisceris præterquam anno 2343 die 18. Novembris, quo in locis saltem Pekino australioribus, magisque ad meridiem sitis paulò ante occasum maximam sui disci partem Phæbus obscuratus videri potuit. Quamvis ergo unde unde demum evinceretur, annum cataclismi à prima Tekuphæ Tifri Neomeniã sua esse auspiciatum primordia, nil camen inde conficeretur, nisi quòd Abram non 130 anno, sed 70 patris sui

Thare

Thare natales sortitus sit, ut adeò stante veritate eclipsis solaris in China paulò ante diluvium apparentis liquida maneat præsentis controversiæ decisio, cum in utraque suppositione tam vernalis quam autumnalis Tekuphæ nulli alii solis deliquio apud Sinenses visibili insignes anni congruant præterquam bis millesimus trecentessimus quadragesimus quartus die Junii quinta, & 2343. die 18. Novembris.

Ex eo ipso phænomeno solis deficientis ante mundi naufragium apud Sinenses spectato validè confirmari potest, quòd capite secundo dictum, Saleum videlicet natum anno Arphaxadi trigésimo quinto: Si enim Cainani ætas deducta ibidem orbis conditi chronotaxi præterea addatur, diluvium à vulgari Æra Christi distaret 2374. vel 2434. annis, quibus tamen, uti & aliquot annis ante, aut post nullum habetur indicium eclipsis solis mente secundo in Sinis visibilis, ut rem ipsam periclitanti Uranophilo manifestum evadet. Sed difficultas ea, ut loco cit. ostensum, textam à me ex ipsis SS. Paginis chronologiam nil valet interturbare, sive dein inter Arphaxad, & Sale interserendus venerit ipse Cainan, quod ob irrefragabile D. Lucæ testimonium mihi quoque probabilius apparet, sive non sit interserendus, prout Petavio & aliis visum.

CAPUT VIII.

Stabilitur Mundi hactenus definita ætas quater mille annorum usque ad æram vulgarem Christi ex Danielis hebdomadis & annis Judæorum Sabbaticis.

DAnielis IX. prædicatur adventus & mors Christi Domini, ille post hebdomadas LXIX, ista earundem elapsa periodo, & tribus cum dimidio præterea annis. Constat autem, atque etiam inter Chronographos convenit, hebdomadam quamvis, quarum ibi sermo, non dierum sed annorum septem cyclo esse concludendam. Sive autem septennium illud ab anno solari, sive à lunari derives, æqua utrinque habebis temporum spatia, modò lunæ annum Hebraico mo-

F

re

re aptè ad cursum solis reduceris, insertis suo loco mensibus embolismis, ut habet major & melior pars Scriptorum, contra paucos arbitratos, istarum hebdomadam annos omnes & singulos constitisse duntaxat 354. diebus, qualis est anni lunaris communis quantitas. Nempe Auctores hi elidere volebant eos tredecim annos, quos suæ chronotaxi minus rectè intruserant principium hebdomadarum submovendo in Artaxerxis annum vigesimum, quod septimo magis congruè dedissent, prout ex dicendis liquebit. Vaticinium autem Gabrielis Archangeli de his hebdomadis ad Dnielem ita sonat.

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur pravaricatio & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungetur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadvertite: ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae erunt, & rursus adificabitur platea, & muri in angustia temporum: & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus & non erit ejus populus qui cum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidia hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Paraphrasin hujus prophetiae, uti & quomodo Christi Ducis tempore ad unguem impleta sint omnia, passim tradunt Sacrae Scripturae Interpretes. Chronologi verò id solum eontrovertunt, cui determinatè anno ille sermonis exitus, ut iterum adificetur Jerusalem, sit illigandus. Nam, ut nuper insinuatum, deduci posse videtur ab Epochis quatuor diversis. 1. à Cyro Rege Persarum, quando expugnata Babylone Chaldaicum imperium Persico adjecit: anno siquidem primo regni Babylonici, ut habetur Esdrae I, cap. I. v. 1. Monarcha ille facultatem Judæis, soluta captivitate septuaginta annorum, concessit redeundi in patriam, & templi Solimani iteratò extruendi. 2. Ab anno sexto Darii Hystaspis tertii à Cyro Persarum Regis, quo anno Jerosolymis completa Domus Dei, uti perhibetur Esdrae I c. VI. §. 3. Anno septimo Artaxerxis Longimani, tunc enim ipse Esdras a Persico hoc Rege amplissimas obtinuit litteras ad fratras ejus in Judæa habitantes, ut omni ope Hebræos Babylone ad pro-

propria reduces juvarent, totumque id, quod valeret conferre ad templi & urbis reedificationem, suppeditarent liberaliter. vid. I. Esdræ VII. ubi præsertim notanda verba illa versûs 6. *Et dedit ei* (scilicet Esdræ) *Rex secundum manum Domini Dei ejus super eum omnem petitionem ejus*, adeoque illimitatam potestatem omnia Jerosolymis iterum constituendi, & deducendi ad umbilicum, prout ante captivitatem Babylonicam sese habuerant. 4. Denique anno 20. ejusdem Artaxerxis Regis, quando Nehemias acceptis literis ad Duces habitantes in circuitu Jerusalem, ne instaurationem Solymæ urbis impedirent, illuc ascendit, opusque egregie urset cum suis, qui manu una construebant muros, altera repellebant hostes, id operis vi omni impedire molitos, uti habetur II. Esdræ II. & sequentibus.

In eo porro, quod per tempus Christi Ducis intelligendus sit baptisimus, & prædicatio ejus, Scriptores penè omnes consentiunt: tunc enim in columbæ specie descendit in Christum Spiritus Dei, & de cœlis audita Patris voce: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Matth. III. v. ultimo, Servator populi sui constitutus est Dux. Priorem autem controversiam, quod attinet, ex dictis demonstrativè, ni fallor ostensum, nec anno 1. Cyri, nec 6. Darii posse tribui exitum sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem, seu LXX hebdomadarum abbreviatarum exordium, eò quod longè plures anni inter Cyrum, uti & Darium Hystaspidem, atque Christum Ducem intercedant, quàm hebdomades septuaginta, etiam non abbreviatæ exigant. Annus verò Artaxerxis vigesimus, si cum communi historicorum Dario Hystaspidæ regiminis annos 36. Xerxi verò ejus filio post quem Persicum Regnum Artaxerxes Longimanus tenuit, annos 10. tribuamus, excessu peccat.

En rationem horum manifestam, indeque mediatè & deductivè inferetur, Gabrielis vaticinium soli anno Artaxerxis septimo congruere, licet hoc ipsum etiam directè, & immediatè ostendi queat.

Hebdomades LXX. involvunt annos 490. Adde istos anno alteri Imperii Chaldaici Cyri, seu anno mundi 3466. supra cap. V. constituto, & constabitur annus *Æ. M.* 3956. quadraginta quinque omnino annis distans ab *Æ. V.* & multò pluribus à Christi Ducis baptismo. Annus verò sextus Darii Hyst. illuc quidem, accedit pro-

pius annorum viginti unius intervallo, ut liquet ex dictis, ab Epocha tamen vulgari adhuc annis 24. recedit. Juncta enim anno Mundi

sexto Darii respondenti illa Danielis septuagenariae periodo 3487
obtineretur annus Æ. M. 490

adhuc 24. annis remotus à quater millesimo primo, quem ex SS. Bibliis usque ad Nabuchodonosorem & Cyrum, & inde ex infallibilibus Astronomiæ tesseriis usque ad Æ. V. cap. VI. deduximus liquidissime.

Quoad Artaxerxis annum vigesimum, attributis, Hystaspidae juxta communem AA. opinionem regiminis annis 36, & Xerxi 20, ita proceditur. Annus sextus Darii erat mundi 3487
additis 30. residuis ejusdem Darii 30
uti & 20 Xerxis imperio congruentibus 20
nec non totidem Artaxerxis 20
ac præterea inde usque ad Christum Ducem, 483

hebdomadis scilicet sexaginta novem, habetur annus Æ. M. 4040, qui excessu peccat annorum quindecim, cum baptismus Christi Ducis, uti sectione tertia ostendam, incidat in annum Æ. Vulg. 25, adeoque Æ. M. 4025. Patet ergo à modò dictis ternis Epochis non posse derivari *Exitum sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem*, seu auspicia hebdomadarum Danielis. Ad annum proin septimum Artaxerxis exitus ille reducendus erit, cum præterea in istum annum chronologi ferè unanimi calculo, & in unum è quatuor illis regnorum annis penè universi consentiant.

Immediatè & directè ex hebdomadis Danielis Christi baptismus seu annus Æ. V. respondens, sic eruitur. Annus secundus Cyri è S. Scriptura elicitus erat Æ. M. 3466

anni residui Cyriani Regni 6

Regiminis Cambysis 8

Darii Hystaspidae 36

Xerxis 20

Artaxerxis septimus currens 6

Hebdomadae sexaginta novem 483

summa dat annum Æ. M. 4026

Inde subtrahere annum Æ. V. quo, ut sectione sequenti cap. 8.

& *sect.* 3. cap. 1. dicitur, Servator declaratus est Dux populi
& manebit *Ætas Mundi* incunte *Æ. V.* anno primo
eadem cum deducta ab eclipsibus.

Me non advertente cuius liquidum hic fit, paucos annos, qui circa baptismum Christi Ducis controversi solent, nil prodesse, ut ex anno septimo in vigesimum Artaxerxis detorqueatur initium hebdomadam Danielis, posterior si quidem Epochæ non paucis, sed quindecim omnino annis tempus baptismalibus undis tincti Servatoris retardat. Exordio autem seprimanarum competente ejus Regni anno septimo, *Ætas Mundi* ad *Æ. V.* manifestè colligitur quatermille annorum id, scilicet Mundi anno ad 4001.

Quo eadem ex annis quoque Sabbaticis deduci valeat, sciendum in veteri testamento tres haberi certos. Primus fuit annus Seleucidarum 149, quo Antiochus Eupator Epiphanis filius cum Lyfia Hierosolymam obsedit, vid. I. Machab. VI. 53. Vocatur autem annus iste eodem capite v. 20. centesimus quinquagesimus. Libro verò II. Machab. XIII. 1. centes. quadages. nonus, quia nempe anni hi Seleucidarum vel Græcorum libro I. inchoari solent à Mense *Nisan*, qui Martio vel Aprili nostro respondet. Libro autem II. à mense *Tisri* cum Septembri aut Octobri conveniente. Prius ab Hebræis dicitur anni sacri exordium, posterius anni politici, ut aliàs insinuatam.

Sabbaticus alter exstat I. Machab. XVI. 14. dictus annus Seleucidarum centesimus septuages. septimus, quo Simon Hyrcani pater in munitiuncula Doch interfectus est Ptolemæi generi sui insidiis.

Tertius denique à capta per Herodem & Sosium Jerosolyma insignis est *Coss. Agrippa, & Caninio*, qui fuit annus Julianus, seu à Julio Cæs. institutus, nonus, ante *Æram Christi* vulgarem triges. septimus, Urbis cond. 717. Videatur Joseph. Hebr. l. 14. antiquit. Judaic. c. 27. Porro annus iste erat Græcorum 275, ut patebit constituto eorum anno primo, quorum ara duodecimo post mortem Alexandri anno primordia, & nomen accepit à Seleuco Nicanore, etiam *Dhilkarnaim* dicta. Inde Græci, & alii orientis populi, quibus Seleucus imperavit in Babylonia & Media suos annos putant, imò ipsi olim Hebræi, prout è citatis Machabæorum libris patet. Hujus autem Epochæ tempus est indubium, utpote notis Astronomicis, compluribus stabilitum. Illas refert Albategnius libro de

scientia stellarum. Solis eclipsim Astronomus iste observavit Aractæ anno ab obitu Alexandri 1214. *Dhilkarnaim* verò 1202. luminaribus in Leone constitutis. E Petavii tabulis phænomenon congruit anno æræ christianæ 891. diei octavæ Augusti 12. H. 42. m. post mediam noctem Aractæ, ubi quantitas eclipsis colligitur fuisse 8. dig. 48. scrup. circiter. Subtractis itaque 891. à 1202. restat annus primus Seleucidarum ante Æram Christi vulgarem 311.

Anno *Dhilkarnaim* 1194 ab Alexandri obitu 1206. visa Aractæ eclipsis lunæ die 23. Tamuz (mensis 15. Julio respondet in calend. Juliano) hora 8. p. m. sole in quarto Leonis gradu versante. Congruit annus Æ. V. 883. Plenilunium verum eruitur d. 23. Julii h. 7. 34. m. quantitas deliquii 10. dig. 15. scrup. quare annus primus æræ Seleucidarum à christiana Epochâ iterum distat 311.

In eodem Aractensi Horizonte contigit alius lunæ defectus anno à morte Alexandri 1224. *Dhilkarnaim* 1212. hora 15. 35. m. Phæbo existente in Leonis gradu decimo quarto. Eclipsi huic debetur annus Æ. V. 901, & dies tertius Augusti, quo manè hora 35. penitus defecit luminare minus. Subtractis 901. à 1212. remanent denuo 311. Ex his igitur evidens fit annorum primum Epochæ Græcorum præcessisse annum primum Æ. V. christianorum annis trecentis undecim.

Jam verò hæc Epochâ *Dhilkarnaim* reducitur hac ratione ad Æram Mundi. Annus quintus Nabuchodon. ostensus est coincidisse cum anno Æ. M. 3380. fuisse remotum ab Æ. V. 621. à qua distat Æ. Seleucidarum 311. differentia recessus Epochæ utriusque ab Æ. V. continet annos 310. qui adjecti anno quinto Nabuchodonof. seu Æ. M. 3380. dant annum Æ. M. 3690. currente anno primo Æræ *Dhilkarnaim*. Ternis igitur sabbaticis anno Seleucidarum

	149
	177
	275
respondent anni Æ. M. 3838. 3866. 3964. iidemque Sabbatici ab	
Æ. V. Christi recedunt 163. 135. 37. annis. Additis invicem Æræ	
Mundi & recessus ab Æ. V. annis seu	3838. 3866. 3964.
&	163. 135. 37.
obtinetur ætas mundi ineunte Æ. V. 4001. 4001. 4001. q. e. d.	Ab-

Abstineo pluribus, quæ suppetent methodis firmandi ætatem mundi quater mille annorum usque ad *Æ. V.* à christiani nominis assensu communissimè receptam. Sufficere enim possunt hæc dicta, totumque negotium omnium optimè sola duce *S. Scriptura* perficitur. Hanc pressè secutus sum ubique, una exceptà lunæ eclipsi celebratâ anno quinto Nabopallassari, seu Nabuchodonosoris magni, qui ipse annus ex *SS. Pagine* mundanæ epochæ fuit aptatus. Deliquium autem istud lunare Babylone esse observatum Scriptores vetustissimi testantur, ut adedò humanam fidem, eamque firmissimam mereantur, ut quid enim illi in re ad oculum patente decipere velent posteros, vel ipsi possent decipi? Chronotaxis hæc ab origine rerum conditarum ad annum, quo exeunte vulgò signantur Natales Domini sua etiam numeri rotundi 4000. simplicitate præplacere debet aliis non multùm inde per defectum, vel excessum abludentibus. Quater mille enim circiter annos ex *Vulgata* colligunt omnes, qui inde seu ab orbe condito usque ad ejusdem reparationem per Servatoris in has terras ingressum, suas texuere chronologias.

Adjungo dictorum Anacephalæosin, ut uno velut intuitu per sex gradus deducta mundi ætas quater mille annorum à sua genesi usque ad Christi natales, seu vulgarem æram christianorum pateat.

A conditu rerum ad diluvium fluxere anni completi ostensum id capite I.	1656
A diluvio usque ad exitum filiorum Israel ex Ægypto seu ad promulgationem legis lapsi sunt anni (cap. II.)	797
A promulgata lege ad Templi Salomonici ceptam structuram (cap. III.) annorum periodus evoluta	520
A condito templo usque ad desolationem ejus (cap. IV.) intersunt anni	421
A desolatione templi usque ad ejusdem instaurationem secundo anno Cyri factam (cap. V.) transiere anni	71
Denique ab eo Cyri anno seu restauratione templi usque ad Æram Vulg. Christi (cap. VI. & VIII.) completus est cyclus annorum.	535
Ergo summa totius ætatis mundi à sui origine usque ad humani generis reparationem seu <i>Æ. V. Christi</i> , quæ mundi ætas erat ostendenda.	4000.

SE-

SECTIO SECVNDA

DE

ÆRA INSTAURATI PER
MORTEM SERVATORIS
TERRARUM ORBIS.

ANte Epocham obitus Christi videbatur constituenda ejus natalium æra, annis triginta tribus, & aliquot mensibus juxta communem fidelium persuasionem illâ prior. Sed cum alii quoque, atque ii non obscuri nominis Auctores in suis chronologiis ordinem hunc tenuerint, mihi etiam licere arbitratus sum eadem ratione definire mundi, per natales & Christi mortem restaurati veras epochas. Nempe pro Passionis Dominicæ anno plures, & liquidiores suppetunt temporum characteres, quam pro illigandis Æræ cuiusdam ejus natalibus. Estque major in ista Auctorum in diversa abeuntium discrepantia, quam in illa chronologica quæstione. Accedit quod stabilito semel validis fundamentis salvificæ mortis tempore, si totius vitæ in his terris à Duce nostro transactæ periodus unanimi penè scriptorum calculo triginta vel expletis, vel inceptis annis definienda ritè ostendatur, facilè inde & tutò ad Nativitatis Dominicæ Epocham liceat devenire.

Præsenti itaque Sectione per aliquot capita ad ostendendum annum, mensē ac diem, quo pro generis humani redemptione mori dignatus est Dei Filius, viam aptè sternam, geminis instructus characteristicis, feriæ videlicet sextæ à quatuor Evangelistis liquidissimò assertæ, adeoque fide divina certæ, & lunæ, in Salvatoris obitu plenæ, fidei, ni fallor proximæ, cum iidem Hagiographi testentur, fuisse tunc Pascha Judæorum, aut potius diem Azymorum, qui lunâ decima quinta, seu plena in veteri lege populo Hebraico sollemnissimè celebrari præceptus est, asserantque Patres, & antiquissimi Authores Ecclesiastici, Dominum in crucis ara pro nobis immolatum sideris orbe

Orbe pleno lumine fulgente. Hos duos tam manifestos chronologiae characteres minus attentè arbitrati chronologi non pauci, mirum, in quantas lapsi sine hallucinationes, adeò, ut necessaria consecutione in ipsorum lucubratis sequatur, Christum pro nobis passum & mortuum esse eo anno & mensis die, cui nec feria sexta Evangelica fide certa, nec Plenilunium congruere poterat.

Alii cum cernerent, se anno & die Christi morte signatis minime incurfuros in feriam VI. contra rectè sentientium opinionem ausi sunt convellere institutum à Julio Cæsare calendarium, quasi id præpostera intercalatione vitium tulisset unius diei, etiam post restitutionem Octaviani Augusti, qui mystarum ignorantia Juliano Calendario impactam labem plene detulerat, iste verò subin dies jussu Nicænæ Synodo fuerit elisus. Commentum ridiculi, ut loquitur Petavius, & contra torrentem chronographorum gratis asserti everfioni operæ pretium duxi caput unum dicare, antequam ex antè dictis binis chronica scientiæ notis Passionis Dominicæ Epocham capitibus reliquis liquidò deducam.

CAPUT I.

Ostenditur anni à Julio Cæsare instituti formam post Augusti reformationem nil fuisse immutatam. Servatore in his terris degente.

Cum, ut dictum nuperrimè, investigandis anno, mense, ac die Passionis Dominicæ duæ è SS. Paginis notæ suppetant, nempe hebdomadis feria sexta, quam Evangelistæ paralcevem seu pervigilium sabbati nuncupant Matth. XXVII. 62. Marci XV. 42. Lucæ XXIII. 54. Joan XIX. 31. & Pascha Judæorum itidem claris verbis in Scriptura assertum, ut certi quidpiam inde pro controversia præsentis colligi queat, dubium omne prius abstergendum, quòd nec unica dies vel exempta vel inserta fuerit Calendario Juliano post elisum popparum ab Augusto errorem saltem primo novæ calendarii. Romani institutionis saculo à Julio Cæsare susceptæ, ac soligenis insignis

G

Mathe-

Mathematici operâ perfectâ. Secus enim facta ejusmodi extra ordinem & præter institutorum placitum unius vel plurium dierum intercalatione, iis quæ de obitu Servatoris controversi solent annis, ex feria nota nil certi de die mensis, in quem mors ea incidit, statuere liceret.

Porrò dubium illud teste Petavio chronotaxibus suis in hac passî Christi epochâ consulturi movère Paulus Forosempronienſis, & Joannes Mariana asserentes, Calendarii Juliani ferias loco motas anno æræ Christiadum, quæ vulgaris dicitur, decimo tertio, præpostera rursus intercalandi unius præter ordinem & præscriptum diei ratione à mystis ethnicis Augusto senio jam & morbis penè confecto tentata. Cùm enim prima labeſ ab illis commissa contra Julii Cæs. placita, cer amplius ac oportebat incitè intercalando, postliminiò expuncta esset Augusti jussu, fingunt citati auctores, anno decimo tertio Æ. V. diem unum bissextum intrusum, qui anno illius æræ decimo sexto primum debebatur. Inde unitate auctas in Calendario Juliano ferias usque ad Concilii Nicæni tempora, quod assumpto in Ecclesiæ quoque usus eo calendario exesse jussit bissextilem illum ultra tria sæcula jam redundantem. Ita quidem hariolantur citati scriptores, validis ideirco rationibus à Petavio & aliis impetiti, quibus addo arietem omnium Astronomorum confessione validissimum, Tabulas Uranicas, & & cyclicè putandi methodum.

Anno primo Juliano seu ab Æ. V. capedine 45. annorum disſito confecta est, & in Romano orbe recepta calendarii reformatio. Ita, ut demonstrat Doctiff. Petavius l. 4. c. 2. censent ac etiam censere debent chronologi omnes (non dissentientibus iis, qui exoticam intercalationem comminisci nil pensi habuère) estque certum teste eodem Petavio in calendas januaras ejus primi anni Juliani incurrisse Romæ novilunium. Qua de causa numerus aureus I. Neomeniarum index eidem diei apponi jussus. Similiter calendis mensis Augusti Claudii Imperatoris anno quinto commissum est novilunium alterum & quidem eclipticum, relatum à Dione l. 50. & aliis, Petavii asſerto l. c. Iste annus V. Claudii unanimi Chronographorum assensu, & ex certa scientia Tabb. astronom. fuit Æ. V. 45. & 90. ab instituto per Julium Cæsarem calendario. En calculum utriusque neomeniæ ex tabulis motuum cœlestium Philippi Hirii depromptum.

Radices locorum mediorum utriusque luminaris ad annum primum
 Æræ vulgaris ineuntem die 1. Jan. in ipso meridie Parisiis
 Solis.

9. S. 8. G. 43. M. 48. S. - 2. S. 9. G. 5. M. 2. S.
 Apogæi ejus.

4. S. 15. G. 18. M. 9. S. - 9. S. 11. G. 4. M. 38. S.
 Apogæi illius.

His subtrahantur motus, annis quadraginta quinque completis
 debiti. A calendis enim Januarii anni Juliani primi usque ad ca-
 lendas Januarii anni primi Æ. V. Christi seu Juliani 46. sobriorum
 omnium confessione, fluxere illi 45. anni, quos inter bissexti duo-
 decim, annus videlicet Julianus primus, ac quadragesimus quintus,
 Æ. V. immediatè præcedens, & relinquetur locus medius lumina-
 rium atque apogæorum anno primo Juliano ineunte, seu in meridie
 diei 1. Januar. Lutetiæ Parisiorum.

Motus respondens annis 45. quos inter bissextilis 12.

0. 1. 4. 58. -- 0. 0. 46. 8. -- 7. 10. 24. 26. -- 1. 1. 14. 25.

9. 7. 38. 50. -- 2. 8. 18. 54. -- 9. 4. 53. 43. -- 8. 9. 50. 13.

Demptis mediæ siderum longitudini apogæis resultant, anoma-
 lia solis 6. 29. 19. 58. cui debetur æquatio additiva 58. minuto-
 rum, 0. secund. & anomalia lunæ 0. 25. 3. 30. cui respondet æquatio
 subtractiva 2. grad. 2. min. 30. sec. Hæ prostaphareses seu locorum
 mediorum æquationes contrariâ, ut patet, ratione astrorum mediis
 longitudinibus adhibendæ, simul addantur & summa constabitur 3.
 grad. 0. min. 30. secund. Dematur subin

Longitudini mediæ solis - 9. 7. 38. 50.

Longitudo mediæ lunæ - 9. 4. 53. 43.

residuo - - - - 2. 45. 7. addito priori summæ ex ambabus
 æquationibus obtentæ - - 3. 0. 30. habebitur summa alia, seu distan-
 tia à Novilunio - - - 5. 45. 37. huic attenda progressionem ho-
 raria luminarium in eo apogæi situ existentium, Phæbi quidem 2.
 min. 30. secund. at Phæbæ 30. minut. proximè, congruunt horæ duo-
 decim, minuta 34. Novilunium proin verum eo tempore Lutetiæ Pa-
 risiorum contigisset, seu dimidia horâ post mediam noctem, sed Ro-
 mæ horariis circiter quadraginta observatorio Regio Parisiensis ori-
 entalis ferè quadrante post horam primam à media nocte.

Proerueno Novilunio altero radicibus ad Æ. V. stabilitis.

Solis 7. 8. 43. 48. ap. 29. 5. 2. Lunæ 4. 15. 18. 9. apog. 9. 11. 4. 38.
addantur 6. 29. 17. 36. - - . 44. 42. - 11. 21. 14. 32. - - 0. 14. 5. 0.

motus videlicet medii annis 44. completis, in quibus II. bissexti, & Julio communi expleto respondentes, & constabunt longitudines mediæ Planetarum nec non apogæorum in meridie calendarum mensis Augusti anno quinto Claudi Æ. V. 45. Juliano verò currente nonagesimo, quo tempore seu die visa eclipsis

Solis nempe 4. 8. 1. 24. - 2. 9. 49. 44. - 4. 6. 32. 41. - 9. 25. 9. 38. adhibitis subjunctè prosta phæresib, evadet locus verus Solis 4. 6. 24. 24. locus verus lunæ 4. 7. 30. 56. differentia autem --- 1. 6. 32. qua prior planeta à posteriore jam excedebatur attentis utriusque motibus veris 2. min. 25. sec. & 38. 5. respondent 1. hor. 52. minuta, adeoque novilunium verum factum est Lutetiæ hora decimamartina calendarum mensis Augusti minuto octavo, at Romæ 48. min. post decimam.

Porro tabulæ Hirianæ ita sunt compilatæ, ut ab anno primo Juliano usque ad Æ. V. Christi ineuntem bissexti duodecim, ab anno verò Æ. V. primo ad 45. seu Julianum 90. bissexti undecim intercurrerint, prout suppositi in calculo antè exhibitio, & ex institutione Calendarii Juliani erat supponendum. In eo siquidem annus primus debebat esse bissextus (ut evidenter liquet retrogrediendo ab anno Juliano 45. immediatè præcedente Æ. V. & manifestè bissexto, cum tales fuerint annus 4. 8. 12. 16. &c. eandem Christi Æ. V. consequentes) cum ergo ope tabularum Astronom. in ambo novilunia deveniatur anni primi & nonagesimi Juliani calendis Januarii & Augusti celebrata, Romæque observata, liquidò patet, fictitium esse Forosempronienfis, & Marianæ diem à mystis, ut ipsi dicunt, crasso errore intrusum, de qua tamen audacia, vivente adhuc, nec tam enervi Augusti, quin eam valeret reprimere, neque apparet, quomodo vel somnariæ potuerint gentiles illi sacrificuli, quibus incumberat tempora & ferias Romani Calendarii annuatim digerere.

Computus cyclivus quodammodo, & fors simplicior ad prædictorum authorum ostendendam hallucinationem est sequens. Ab anno Julii Caf. 1. ad 90. lapsi anni integri 89. à calendis Januarii ad Augusti diem primam soles 272. annis, ut paul ante ostensum, inter eam

tem.

temporis periodum evolutis inserti sunt dies intercalares viginti & tres. Dies 365, quantitas videlicet anni communis, per 89 multiplicari, reddunt summam 32485. adjectis 212. diebus mensium residuis ac præterea 23. intercalaribus constantur dies ab una in alteram neomeniam transacti 32720. seu horæ 785280, minuta prima 47116800. secunda 2827008000, seu bis mille octingenti viginti septem milliones, & octomillia. Dividatur postrema hæc summa per unam lunationem mediam dierum 29, horarum 12, primorum 44, secundorum 3, seu omnibus ad postreimas minutias reductis dividantur 2827008000, per 2551443, exhibebuntur in quoto Neomeniæ 1108. à primo anno Juliano ineunte ad calendas Augusti anni Juliani 90. celebratæ. Igitur intra id temporis intervallum nullus calendario præterea intrusus dies, aliàs neomenia ultima & ecliptica, seu millesima centesima octava non in ipsas calendas Augusti, sed in diem trigésimum primum Julii incurrere debuisset, nisi insuper fingas, diem præposterè insertum post institutionem & reformationem Calendarii Romani, antequam calendæ Augusti anni Juliani nonagesimi ingruerent, rursùm fuisse exemptum, prout jussu Imperatoris Octaviani postliminò devorati sunt illi tres dies, quos intercalationis vitiosæ festinatio Julianis fastis intruserat, ut nuper insinuatum. Sed à quo & quando dies ille elisus? Certè si Marianam audimus, dies iste inscitius primùm Concilii Nicæni ævo fuit absumptus, quod figmenti genus, si èt etiam sibi constaret, nullatenus elideret calculi utriusque prius ad mensuram evidentiam, cum utique dies duntaxat sæculo quarto Christi, quo sacra Synodus Nicæna sub Constantino Magno celebrata, è calendario Juliano elisa in censum venire nequeat illarum dierum, qui à calendis Januariis anni primi Juliani usque ad calendas Augusti anni Jul. nonagesimi effluxère, ut per se est manifestum. Ex quibus denique ostensum fit, quod intendebam, nil fuisse formam calendarii sæpe dicti immutatam ab illa, quam Cæsar Julius instituit, & nepos ejus Augustus, deformatam sacrificulorum vitio, iterùm réformavit ad Cæsar placita, saltem illa octuaginta annorum periodo, intra quam certissimò concludi debet Redemptoris nostri in his terris commoratio.

Lubet hic adnectere dispositionem *bissextilium* in Calendario Romano, qualis currere debebat ex ordinatione institutoris seu Julii Cæsaris, uti & qualem popparum vel ignorantia vel malitia inter innumeras Romani Imperii turbas initio statim præposterè digessit, unacum correctione ab Octaviano Augusto subin imperata, additis cycli solaris numeris, uti & litteris Dominicalibus anno, cuius respondentibus. Tabella prior formam à Julio Cæs. præscriptam, posterior deformatam à mystis exhibet usque ad asteriscum *, post quem locum habuit reformatio ab Augusto inducta, donec omnia rursus ad primævæ institutionis legem & nitorem absterfis labibus redirent.



TABU.

Tabula prior

Tabula posterior.

Anni	Jul.	Cycl. solis	Lit. Dom.	An. Jul.	Cycl. sol.	Litt. Dom.
Biff. 1.	XXI.	C. B.		Biff. 1.	XXI.	C. B.
2.	XXII.	A.		2.	XXII.	A.
3.	XXIII.	G.		3.	XXIII.	G.
4.	XXIV.	F.		Biff. 4.	XXIV.	F. E.
B. 5.	XXV.	E. D.		5.	XXV.	D.
6.	XXVI.	C.		6.	XXVI.	C.
7.	XXVII.	B.		B. 7.	XXVII.	B. A.
8.	XXVIII.	A.		8.	XXVIII.	G.
B. 9.	I.	G. F.		9.	I.	F.
10.	II.	E.		B. 10.	II.	E. D.
11.	III.	D.		11.	III.	C.
12.	IV.	C.		12.	IV.	B.
B. 13.	V.	B. A.		B. 13.	V.	A. G.
14.	VI.	G.		14.	VI.	F.
15.	VII.	F.		15.	VII.	E.
16.	VIII.	E.		B. 16.	VIII.	D. C.
B. 17.	IX.	D. C.		17.	IX.	B.
18.	X.	B.		18.	X.	A.
19.	XI.	A.		B. 19.	XI.	G. F.
20.	XII.	G.		20.	XII.	E.
B. 21.	XIII.	F. E.		21.	XIII.	D.
22.	XIV.	D.		B. 22.	XIV.	C. B.
23.	XV.	C.		23.	XV.	A.
24.	XVI.	B.		24.	XVI.	G.
B. 25.	XVII.	A. G.		B. 25.	XVII.	F. E.
26.	XVIII.	F.		26.	XVIII.	D.
27.	XIX.	E.		27.	XIX.	C.
28.	XX.	D.		B. 28.	XX.	B. A.

Ta-

Tabula prior

Tabula posterior.

Anni	Jul.	Cycl. solis	Lit. Dom.	An. Jul.	Cycl. sol.	Lit. Dom.
B. 29.		XXI.	C. B.	29.	XXI.	G.
30.		XXII.	A.	30.	XXII.	F.
31.		XXIII.	G.	B. 31.	XXIII.	E. D.
32.		XXIV.	F.	32.	XXIV.	C.
B. 33.		XXV.	E. D.	33.	XXV.	B.
34.		XXVI.	C.	B. 34.	XXVI.	A. G.
35.		XXVII.	B.	35.	XXVII.	F.
36.		XXVIII.	A.	36.	XXVIII.	E.
B. 37.		I.	G. F.	B. 37.	I.	D. C.
38.		II.	E.	38.	II.	B.
39.		III.	D.	39.	III.	A.
40.		IV.	C.	* 40.	IV.	G.
B. 41.		V.	B. A.	41.	V.	F.
42.		VI.	G.	42.	VI.	E.
43.		VII.	F.	43.	VII.	D.
44.		VIII.	E.	44.	VIII.	C.
B. 45.		IX.	D. C.	45.	IX.	B.
46.		X.	B.	46.	X.	A.
47.		XI.	A.	47.	XI.	G.
48.		XII.	G.	48.	XII.	F.
B. 49.		XIII.	F. E.	49.	XIII.	E.
50.		XIV.	D.	50.	XIV.	D.
51.		XV.	C.	51.	XV.	C.
52.		XVI.	B.	52.	XVI.	B.
B. 53.		XVII.	A. G.	B. 53.	XVII.	A. G.



CAPUT II.

*Ostenduntur termini annorum, quibus Epochæ
Passionis, & Mortis Dominicæ illigari ad-
huc potest.*

Qui reparati per Filii Dei cruentam necem orbis primordiis certo anno includendis studium suum contulere Auctores Chronologi, D. Lucæ testimonium plerique usurpârunt de mundi restauratore, cum ad baptismales Jordanis undas se contulit cap. III. 23. ita scribentis: *Et ipse JESUS erat incipiens quasi annorum triginta.* Sed cum sacer Historiographus annum ætatis Christi trigésimum velut hæsidabundus cum particula *quasi* apposuerit, inde orta varietas opinionum, his tricesimum expletum, aliis necdum inchoatum à Servatore contendentibus, discrimine quidem, ut patet modico, quo tamen stante annus salvificæ mortis Domini, certò definiri nequeat. Dissidium majus se offert, quoto æra cujuspiam notæ anno adstringi debeat Christi Baptismus. Licet enim Hagiographus scribat, anno decimo quinto Imperii Tiberii prodisse Joannem, ut baptismum pœnitentiæ prædicaret, nescimus tamen, quantum temporis inter initium prædicationis Joannis, ac ipsum JESU Baptisma intercesserit. Deinde quis hariolari valeat, an Evangelicus Scriptor annorum Tiberii primordia à mense Augusto, quò è vivis sublato Octaviano Tiberius in Imperio successit, an ab antecedente per semestre circiter Hebraico mense Nisan, qui populo Israelitico sacri erat anni caput, in textu allato inchoarit? Præcipue verò dubium est, infra fusiùs discutiendum, an Evangelista regimen Tiberii ab obitu Augusti Cæs. an verò ab eo tempore computarit, quo in Collegam Imperii ipse Tiberius assumptus est. Neque etiam satis constat, num à Baptismate recepto quatuor vel tria solum paschata exegerit Dominus. Elidunt dubia hæc illorum confidentiam, qui ex unico Lucæ allegato loco definiri satis posse censent annum obitæ pro genere humano Christi mortis. Servit tamen vadimonium illud, ut certis limitibus iste annus constringatur, quos nemo prudens Chronologus prætereat.

H

Nempe

Nempe fixum habemus anno decimo quarto Æ. V. mense Augusto vivis sublatum Augustum. Fatum enim istud subsecuta Lunæ syncope à Tacito l. 1. Annal. & Dione l. 57. relata liquidò probat. Anno siquidem Juliano 59. seu Æ. V. 14. die 27. septembris illud plenilunium eclipticum incidit, quo citatorum scriptorum relatione altero ab Augusti obitu mense seditionem jam spectantes in Panonia Romanæ legiones vehementer territæ ad officium redière. Tiberius porrò omnium Historicorum consensu illicò Prædecessori Augusto in Imperio est successus. Ponamus itaque, quod infra discutietur, annum Tiberii decimum quintum à S. Luca fuisse derivatum ab ejus imperii primordio, quo solus rerum potiebatur Tiberius, congruet decimus quintus is annus vigesimo nono vel trigésimo Æ. V. si ergo quatuor à recepto Baptismate Paschata supervixit Dominus, mortis ejus terminus ultimus erit Æ. V. annus trigésimus quartus, vel si cum singulari unius, aut alterius opinione contra adversariorum torrentem censeas ex S. Joannis Evangelio colligi posse quinque Paschata à Baptismo ad obitum Servatoris, annum trigésimum quintum, imò & trigés. sextum ex abundantia dabimus postremo huic termino.

Primus autem seu citimus terminus figetur, si annus decimus quintus imperii Tiberii non à morte Augusti, sed ab illo in consortium Imperii assumpto fuerit computatus. Triennium circiter, ut ex dicendis patebit, unum Tiberianum imperii exordium ab altero distat. Igitur decimus quintus Tiberii ab hac altera æra deductus esse potuit $\text{Æræ Christianæ communis}$ vigésimus quintus vel sextus. Quod si Christus à baptismali latice tria solùm Paschata celebravit, annus Æ. V. vigésimus octavus velut primus statuendus erit mortis ejus terminus.

Exigamus ergo veluti ad lydium lapidem annos hisce clausis limitibus ad tabulas Astronomicas, cyclòsque Calendarii Juliani, & dispiciamus, quisnam annorum inter vigésimum octavum & trigésimum sextum Æ. V. ambos characteres sibi vindicet, fidei Evangelicæ unus feriæ videlicet vi. qua Redemptor cruci suffixus, alter fidei ni fallor, proximus scilicet Plenilunii, unanimiter à Patribus & Scriptoribus aliis assertus, imò à lege veteri præceptus in paschate observari, cum mensis primi, utique apud Judæos lunaris, die decima quarta agnus paschalis jubebatur comedi, qua lege cibus in legali

galibus plenè observata, ut canit Ecclesia nostra, Christus innocen-
tissimus Agnus pro peccatis nostris immolandum se dedit.

Neque hic audiendi, qui dicunt præceptum in veteri lege da-
tum de agendo Paschate non lunam, sed diem decimam quartam
mensis primi respexisse, cum sacri, qui in eam rem afferri queant
textus non de ipsa luna, sed de mensis *Nisan* diebus sermonem in-
sistant, non inquam audiendi, quia ex una quidem parte certissi-
mum est, & Philonis ac Josephi Hebræi testimoniis liquidum, annum
apud Judæos è mensibus lunaribus fuisse constitutum, insertis suo
tempore Empolisimis ut solari annus lunaris aptè congrueret. Hinc
mensis primus *Nisan* sacri seu Ecclesiastici anni caput à novilunio ju-
giter inibat, vel astronomice aut cyclicè computato, vel ex ipsa lunæ
inspectione ritè definito. Ex parte verò altera notus est canon
Nicænæ synodi agi jubens Christianorum pascha die Dominico men-
sis primi lunam *decimam quartam* in sequente, idque idè, ne si ipsa
luna decima quarta Christicolæ hoc festum celebrarent, perfidos
Judæos Ducis sui crucifixores imitari viderentur: ergo æcumeni-
ca illa synodus primis Ecclesiæ à Christo recens institutæ tempo-
ribus habita supposuit phase Hebræorum jugiter actum *Lunã XIV.*
adèque idem esse celebrare Pascha die XIV. mensis *Nisan*, uti ex-
pressè vetus, instrumentum jusserat, & id celebrare ipsã *Lunã XIV.*
certè rituum Judaicorum peritissimus Josephus I 3. orig. c. 10 ita
scripsit: *Mense verò Xanthico, qui apud nos est Nisan, & anni ca-
pit est, Lunã XIV sole in Arietem ingresso phase agitur.* Philo
verò L. de vita Moysis idem refert his verbis: *Hoc ipso mense (Nisan)
circa decimam quartam diem, cum plenus jam orbis luna futurus
est, paschatis solempne celebratur.*

Accedit mirabilis solis eclipsis in morte Christi visa. Eam lu-
nã plenã contigisse satis docet scripta ad Polycarpum Epistola S. Dio-
nyfii Areopagitæ, qui parentosam Phæbi catastrophem Heliopoli A-
pollophane astronomo socio observârat. *Cernebamus, inquit, quan-
do luna ex improvise incidit, neque enim conjunctionis tempus erat,
rursusque quando eadem luna horã nonã ad vesperam se media solis
linea præter natura ordinem opponebat.* Horã ergo nonã vesperti-
nã Cynthia, ut à Phæbo per tres horas mirabiliter obtecto recessit,
mediæ se solis lineæ opposuit, seu illo constituit loco, qui dia-
metraliter luminari majori erat obversus, & plenilunium inducit.
Id ipsum alibi confirmat Areopagita Epist. 11. ad ipsum Apollophan.

Offusi tenebris ipsi eramus, orbem solis undequaque, & ex aquo occupante caligine. Et postquam repurgatio, restitutioque facta est, auna ad solis diametrum conversa aufugit. Ita ille. Luna autem eisd. solis diametrum conversa est luna soli opposita, seu in plenilunio sita. De hoc plura dabit Ricciol. Almagesti l. 5. c. 18

Id quoque minus verosimile, quod alii asseruere, Judæos in putandis sæculo primo Christi paschatis suis usos cyclis admodum vitiosis, ac dies etiam plures à coelo abludentibus. Adhibitas enim ab iis esse methodos luminarium motibus parùm difformes satis probant bina ipsorum paschata à Flavio Josepho relata. Primum actum die 14. Nisam anno Æ. V. Christi LXX. quo à Tito capta Jerosolyma. Alterum ejusdem Epochæ anno LXV. quo idem author. l. V. Alol. c. 890. prodigia referens Judaicum bellum præcurrentia hæc scribit: *Ante defectionem & bellicum apparatus, cum populus ad Azymorum solenne convenisset, erat autem dies octava circa horam noctis nonam &c.* Idemque teste Ricciolio Josephus refert l. 6. de bello Jud. c. 4. fuisse idem octavam mensis Xanthici, sicut alterum Pascha anni LXX. in ejusdem mensis diem XIV incurrisse scribit l. VII. c. 12. Facta ex Hiranis tab. supputatione plenilunium medium Aprilis anni Æ. V. LXX. Jerosolymis factum est die XIV. hor. 9. vespertina. Anno verò LXV. luna plena quoad motus planetarum medios pro eodem meridano Jerosolym. eruitur die April. 9. hor. 10. matutina. Patet igitur in paschate priorè à Judæis anno LXX. Æ. V. celebrato omnimoda cum Astronomicis ratiociniis conformitas. In posteriore verò anni LXV. uno tantum die Hebraica methodus à tabulis sidereis elongatur, & fors illa dies octava, quando populus confluisse dicitur ad solennitatem paschalem necdum erat deputata ipsi Paschati sed dies nona postridie infecuta.

Denique venerabilis Beda cap. 4. de ratione tempor. extra dubium ponendum asseverat, lunam plenam diei obitûs Christi tribuendam his verbis: *Nam quod Dominus XV. lunâ, feriâ VI. crucem ascenderit, & una sabbatorum id est die Dominica resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare catholico.* Si nulli autem licet catholico dubitare de luna XV. seu plena, an character alter plenilunii saltem teste Beda non sit fidei proximus?

CAPUT III.

Ostenditur Astronomicè & Cyclicè, quinam inter Æ. V. annos à vigesimo octavo ad trigesimum sextum elapsi congruè Servatoris morti dari queant.

Calculus plenilunii medii Martii Æ. V. anno vigesimo octavo bissext. Radix Epact. anno primo ineunte Epochæ communis Christianorum è tab. Hirii hor. 12 merid. Luteriæ est dier. 17. hor. 18. 22. m. 14. 6.

Ep. pro annis completis 27.	€	27.	7.	30.	41.
pro Febr. bissext.	-	0.	22.	31.	54.
summa harum Epactarum		46	0	24	49
Pleniluniorum revolut. tres	-	73	19	50	8
Plenilun. med. Martii	-	27	19	25	19

Si ad tempus ab Epactis designatum ex iisdem tab. putentur longitud. mediæ luminarium, sex præcisè signis ab invicem distitisse comperietur. Addo hic paradigma, ut in cæteris quoque lunis plen. si lubuerit, rei periculum fieri queat.

Ineunte Æ. V. solis locus medius	9	8	43	48	Lunæ	4	15	18	9	
motus medius annorum 27.	11	29	28	1		11	2	25	58	
pro Februario	-	1	28	9	11	1	27	24	26	
pro diebus 28. ob bissext.	0	27	35	53		0	8	56	21	
pro horis 19.	-	-	46	49		0	10	25	53	
pro minutis 25. 19.	-	-	-	1	1				13	55
Longit. solis media	0	4	44	43		6	4	44	42	

Distat proin medii luminarium motus ab invicem signis sex, adeoque tempore per epactas elicito celebratum plenilunium medium. Ubi notandum, Hirii tabulas ita esse concinatas, ut diei per epactas invento jugiter addenda sit unitas. Fuit ergo plenilunii medii dies vigesima octava Martii hora 19. 25. 19. Astronomica numeratione, at politica dies vigesima nona h. 7. 25. 19. ante meridiem Luteriæ

H 3

tia

tiæ Paris. t. m. at Jerosolymis loco 2. horis 34. 32. orientaliore cl. 29.
9 h. 59. m. 51. f

Quò Cyclicè idem plenilun. definiatur in forma Calendarii Juliani veteris, seu primitus à Julio Cæs. instituti, sciendum, quod alias insinuavi, aureos numeros noviluniorum indices, teste Petavio ita fuisse per dies mensum digestos, ut primæ Januarii competeret num. aur. I. decemnovendialis cycli primus. Calendarium hoc Nicænae Synodi tempore ab Ecclesia assumptum quidem, non tamen citra aliquam correctionem. Cùm enim, ut conlat, ex reformatione Gregoriana intra 312. & sesqui annos Julianos novilunia sedes suas integram diem prævertant, & Patres Concilii scirent diei primæ Januarii aureo num. I. à Julio Cæs. signatæ non respondere amplius lunas in cœlis novas, sed has diem unam & 5. circiter horas anticipare, anno siquidem trecentesimo vigesimo quinto, quo ipsi Nicææ erant congregati corrente aureo num. I. Novilunium non in Calendas Januarias, sed in 3. Calend. Jan. incurrit, seu in diem 30. Decembris anni 324. Æ. V. hora circiter septima ante meridiem, idcirco eidem diei primæ anni Æ. V. 325. loco num. aur. I. substituere aur. n. III. reliquis numeris octodecim per anni dies methodo Juliana aptè distributis. Vi hujus emendationis factum, ut prædicto anno 325. congrueret aureus n. III. adeoque anno primæ Æ. V. II.

Hinc autem sequitur, obtineri aureum hunc num. noviluniorum indicem in calendario veteri Julii Cæs. facta anni Juliani dati per totum cyclum seu XIX. divisione, erit enim residuum divisionis num. aureus quæsitus, vel si nil super sit ipse decimus nonus N. aur. illi anno quadrabit. Cujus rei est liquida ratio, cùm, ut supra dictum primo anno Juliano assignatus sit Noviluniorum index num. aureus I. In calendario autem emendato quoad noviluniorum indices per Synodum Nicænam numeri aurei quovis Æ. V. anno habentur, si isti unitate adjecta rursus fiat per XIX. divisio, residuum namque operationis exhibebit petitum numerum aureum. Ratio iterum clara, quia ex ordinatione sacrosanctæ Synodi anno Æ. V. præcedenti debebatur num. aur. I.

Juxta ambo hæc Calendaria Julii Cæs. & Nicæni Concilii à Petavio & aliis exhibita, elici cyclicè plenilunia media paschalia annorum inter antè dictos limites inclusorum, ubi apparet multoties bidui discrimen, Juliano circa tempora obitus Salvatoris retardante,
Nicæ

Nicæno autem lunationes, uti reuera in cœlis contigerant juxta luminarium motus æquales, anticipante.

Anno Epochæ Christiadam vigesimo octavo respondebat No-
viluniorum index num. aureus XVI. in Calend. Jul. Cæs. qui deci-
mo sexto Martii ibidem erat appositus. Numeratis inde includen-
do ipsum eum diem solibus inter novam & plenam lunam interjectis
seu quindecim, devenitur ad trigessimam Martii plenilunio insignem.
Idem annus in Calendario Nicæno deposcebat aureum numer. X.
qui inscriptus decimæ quartæ Martii plenilunium ratione paulò an-
tè suggesta determinat die ejusdem mensis vigesimo octavo. Fe-
ria diebus plenilunii antè dictis innotescit, si cyclo solis illi Æ. V.
anno congruenti, videlicet IX. in profelide litterarum Dominicali-
um assignentur D. & C, geminatæ ob bissextilem, quarum priore u-
sus est ad denotandos Dominicos dies in Jan. & Febr. posteriore
per menses decem reliquos cum littera C. plenilunio astronomicè
die 29. invento Fer. II. cyclico juxta exigentiam Calend. Jul. die
30. occurrente fer. III. denique plenilunio ad leges Nicæni inve-
stigato die 28. Martii ipsa Dominica seu Fer. I. debetur. En synop-
sin calculorum è tabulis Philippi De la Hire & ex utriusque Calen-
darii cyclis depromptorum pro Meridiano Jerosolymit.

Anni Æ. V.	Plenil. Astron. medium t. m. d. h. m.	Cycli Lunæ		Plenil. Cyelica.		Cycl. Litt.		Feriæ Plenilunior.		
		C. Jul.	C. Nic.	C. Jul.	C. Nic.	Solis.	Dom.	Astr.	Jul.	Nicæn.
B. 28.	Mart. 29. 10. 0. V.	XVI.	X.	Mart. 30.	Mart. 28.	9.	D. C.	II.	III.	I.
29.	Mart. 18. 6. 48. V.	XVII.	XI.	Mart. 19.	Mart. 17.	10.	B.	VI.	Sabb.	V.
30.	April. 6. 4. 21. V.	XVIII.	XII.	April. 7.	April. 5.	11.	A.	V.	VI.	IV.
31.	Mart. 27. 1. 10. M.	XIX.	XIII.	Mart. 27.	Mart. 25.	12.	G.	III.	III.	I.
B. 32.	Apr. 13. 10. 42. V.	I.	XIV.	Apr. 14.	April. 12.	13.	F. E.	I.	II.	Sabb.
33.	Apr. 3. 6. 41. M.	II.	XV.	Apr. 3.	April. 2.	14.	D.	VI.	VI.	V.
34.	Mart. 23. 4. 20. V.	III.	XVI.	Mart. 23.	Mart. 22.	15.	C.	III.	III.	II.
35.	Apr. 11. 1. 50. V.	IV.	XVII.	April. 11.	April. 10.	16.	B.	II.	II.	I.
B. 36.	Mart. 30. 10. 40. V.	V.	XVIII.	Mart. 31.	Mart. 30.	17.	A. G.	VI.	Sabb.	VI.

Ex tabellæ inspectione liquet, Plenilunia Astronomica primi
mensis feriis sextis solum ter congruere, videlicet annis Æ. V. Chri-
sti 29. 33. & 36. Cyclica verò in Calendario Juliano bis, anno 30.
& 33. & in Nicæno tantum semel, anno videlicet 36. Characteres
itaque

itaque ambo Plenilunii & feriæ VI. hisce annis confluunt Epochæ Christianorum communis. 29 30. 33, 36. non item annis quinque reliquis, illi proin qui morti Servatoris deputantur apti, isti verò inepti erunt. Prærogativam autem istam anno æræ vigesimo nono potiùs, quàm tribus cæteris competere ex dicendis palam fiet.

CAPUT V.

Ostenditur annos Æræ V. 33. ac multò magis 36. non posse convenienter tribui Passioni Dominicæ, uti nec annum 30 licet characteres plenilunii paschalis & Fer. VI. iis non obstant.

Docet Evangelica fides, natales mundi Reparatoris fato Herodis esse tempore priores. Expressè siquidem Matthæi 11. 1. dicitur: *Cum ergo natus esset JESUS in Bethlehẽm Juda in diebus Herodis regis.* Id quoque vel de fide, vel fidei proximum, de quo infra, Redemptoris nostri vitam ad triginta tres annos, vel cœptos vel expletos esse extendendam, in hoc consentientes habeo omnes illos, qui post Abulensem facillè primum inter Scriptores assertorem, quòd non in Martio sed Aprili & quidem Æ. V. anno 33. mortem Christus oppetierit, id ipsum tenent, & receptissima fidelium persuasio ferè indubium id facit. Respondet porro Æ. V. annus trigessimus tertius Juliano septuagesimo octavo. detrahis itaque 77. jam evolutis, integris annis 33. Domini nativitas incidisset in finem anni Juliani quadragesimi quarti. Facillè autem ostendi valet Herodem tunc non amplius fuisse in vivis superstitem, ac propterea istum Æ. V. annum trigessimum tertium mortis Christi Epochæ minimè convenire. Ubi claret, id à fortiori sentiendum, de anno Æ. V. trigesimo sexto, & multò minùs inter viventes numerandum Herodem, si 32. duntaxat annos expletos vitæ Domini tribueris, hoc enim posito ejusdem natales anno Jul. 45, seu aram communem immediatè præcedenti essent consignandi, ante quod tempus tyrannus jam dudum fuerat ad inferos detrusus.

Herodis porrò fatum contigisse ante annum Julianum quadragesimum pluribus è Flavii Josephi historiæ locis fit manifestum.

Scrip:

Scriptis is de rebus Herodis magni, si quis alius cumulatissime, contendendoque illud, quidquid secus nonnulli senserint, Auctorem accuratum esse in Chronotaxi annorum regiminis Herodiani, sive dein in libris de rerum Judaicarum antiquit. hinc inde humanum quid passus sit, sive non. Et verò cum Scriptor ille Hebræus Herodi ferè extiterit contemporaneus, recentique hominum memoria hærerent tum anni regiminis, tum facta alia Idumæi Regis, hallucinationes in hisce scribendis non supponi, ut plerique faciunt, Josephum vel deceptum vel deceptorem fuisse rati, sed efficaciter probari debent, quod fors nullus hæcenus præstitit, sed de hoc ex instituto infra. Sufficiat hic adduxisse Eusebii encomium Flavio attributum l. 3. c. 9. ubi ita loquitur: *Hic Josephus non modo apud gentem suam, verum etiam apud Romanos Judaorum illius temporis facile præstantissimus habitus fuit: Ita ut tum statua honore in urbe Roma decoraretur, tum libri ab eo industriâ elaborati, confectique in Bibliotheca tanquam monumenta merito reponerentur. Hic verò rerum Judaicarum antiquitatem in viginti libros redegit. Historiam item de bello Judaico sua ipsius ætate administrato septem libris conscripsit. Quas res non græco solum sermone, sed patrio etiam se tradidisse suo ipsius confirmat testimonio. Cui quidem propter reliquas res verissime ab eo conscriptas etiam in hac causa fides jure debet haberi.* Ita Eusebius in laudem Josephi.

Antequam assumptum probem, breviter ex prælaudato Josepho admetior loca, quibus mentio fit de annis Herodiani regiminis, duplicisque Epochæ regni ejus. Primæ videlicet, quando regnum Judaicum à Romano Senatu adnitente præcipue Marco Antonio ipsi Herodi decretum, secundæ, qua ope Romanorum Antigonum æmulum devicit, ipsosque regni fasces victor suscepit.

Anno Juliano VI. Olympiadis 185. anno I. Cn. Domitio Calvino II & C. Asinio Pollione Coss. (qui 2mo anno sexto Juliano consularum obtinebant, ut legitur ex lapide Colotiano apud Gruterum) Herodes Antipatri filius Romam venit, & circa autumnum à Senatu Judææ Rex declaratur, Antigonus verò à Parthis Hircano substitutus hostis reipublicæ denuntiatur. Jos. l. XIV. c. 26. verbis his utitur: *Convocato senatu Herodes producit. Antonius senatum docuit, quod etiam ad parthicum bellum plurimum condiceret Herodem regnare, idque mox omnium suffragiis approbatum est, atque hoc pacto Herodes regium fastigium adeptus est C. Domitio Calvi.*

Calvino iterum, C. Domitio Pallione Coss. Hic proin sextus annus Julianus dici potest regni Herodi à Romanis decreti primus, vel differre id præstabit in annum sequentem, utpote anno eo sexto ad finem jam vergente, sicque certum habetur regni Herodiani Epochæ prioris exordium.

Idem Josephus l. XIV. c. 28. recenset, Jerosolymam captam ab Herode, victumque Antigonum à Sosio Romanorum Duce ad Antonium Antiochiam missum, ibique securi percussum fuisse, ut triennium & trimestre regnasset, & hæc subdit: *Clades Hierosolymorum incidit in Consulatum Agrippæ & Canidii Galli mense tertio, feriis, quibus solenne fit jejunium anno Sabbatico.* Annus hic Sabbaticus, juxta Chronologiæ peritos infallibilis temporum character, quartus erat à duobus Domitiis, quibus Coss. regnum Judaicum senatus consulto Herodi fuerat decretum, seu à prima Herodis regis Epochâ, sacræque urbis Alosi congruere indubium est, isque labatismus apertæ falsitatis Dionem convincit, capta Jerosolyma anno præcedente Claudio & Norbano Coss. asserentem. Hinc autem init altera regni Herodis Epochâ à sublato Antigono originem trahens, & à regni decreti anno, seu à prima Epochâ trienniò paulo plùs distans. Si istam proin illiges anno sexto Juliano ad finem vergenti, illa initium trahet ab anno Juliano nono, vel à decimo, si Æ. priorem ad Jul. 7. differas. Et harum Epocharum alterutri regiminis Herodici anni jugiter à Josepho tribuuntur, cum præclarum vel crudele facinus de Idumæo rege Judaicus ille scriptor recenset, quamvis non semper fiat explicita mentio, cuiusnam earum sit accendendus annus rei gestæ, cum ex aliis circumstantiis haud difficulter id ipsum colligi queat.

Sic quando Josephus l. XV. c. 6. & 7. Actiacam victoriam memorat, eamque contigisse ait anno Herodis regni septimo his verbis: *quo tempore, dum maximè apud Actium Antonius conflictatur cum Casare regni Herodis anno septimo, Judea terra quali nunquam antè motu concussa.* Ex illa victoria Actiaca juxta omnes Chronologos incidente in septembrem anni decimi quinti Juliani, & ex Olympiade 187 à Flavio adducta, licet ab illo ipse Olympiados annus non signetur, satis colligi datur, annum illum septimum Regni Herodis ab Æra posteriore, seu à detruso Antigono derivatum esse.

Epocham tertiam aliqui addunt regimini Herodiano deductam ab eo tempore, quo Cæsar devicto Antonio Herodem sibi in Rhodo occur-

occurrentem diademate rursus donavit, quod Idumæus Octaviani iram timens, quia Antonii fuerat partes secutus, sibi ipsi detraxerat. Sic enim Josephus de Herode loquens l. XV. c. 10. *Properavit Rhodum, ut illic Casari occurreret. Et cum hucusque Antonio adhaesisset, prater spem acceptum se vidit Casari, & ope ejus denuò confirmatum in regno, senatus quoque consulto per illum impetrato, deduxit eum in Ægypto.* Sed in Josepho nulpian legisse me scio, annos regiminis ab ista tertia Epocha quoad acta Herodis posteritari in illius Libris consignata, unquam fuisse desumptos. Id semper mihi accidit mirum, & etiam aliis videbitur, attentè lucubrata Flavii lecturis, quòd Eminētissimus Ecclesiasticorum annalium Scriptor Baronius nec non scriptores alii re fors ulterius non discussa ipsum secuti, ad tertiam illam revocarent Epocham annos regni Herodis aliquos à Josepho relatos, eum tamen iste l. XVII. c. 10. expressè dicat, mortuum esse Herodem, eum regnasset à sublato Antigono annos triginta quatuor, postquam verò à Romanis regnum obtinuit, triginta septem. Nunquid non ante Actiacam victoriam visis ereptus Antigonus? què ergo annis triginta septem ab ea palma computandis regnaret Herodes, si post Antigoni fata sceptrum annis duntaxat 34. rotavit? quid ergo manifestius, quàm annos illos regiminis Idumæi juxta Josephi Chronotaxim triginta septem, non ad illam Epocham referendos, quæ Augusti favore post actiacum prælium Rex Judææ confirmatus Herodes, sed ad illam æram primam, cujus primordiis adnitente M. Antonio Judaicum Regimen à Romano senatu adjudicatum sibi vidit?

Ex his autem facilè liquebit, Herodis mortem ante annum Jul. 44. contigisse, imò ostendisse sufficeret, ante annum 45. obitam à Tyranno, quò inutilis reddatur Æ. V. annus 33. Si enim exeunte anno 44. *in diebus Herodis* natus est Servator Mundi, illi profectò toto illo anno supervixisse debuit attentis iis quæ à rege illo sacræ paginæ post Messæ adventum facta memorant, eum Christus illo anno exeunte mundo sit natus.

Anno sexto Juliano exeunte Æra prior Herodis init decreti scilicet Judaici à Romanis ipsi regni: ergo eum ducto inde computu rexit annis triginta sex (Josepho enim referente anno trigésimo septimo illius æræ defunctus est) liquidò conficitur anno Juliano quadragesimo secundo fuisse visis ereptum.

Anno Juliano nono itidem ad finem vergente Epocha altera

post devictum Antigonum incipit: ergo eodem Josepho teste anno trigésimo quarto hujus Epochæ mortem oppetierit Herodes, additis anno Juliano nono triginta tribus aditi regni Judaici, mortuum debebis asserere anno Julian quadragesimo secundo.

Testatur Josephus l. XV. c. 7. annum actiæ victoriæ fuisse ab Herodis regno inito septimum, adeoque computandum ab Epochâ posteriore. Asserto omnium chronologorum actiæ pugnæ debetur annus Jul decimus quintus. Si itaque septem ab annis triginta quatuor regiminis computatis à secunda Æra detraxeris, manebunt viginti septem anni Herodis regni initi, quibus post victoriâ actiæ supervixit. Isti igitur anni junguntur Juliano decimo quinto, & rursus dabitur quadragesimus secundus, quo in vivis rex Idumæus esse desit.

Libro eodem c. 13. scribit Cæsarem venisse in Syriam, cum Herodi jam præterisset annus regni decimus septimus; subdit dein, attributam à Cæsare Herodi ditionem Zenodori, non tamen in eo septimo decimo regiminis anno distinguens epochæ speciem. Dionis l. 54. relatione habemus tetrarchiam Zenodori in Herodem translataam Coss. Apulejo & Silio, seu anno urbis septingent. trigésimo quarto, Juliano vigésimo sexto. Si illos Herodiani regiminis annos ad posteriorem ejus Æram referas, subtractis annis triginta tribus restabunt ab ea tetrachia recepta sexdecim anni. Hi juncti anno urbeo 734. vel Juliano 26, dabunt V. annum 750, Julianum 42 Herodis fato tribuendum.

Ex l. II. belli Judaici c. 3. ejusdem Flavii, uti & ex l. 2. Vellei & 55. Dionis colligitur, Augusti è filia nepotem Cajum fuisse præsentem liti, quam Archelao fratri causâ successione paternæ intenteravit Antipus alter Herodis filius. Si ergo Herodiana mors anno Juliano 45. consignari deberet, Cajus judicio illi haud potuit interfuisse, quippe ab Augusto in Orientem jam missus ex communissima chronologorum, extatque referente Antonio Pagio in Crisi ad annales Baronii Pisis cenotaphium Cain, in quo hæc leguntur: *Post. consulum. Quem. Ultra. Finis. Extremas. Populi Rom. Bellum. gerens. feliciter. peregerat.* Ergo anno sui Coss. qui indubiè in Æ. V. primum & Julianum 46. incidit, Cajus Româ abfuit: ergo anno 45, multò minus 46, non potuit illi concilio, quod in causa Archelai Romæ actum, præsens fuisse, nisi fingas, quòd Cajus ex Oriente iterum in urbem redierit anno Jul. 44. & inde Provincias Orientales repetierit

rit anno 46, quod figmentum nescio, an vel somniarit Historicorum ullus.

Denique, ut alia præteream præsertim lunæ eclipsin teste Josepho Jerosolymis visam nocte illa, qua jussu Herodis flammis exusti quidam Rabbinæ, quia consilium dederant confringendæ aquilæ aureæ supra Templi Jerosolymitani limen in Augusti honorem appensa, & post quem lunæ defectum ipse Tyrannus defecit ejusdem Josephi vadimonio. Longè enim alium Eclipsis illa annum designat, quàm Herodis interitus in opinione adversariorum habere queat, ut alia inquam præteream, ex sola relegatione Archelai claret, Herodis fatum supremum annos 44. vel 45. Julian. prævertisse. Ista etenim relegatio à Josepho facta dicitur anno decimo ineunte præfecturæ, seu Tetrachiæ Archelai. Dio autem l. 15. illam signat Coss. M. Æmilio Lepido, & L. Aruntio anno videlicet quinquages. primo Juliano. Eruditissimus Schelstrate Tom. I. antiquitat. Ecclesiæ Dionem citat. l. 88. ita scribentem: *Ad annum Coss. Lepid. & L. Aruntii, Herodes Palæstinus (Archelaum indicat Herodis filium) trans alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Si anno 51. completos 9. Archelai terachiæ detrahas, sortieris iterum annum Julian 42. Herodianis inferiis celebrem.

Puto ex his abundè liquere, annum trigesimum tertium Æ. V. Redemptoris morti non posse competere, nisi evertatur communis illa fidelium persuasio, & apud chronologos etiam pro eo 33. anno stantes, recepta opinio, Servatoris vitam in his terris ad annos 33. vel captos vel expletos esse extendendam.

Discutiamus jam annum quoque Christi ad Æ. V. trigesimum, in quo saltem cyclicè ex calendario Julii Cæs. habetur concursus lunæ plenæ cum Fer. VI. Et quidem obitum Herodianum anno Julian. 42. tribuendum non obstare, quo minùs trigesimus iste annus Æræ passionis Dominicæ congruat, hinc deducitur, quòd ille fuerit septuagesimus quintus Julianus. Si itaque huic fluenti subducas 33. vitæ Christi annos expletos, in Christi natalium annum 41. Julian. exeuntem incurres, adèdque Herodis mortem anno Jul. 42. oppetitam Servatoris nativitas, uti fide certum est, in hac sententia adhuc præverteret. Secùs verò fieret, si tantùm 33. annos inceptos vitæ Redemptor attigit. Sed trigesimus hic Æ. V. annus ex aliis captibus displicet, quin Dominicæ mortis prærogativa ei conveniat. Nam præ-

præter afferenda pro anno 29. ejusdem Æræ Christiadum, in quo etiam astronomici plenilunii, & feriæ manifestus est confluxus, obest

1. Maxima antiquorum Scriptorum, uti & Patrum ac Recentiorum auctoritas non Aprili sed Martio ferè unanimi calculo Christi necem consignantium. Accedunt Martyrologia plurima, & penè universalis fidelium persuasio, ut infra docebitur.

2. Suprà Cap. II. hujus sectionis ostensum, à S. Dionisio areopagita ea ipsa die, qua mirabilis celebrata est solis obscuratio, ut tenebræ factæ sint per trihorium, seu die obitus Redemptoris, sub vesperum horâ nona conspectam esse lunam orbe pleno refulgentem: ergo plenilunium eo die, quo obiit Dominus non tantùm cyclicè, sed etiam astronomicè contigit. Cùm itaque anno Æ. V. trigésimo tam medium, quàm verum plenilunium juxta tabulas in cœlis commissum sit non feria VI. sed V. annus iste trigésimus nequaquam convenit cum anno mortis Christi. Supputavi ex iisdem Tabellis utriusque anni veram oppositionem luminarium, & hanc Jerosolimis factam comperi anno 29. Æ. V. die 18. Martii feria VI. h. 9. 2. m. vesperi, prout notavit Areopagita ipso die prodigiosarum phæbi tenebrarum. Anno vero Æ. V. 30. vera oppositio eruitur die Aprilis sexta hor. 8. 34. m. sub vesperum feriæ V. Adstipulantur S. Augustinus, Ambrosius, Tertullianus & scriptores antiquissimi alii cum Venerabili Beda tenentes, reparationem generis humani factam esse in plenilunio, quod propriè non de cyclico, sed illò, quod in cœlis reapte committitur, intelligendum esse, quivis rerum justus arbiter censebit.

3. Non desunt authores probabiliter rati, Herodem jam anno Juliano quadragesimo primo sub finem Novembris fati cessisse. In hunc enim quoque annum die 23. Martii lunaris eclipsis Jerosolymis visibilis incidit, uti anno sequenti Juliano 42. in 13. ejusdem mensis lunæ defectio itidem in urbe sacra spectabilis incurrit. Hoc itaque caractere ea nocte, qua, ut nuper ex Josepho dictum, exusti Rabbini, in cœlis exhibitio, uterque annus Juliano 41. & 42. insignis est, atque aded mors Herodis supremo morbo conflictati post cœlesti illud & crudele Doctorum Vulcano traditorum portentum, utriusque anno citra læsionem Josephinæ chronotaxeos tribuetur. Hoc autem Herodianæ morti attributo anno Juliano 41. Christi natiuitas non poterit tardiùs consignari, quàm anno Jul. 40. exeunte, cùm fide Divina certum sit, in diebus Herodis regis natum Servatorem.

Si ergo, ut communissima tenet, & infra sect. 3. ostendetur, vita Christi in terris non est extendenda ad annos plures, quam 33. vel cæptos, vel expletos, mors ejus in 30. Æ. V. annum, seu Julianum 75. incidere nequit.

3. Hipponensis antistes serm. 154. de tempore Epiphaniæ anno 1. sequente natalem servatoris, die Dominico signat, etiam ex eo laudibus celebrans ipsum diem Dominicalem quod in illa Dominus noster JESUS gentibus corporaliter apparere fuerit dignatus. Anno Julian 41. littera E. congruebat in calend. Romano quoad bissextos corrupto à sacrificulis, ut videre est in Tab. Cap. I. hujus Sect. exhibita. Dominicalis littera F. anno 41. apposta diei Decembris 22. ostendit 25. mensis ejusdem deberi feriam IV. adeoque Epiphaniæ Januarii die 6. congrueret non ipsa Dominica, sed feria II. si proin hac in re deferre volumus magis Augustini authoritati, Christum non possumus dicere natum anno exeunte 41. Juliano, adeoque nec mortuum anno Æ. V. trigesimo seu Juliano 75.

5. Denique, quod jam insinuavi, modò dictus Æ. V. annus excluditur omnibus iis rationibus, quibus vigesimus nonus infra adstruetur.

CAPUT V.

Ostenditur duplex initium Imperii Tiberii, & quòd S. Lucas à priore annum decimum quintum ejusdem Imperatoris putarit, quando Christus erat incipiens quasi annorum triginta.

Opinio, quæ una restat, de morte Christi signanda Semini Coff. Rufo & Rubellio, seu anno 29. Æ. V. aut 47. Juliano monstri instar apparet prima fronte, utut in eam Patres & Scriptores gravissimi ac vetustissimi pleno agmine conspicerent. Ille enim ipse annus cum decimo quinto vel sexto Tiberiani Imperii convenit. Si itaque istud derivetur ab obitu Augusti Æ. V. Christi adum, anno decimo quarto, seu Juliano quinquagesimo nono die mensis Augusti 10. juxta receptissimam Chronologorum secuto, in 28. vel 29. Æ. V. incurres. Ubi ergo tempus suppetit tribus paschatis

schatis à Christo Duce Jordanis undis tincto transgendis, & à Joanne Evangelista tam luculentè assertis? Certè S. Iræneus Lugd. Galliæ Episcopus accusat Gnosticos (hæretici fuere circa medium secundum Christicolarum sæculi emergentes) quòd unum duntaxat à suscepto Baptismo prædicationis annum tribuerint Domino, libròque II. adversus hæreses ex S. Scriptura ostendit triennium à Baptismo ad mortem Christi fluxisse, & ita sermonem concludit: *Quoniam autem tria hæc paschatis tempora non sunt unus annus, omnis quilibet confitebitur.* Ergo cum tam iste, quàm PP. plurimi alii asseverent, Christum Dominum mortuum esse geminis Coss. seu anno Æ. V. vigesimo nono, dicendum erit, illi vel præcedenti vigesimo octavo, minimè convenire annum decimum quintum Tiberiani Imperii inchoati à morte Augusti, sed annum istum à D. Luca citatum fuisse deductum ab epocha alia, eà nimirum, qua Romanus Senatus Octaviano, dum invivis adhuc iste degebat, annuente, & petente ipso Tiberio contulit jus proconsulare in omnes Provincias & exercitus Romanorum, potestatemque tribuniciam, adeoque verè dici potuit in consortium Imperii ab Augusto assumptus ipse Tiberius.

Ratio prima ita sentiendi est Patrum auctoritas, quam, ubi possumus tenemur salvare. Sic autem adstruenda Tiberii Imperii duplici epocha, quarum prior auspicietur à decreta Tiberii per Romanos Senatores proconsulari & tribunicia potestate, posterior ab Augusti obitu, salvabimus illorum opinionem de Servatoris obitu geminis Coss. signando, ut ex dicendis liquebit, alias minimè salvabimus, ut ratione 6 & 7. ostendetur specificè de Tertulliano, & S. Augustino.

2. Prioris illius epochæ recepti in Augusti Imperii consortium habemus indicium in monumento apud suburbium Ancyrae reperto, quod primùm Bousbequius ex ipso lapide descripsit, deinde Schottus in-victore, ac Gruterus pag. 230. inter reliquas Inscriptiones, & ex is Emmanuel Schelstrate Diss. I. c. 2. art. 4. edidit. In eo autem monumento Cæsar Augustus Iustrum à se conditum refert *Collega Tiberio sexto Pompejo, & sexto Apullejo Consulibus.* Fuit hic duorum-sextorum annus Consularis vitæ Augusti postremus, adeoque Æ. V. Christiadam decimus quartus. Igitur Imperii in vivis adhuc existente Augusto jam confors fuit Tiberius.

3. Tacitus in suis Annalibus Tiberium Augusti filium & *Collegam Imperii* nuncupat: vivente igitur adhuc Octaviano Cælare & ipse Tiberius imperavit, adeoque à primordiis istius prioris imper-

perii anni regiminis ejus censerî poterunt. Citatus autem scriptor l. I. Annal. de Tiberio sic: *Illuc cuncta vergere* (post mortem videlicet Caii Cæsaris) *filius, Coll. ga Imperii, consors tribunitia potestatis assumitur.*

4ta. Ex Vellejo Paterculo l. 2. constat, Tiberio postulante patre ejus (Augusto videlicet, qui defuncto Caio Cæsare Tiberium ad optârât) *jus in omnes provincias & exercitus par illi, quod ipse Augustus habebat, collatum fuisse à Senatu Romano, & tribunitia potestatis consortione equatum esse Augusto: adeoque anni Imperii Tiberii inde poterunt capere numerationis exordium.*

5ta. Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum Tiberio annos Imperii XXII, & aliquot menses tribuit, quot annos reverà Tiberius solus post Augusti decessum è vivis imperavit, nam anno Æræ Christi adum decimo quarto die 19 Augusti immediatè successit Octaviano eadem die vivis erapto, regiménque protraxit ad Martium usque anni ejus Æ. V. trigésimum septimum. Deinde idem Clemens Alexandrinus secundùm aliorum computum annos viginti sex cum semestri eidem Tiberio assignat. *Quidam, inquit l. c. Romanorum Imperatorum tempora sic describunt: Tiberius annis 26. mensibus sex, diebus novendecim.* Ergo duplex vigeat Tiberii imperii epocha ante Clementem Alexandrinum, una añorum viginti duorum, altera viginti sex, eaque non utraque à morte Augusti accersenda. Si enim ambæ fuissent concordes in exordio, juxta scriptores añorum Tiberiani Imperii, quos aiqui viginti duobus, alii annis viginti sex concludunt, illas utpote añorum numero inæquales in epilogo discordare necessum erat: atqui Tiberii obitus, adeoque imperii ejus finis à scriptoribus omnibus consignatur uno eodémque anno, videlicet Juliano octuagesimo secundo, Æ. V. trigésimo septimo, Proculo & Nigrino Coss, nullúsque ostendi potest alicujus nominis Author, qui anno alio Tiberii supremum fatum signârit: dicendum ergo erit, Auctores discrepâsse in Tiberiani Imperii initio. Horum enim quidam cum Clemente Alexandrino illud ab obitu deduxère Augusti, alii verò à dignitate Proconsulari collata Tiberio.

Sexta, Tertullianus à Schelstrate citatus Diff. I. c. 3. a. 2. ait, *Christum Dominum anno duodecimo Tiberii revelatum* (seu baptizatum) *anno autem decimo quinto ejusdem Tiberii cruci affixum fuisse: Ergo*

ab alio principio Tertullianus annos Imperii Tiberii derivavit, quam S. Lucas, nempe à morte Augusti prior, à dignitate verò Proconsulari posterior: aliàs manifestò Evangelistæ contrarius foret Tertullianus.

Septima, quando D. Lucas recenset anno decimo quinto Tiberii factum esse verbum Domini supra Joannem non utitur voce græca τῆς βασιλείας, quod Imperium solius Tiberii indicasset, sed τῆς ἡγεμονίας, quæ indifferens censetur ad quaecunque Imperium. Et de Pilato loquens idem Hagiographus vocabulum usurpat, ἡγεμένωτος τῶ ποντίῳ πιλάτῳ τῆς ἰουδαίας: procurante Pontio Pilato Judæam: ergo probabilissimum est, quòd D. Lucas annum illum Tiberii decimum quintum ab epocha priore desumpserit. Confirmo id testimonio Hipponensis. Sanctus hic Doctor binis locis dicit ex Evangelio, & actis Christi ostendi posse, quòd duobus geminis Coss. passus sit Dominus. Primus locus habetur L. XVIII. de civit. Dei c. 54. ubi scribit, *Apostolos suis sensibus probavisse, quòd Christus duobus geminis Coss. passus sit. Sicut Apostoli, inquit, suis etiam sensibus probaverunt*, id est vel ita senserunt, vel etiam ore id testati sunt, adeò ut traditio Apostolica de Christo sub geminorum consularu passo exstaret. Locus alter occurrit l. II. de doctrin Christian. c. 28. ubi S. Antistes asseverat, *id ex textu ipso actionum Christi confirmari posse.* Patet autem clarissimè è textu actionum Christi, quas texuit S. Lucas Baptismum & prædicationem Servatoris referens, neutquam probari posse Filium Dei mortuum esse *Geminis Coss.* anno videlicet Imperii Tiberii decimo quinto vel sextodecimo, si anni illi putandi veniant ab Imperio post Augusti fata inchoato: ergo dicendum est, Augustinum sensisse, quòd Evangelista annum decimum quintum Tiberici Imperii à principio alio deprompserit. Verbo ex his, & quæ in rem afferri possent pluribus aliis tam est liquidum anno decimo quinto Imperii Tiberii à morte Augusti initi non esse passum Dominum, ut nil queat esse liquidius.

Videamus modò, quo anno proconsulare illud Imperium, & potestas illi par, quam ipse habebat Augustus, ita ut hujus *Collega* Tiberius & jure dici meruerit, & publicis in monumentis à Cesare Octaviano etiam dictus sit, eidem Tiberio accesserit. In Dione l. 56. de Tiberio & Germanico loquente hæc referuntur: *Tiberius & Germanicus, cui* (seu priori ut notat Antonius Pagius) *proconsulare*
erat

erat Imperium impressionem in Germaniam fecerunt. Erat hic annus *Æ. V. undecimus*, Julianus 56, quo jam ea dignitate Tiberius fulgebat, adeoque minimum triennio ante Augusti obitum illam recepit. Suetonius Cap. XXI. scribit: *petente Augusto legem per Coss. latam, ut Tiberius cum Augusto provincias communiter administraret, simulque censum ageret*, idque triennio post varonianam cladem factum memorat. Clades ea Chronologorum consensu incidit in annum *Æ. V. nonum*, Julianum quinquages. quartum: ergo anno ejus *Æ. duodecimo* Proconsulare Imperium Tiberio accrevisset. Verum cum ex Dione habeamus, quod jam anno *Æ. V. undecimo* ea dignitate munitus Tiberius Germaniam petierit, triennium illud à clade varoniana inclusivè erit putandum, ita ut annus *Æ. Christiana V. nonus* dicatur primus, & decimus *Æ. V. cladis* secundus, undecimus denique ejusdem epochæ tertius stragis varonianarum legionum. Sed quamvis etiam unius hinc anni ambiguitas subsit, utraque tamen epocha Imperii Proconsularis Tiberii sive a *Æ. V. undecimo* sive duodecimo inchoata intento meo deserviet. Annus siquidem vigesimus nonus istius *Æ. V. christiadum* Coss. Geminis indubie signatus, erit vel decimus octavus, aut nonus Imperii Tiberiani primi, quo Domi. um cruci pro nobis suffixum tenuere Patres, & Auctores antiquissimi, adeoque Christum Ducem nostrum baptizatum & revelatum credidè anno juxta Lucae Evangelium decimo quinto ejusdem Imperii Tiberii à priore epocha derivato. Porro Patrum aliqui DEI Filium mortuum dicunt anno 18. alij 19. hujus Proconsularis Imperii. Utrique nihilominus in anno Dominicæ Passionis scilicet *Æ. V. vigesimum nonum* ex integro conveniunt. nam geminorum consulatui illam unanimiter tribuunt, ut subin ostendatur. Nil proin in præsentiarum facit illa unius anni in primordiis Imperii Tiberii discrepantia.

Neque dicas, Baptismum servatoris dandum præcisè Tiberij Imperij anno decimo quinto, cum probabile admodum sit, eo ipso anno Christum Ducem voluisse tingi Jordanis undis, quo Joannes Baptista attestante Luca baptismum poenitentiae & prædicabat, & dispensabat, tertio nempe Imperij Tiberij lustro seu anno decimo quinto. cum autem triennio, & paulò amplius à baptismo recepto juxta communior opinionem Dominus prædicarit, annus præcisè decimus octavus istius Tiberiani Imperij Passionis Dominicæ erit deputandus. Sed

resp. n. c. quia si post pascha anni decimi quinti prioris Imperij Tiber. Baptismum & prædicationem Christus suscepit, quatuorque, ut infra ostendetur, subin in vivis transiit paschales solennitates, non obstante baptismo labente anno Tiberii decimo quinto post pascha suscepto, deveniemus ad annum ejusdem æræ Tiber. decimum nonum cum paschate quarto, & Æ. V. anno vigesimo nono concurrentem.

Hinc autem colligitur admissa hæc proconsularis Imperij Tiberij epocha Evangelistam Lucam Patribus optimè conciliari, quod quidem, ut nuper insinuavi, vel maximè præstandum, si nullum inde inconveniens timetur, prout nil tale hic apparet, præsertim quando gravissimis insuper rationibus hæc proconsularis regiminis æra, ut isto ostensum capite, & pluribus adhuc ostendunt prælaudati Antonius Pagi & Emanuel Schelstrate, fulciri queat.

Satisfaciendum insuper est Petavii & aliorum rationibus, contententium annos Tiberici Imperij nequaquam profluere à dignitate illa proconsulari. id. Quia illa summa potestas in provincias & exercitus simpliciter nomine *Imperii* venire nequit, eò quòd adhuc esset subjecta arbitrio Augusti, eamque etiam habuerit Germanicus, quin idcirco *Imperator* nuncuparetur. Respond. cum supra ostensum sit, Tiberium, in vivis adhuc degente Octaviano, & Imperatorem, & Collegam Imperii dictum esse, claret hominis dignitatem tantam extitisse, ut jure nomen *Imperii* mereretur. Videtur etiam gratis asseri, potentiam illam fuisse Augusti arbitrio saltè penitus subjectum, tum quia Tiberius eam instructus ab ipso Augusto dictus est *Imperii Collega*. ex notione verò vocis *Collega*, & ex alijs cumulativè assumptis ad Romanum Imperium satis constat, quòd unus alteri proprie *subjectus* dici nequierit, licèt ille, qui in consortium regiminis fuerat susceptus primas aliqua ratione concederet Imperatori sese assumenti, tum quòd potestas illa proconsularis non ab Augusto, sed ad illius petitionem à Senatu Romano fuerit Tiberio collata. De Germanico nil simile constat, cum nullibi legatur ab Augusto nuncupatus *Imperii Collega*, neque ab ullo scriptorum referatur imperasse vivente Octaviano, neque etiam claris documentis probari queat, quòd Germanico obvenerit Senatùs-Consulto *ius in provincias & exercitus omnes Romani domini Augusteo par*, quo tamen Auctorum classicorum asserito ex dictis liquet Tiberium fuisse præditum.

Dicunt

Dicunt 2. Si superstite etiamnum Augusto Imperator verè dici potuit Tiberius, cur nomen hoc Cæsare mortuo illi delatum est à senatu Romano? quare illud recusavit Tiberius? Suetonio autem apto teste cap. 26. refertur: *prænomen quoque Imperatoris in vestibulo recusavit*, Tiberius videlicet, cum eidem à senatu illicò post Augusti fatum dignitas illa cum multis aliis prærogativis decerneretur. An prudenter titulum senatus conferre potuit, quem triennio, aut saltem biennio antè Tiberius jam gesserat? an hic citra notam recusare illius prænominis honorem quem antehac sibi attributum ultrò admisit? Respond. conjecturis hisce qualemcunque veri speciem præferentibus debere præponderare ipsa facta. Claret ex Inscriptione lapidari Ancyrana, ipsius Augusti ore *Collegam Imperii* nuncupatum Tiberium. Certum est, à scriptoribus Romanis adhuc in vivis agente Cæsare Augusto Tiberium dictum, & scriptum fuisse *Imperatorem*: ergo etiam indubium sit, annos Imperij Tiberiani ab illa epocha desumi potuisse in Authorum, quà sacrorum, quà profanorum lucubratis.

Cæterùm Senatus Imperatoris titulos deferre Tiberio prudenter potuit, uti Augusto ipsi ab Actiaca victoria detulerat, licèt pridem assumptos. Ostendere sic fors Senatores volebant, id munus neutiquam esse hæreditarium. Quamvis autem prænomen Imperatoris ante Octaviani obitum competeret Tiberio, non tamen congruebat soli, nunc autem uni ipsi velut antonomasticè deferebatur, cum alius Imperator non superesset. Accedit, quòd Imperatorio titulo recens confirmato novi alii jungerentur, ut *Patris Patria, Augusti*, quos superstite Augusto necdum Tiberius acceperat. Prudenter verò prærogativas hæc ab ipso recusatas, aut potius callidè, Suetonius docet c. 25. cunctationis Tiberianæ causas ita recensens: *Cunctandi causa erat metus undique imminentium discriminum, ut sæpe lupum tenere auribus se diceret: nam & servus Agrippa* (hunc liberius olim ab Augusto adoptatum decedente Augusto, vel Tiberii mater Livia Octaviani uxor, vel ipse Augustus occidi iusserat, ut idem Suetonius c. 22. refert) *Clemens nomine non contemnendam manum in ultionem Domini compararat, & L. Scribonius Libo Vir nobilis res novas clam moliebatur, & duplex seditio militum in Illirico, & in Germania exorta est. Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem, ante omnia, ut aquarentur stipendio*

*Pratoriani Germanicianis. Quidam etiam Principem detrectabant non à se datum, summæque vi Germanicum, qui tum his preerant, ad capeſſendam rempublicam perurgebant, quamquam obſtinate reſiſtentem; Quem maximè caſum timens (Tiberius videlicet) partes ſibi, quas Senatui liberet, tuendas in republica depoſcit, quando uniuerſa ſufficere ſolus nemo poſſet, niſi cum altero, vel etiam cum pluribus. Simulavit et valetudinem, quo equiore animò Germanicus celerem ſucceſſionem, vel certè ſocietatem Principatûs operiretur. Ita Suetonius. Tacitus quoque l. i. Annal. deſcribens Tiberij moras in luſcipiendis dignitatibus à Senatu delatis iſta ſubneſcit: *Cauſa præcipua ex fomidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor habere imperium, quàm expectare mallet. Ecce imperii ſine Collega à Tiberio recuſari rationes complures, easque ſingulas, meo quidem iudicio non parùm validas. Quæ etiam ex prædictis Scriptoribus deprompta oſtendunt, non fruſtraneam fuiſſe Tiberij matris Liuiæ anxietatem, ne antè conſtaret, in extremis verſari Auguſtum, quàm in urbem ipſe Tiberius advenſſet.**

Opponunt contra duplex iſtud Tiberij Imperium tertio. Quando Tiberius victor ex Germania Romam poſt biennium reſſus eſt, qui fuit annus alter à variana clade, ſeu Æ. V. undecimus, aſſerto ſuetonii cap. 20. liquet, quòd antequam ovans Tiberius in Capitolium è ſteſſeret, curu deſcenderit, ſeque præſidenti Patri (Auguſto videlicet) ad genua ſubmiſerit: ergo anno undecimo Chriſtianiæ Epochæ V. necdum fuit conſors Imperij. Quarto idem Suetonius c. 21. aſſerit, Tiberius à ſenatu lata ſententia coadminiſtratore Imperij una cum Auguſto conſtitutum in Illirium proſectum eſſe, ſtatimque ex itinere revocatum morti repente propinquante Cæſare Octaviano: ergo illo ipſo anno ad id honoris, ut cum Auguſto Collega eſſet Imperij, aſſumptus Tiberius, quo ipſe Auguſtus mortalitate exutus eſt, hoc ſiquidem haud obſcure indicant illa Suetonii verba: *Ac non multò poſt lege per Coſſ lata (ut ſcilicet cum Auguſto Imperium teneret) in illirium proſectus eſt:* ergo iſta duplex Tiberij epocha quantuſcunque innitatur fulcris, difficultatem non enodat de anno decimo quinto Imperij Tiberij: nil enim una ab altera diſtaret ſaltem non annuo ſpatio.

Reſp.

Resp. ad 3. n. c. tum quia etiam confors Imperii suo potuit se collegæ submittere, filius nempe patri, tum & præcipuè, quia primum postea in consortium Imperij assumptus est. Docet id expressè Suetonius actum à Tiberio in urbe triumphum memorans, & cit. c. 21. subdens: *ac non multò post lege per Coss. lata, ut Provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro in Illiricum profectus est.* Ad 4. resp. illud, *ac non multò post* non esse referendum ad sequentia, profectio nempe Tiberij in Illirium, sed ad antecedentia, videlicet, quod à triumpho celebrato haud notabile tempus intercesserit usque ad legem Senatûs, seu quòd ea lex condita fuerit vel ipso anno undecimo vel anno sequenti V. Æ. christiadum. Patet hoc ex iis verbis *condito lustro profectus est.* Igitur profectio illicò quidem post conditum lustrum, non autem statim à collata Tiberio Imperij dignitate suscepta est. Quòd si iustes, saltem quinquennium non intercessisse inter legem à Senatu latam, ut Tiberius simul cum Augusto imperaret, ac censum ageret, adeoque minimè à Tiberio lustratam urbem *ex acto quinquennio.* Resp. id. id nil referre: nam assumi potuit ad censuram Tiberius unacum Augusto agendam, quando id muneris jam antea soli Augusto fuerat delatum, quinquennio autem illius census ante profectioem Illiricam transacto potuit à Tiberio *condi lustrum.* 2.ò cum teste Dionel. 56. victoriæ de Dalmatis à Tiberio relatæ nuncium attulit Germanicus, ejus ergò tum Augusto, tum etiam Tiberio nomen Imperatorium atque triumphus est decretus. Contigit hoc Æ. V. anno decimo juxta Schelstrate, anno nono, si Petavium sequimur. Ergo jam annis quinque Tiberius cum Augusto imperabat, saltè eatenus, quatenus nomen Imperatoris jam à quinquennio ipsi erat à Senatu decretum, quando anno XIV. Æ. V. lustrum condidit: ergo licet inter legem Senatûs relatam à Suetonio, vi cujus etiam Collega Imperij constitutus Tiberius jus in Provincias & exercitus omnes Romanorum Augustæo par obtinuit, usque ad conditum lustrum illo anno XIV. Æ. V. non intercesserit quinquennij capedo, potuit tamen ista intercessisse inter delatam Tiberio potestatem & agendi censum & condendi lustrum. Neque huic obstat, quòd Suetonius dicat, Tiberio *lege per Coss. lata* factam potestatem administrandi provincias, *ac agendi census:* nam etiam Augustus anno Æ. V. nono aut decimo jam erat certo certius Imperator, & tamen ei à Senatu nomen Imperato-

ratorium tunc rursus decretum est: ergo licet Tiberius jam habuerit censoris munus, quando in consortium Imperii cum Augusto administrandi lege per *Coss. lata* assumptus est, pariter agendi census potestas ei per Senatum iteratò confirmari potuit.

CAPUT VI.

Ostenditur mirabilem illam Solis defectionem in Domini obitu spectatam contigisse anno vigesimo nono Æ. V. Olympiadis ducentesimæ primæ.

Certum est, miraculosam phæbi obscurationem Christo in cruce pendente à plurimis quæ judæis quæ ethnicis visam congruere debere anno imò & diei, quam chronologus morti servatoris deputarit. Diem autem illam insignitam fuisse sexta feria & plenilunio, seu paschate hebraici populi, tum Evangelistarum testimonium & Dionysii Areopagitæ aliàs adducti assertum geminum, tum communis Patrum sensus, ac scriptorum penè omnium opinio confirmat. In quem porrò Æ. V. annum naturæ illud portentum inciderit, nec Evangelistæ, nec testis de visu Areopagita expriment. Neque hic quidquam possunt Tabulæ Uranicæ ad solâ naturæ, quæ in cœlis occurrunt, referenda phænomena idoneæ claves, cum omnem naturam excedat phæbi Eclipsis proximè plenilunium spectanda. Solus Phlegon Hadriani Libertus annum illum per Olympiadas indicat. Sed is ipse citari à diversis solet diversimodè, utpote loco, ubi portenti tempus signat, à scriptoribus, qui id inde hausserunt, vel malè intellecto, vel miserè depravato. Eusebius in Chronico scribit à Phlegonte rem miraculosam consignatam esse anno IV. Olympiad. ducentesimæ secundæ. Congrueret iste Æ. V. anno 33. à Januario usque ad solstitium æstivum, anno verò Æ. V. 32. à Junio ad finem anni. Sed Africanus uno post Phlegontem sæculo florens, nam iste Hadriani ævo, ille sub Heliogabalo vixit, & suis ipse oculis Phlegonticum opus de Olympiadibus Libris XVI. teste suida con-

constans, quoddamque subin intercudit, videre potuit, atque adeo probabilius videtur, in fragmento à Syncello relato pag. 323. notat, Eclipsin à Phlegonte memoratam accidisse anno secundo Olympiadis ducentissime secunda. Quod itidem Africanus scribit l. V. Τὸν χειρογράφον apud cit. Eusebium l. VIII. de demonstrat. & apud D. Hieronymum in caput IX. Danielis. Hinc Keplerus & Petavius errasse putant Eusebium in consignando anno IV. dictæ Olympiadis, cum signari debuisset annus II. Sed sciendum ab isto Africano tertii Christiadii sæculi circa annum vigesimum Scriptore vetustissimo, Olympiades non communi modo à chronologis passim adhiberi solito consignari, sed integro biennio antè illas auspiciatur. Communissima siquidem Chronographorum anno primo Olympiadis itidem primæ periodi Julianæ in Chronologia utilissimæ ac notissimæ annum tercentiesimum nonagesimum trigesimum octavum, qui ante Æ. V. Christi erat septingentesimus septuagesimus sextus, ut apud Petavium, & alios passim videre licet, deputat. Africanus verò initium annorum Olympicorum tribuit ejusdem Julianæ periodis anno 3936, ante Æ. V. 778, quare annus secundus Olympiadis ducentissime secundæ methodo Africani computatæ reverà in communi sepputatione est annus IV. Olympiadis ducentissime primæ, qui annus incipit à solstitio æstivo periodis Julianæ 4741, seu Christiadii Æ. V. anno vigesimo octavo, & duravit in junium anni Æ. V. vigesimum nonum, seu periodis Jul. 4742. Adeoque Eclipsis portentosa à Phlegonte relata, prout illam recenset autographi Phlegontæi subin intercidentis probabilius oculatus testis Africanus, cui proin potior fides, quam Scriptoribus aliis tempore posterioribus, quique jam perditum phlegontis volumen videre nequierunt, meritò est adhibenda, Eclipsis inquam portentosa solis reverà annum Æ. V. vigesimum nonum prærogativâ mortis Christi decorat.

Ostenditur autem ex Syncello ita, ut nuperrimè dictum, putatas ab Africano olympiades, quem etiam modum ipse Syncellus est secutus. Nimirum Scriptor ille collocat ineuntem primam olympiadem anno periodis Alexandrinæ decennio Antiochenam prævertentis, quater millesimo septingentesimo vigesimo sexto. Igitur annus primus olympiadum erat Antiochenæ periodis 4716. Ista Julianam excedit annis septingentesimo octuaginta, uti patet ex eo, quod annus primus Æ. V. Christi chronologorum omnium confessione nume-

rat annum Julianæ periodi 4714. Antiochenæ verò 5494. Proia
annus periodi Antioch. 1. pariatur cum anno periodi Julianæ 3936.
Ergo annus primus Olymp. etiam primæ juxta Africanum init à sol-
stitio æstivo anni period. Jul. ter millesimo nongentes. trigesimo sex-
to, seu biennio ante annum 3938. quo ex communi aliorum chrono-
logorum sensu ludi olympici sua accepere auspicia.

Rursus idem Syncellus ex Africano pag. 308. refert, captâ Alex-
andria inchoatam fuisse olympiadem centesimam octuagesimum o-
ctavam: ergo post solstitium æstivum ea urbs intercepta: completa
itaque erat olympias 187. & annus primus inierat centesimæ octua-
gesimæ octavæ juxta Africani temporum putandorum methodum.
Omnium chronologorum testimonio subjugata ab Augusto post A-
ctiacam victoriam Alexandria anno periodi Julianæ 4684. Huic
periodi Julianæ anno respondet olympiadis centesimæ octuagesimæ
septimæ annus III. à solstitio æstivali computandus. Itaque Africa-
ni ratio olympiades censendi biennio prævertit communiter à chro-
nologis receptam: ergo annus secundus olympiadis ducentesimæ
secundæ Africani methodo putatus, si ad passim à scriptoribus usita-
tam revocetur annum IV. exhibet olympiados ducentesimæ primæ,
qui à solstitio æstivo anni Æ. V. Christiadam vigesimi octavi
incipiens in Junio anni ejusdem Æræ vigesimi noni absolvitur, at-
que adeò portentosum illud solis deliquium à Phlegonte notatum in
annum mortis Christi geminis Coss. insignitum certo certius in-
currit.

Hanc ipsam modi Africani supputationem alius quidam secutus
est Author, anonymus ille quidem, sed vetustissimus. utpote Chro-
nicon suum ab orbe condito usque ad annum XIII. Alexandri Severi
perducens. Extat Chronicon illud apud Henricum Canisum t. II.
antiq. lect., ubi ad prædictum Alex. Severi annum sic legitur. *Sunt
omnium Olympiades usque ad annum decimum tertium Alexandri
Cæsaris Olympiades ducentæ quinquaginta tres, quæ sunt anni mille
ducenti duodecim.* Annus hic decimus tertius Severi consentienti-
bus alicujus notæ Chronographis à Martio anni Æ. V. ducentesimi
trigesimi quarti incipit, & cum anno primo Olympiadis ducentesimæ
quinquagesimæ tertiæ usque ad solstitium æstivum, ab hoc verò cum
anno secundo ejusdem Olymp. concurrat: ergo in communi suppu-
tatione duo anni deficiunt ad Olympiadem integram ducentesimam
quin-

quingagesimam tertiam, seu ut subducit ille scriptor Anonymus ad annos mille duodecim, annus enim secundus Olympiad. 253. tantum includit periodum annorum 1010. verum igitur est, quod illius Chronici Author in numerandis Olympiadibus fuerit secutus methodum Africani. Idem Anonymus l. c. addit, annum XIII Severi esse à Passione Domini ducentessimum sextum. Subtractis 205. ab anno *Æ* V. 234. Imperij Alexandri decimo tertio congruente manet ejusdem *æ*ræ annus 29. juxta mentem antiquissimi illius Chronographi morti Servatoris tribuendus. Hoc ultimum non ad scopum, quem hoc capite intendo, sed ideò annectere volui, ut incidenter notarem, etiam hunc vetustissimum scriptorem censuisse anno Geminorum Consulatum notandum esse Redemptoris obitum.

Denique Africanus apud laudatum Syncellum pag. 308. prodigiosam solis catastrophem à Phlegonte signatam dicit accidisse anno II. Olymp. 202. iterum anno IV. ejusd. Olymp. Imò Eusebius in Chronico ad annum Abrahami 2047. eclipsin illam illigavit anno III. Olymp. 202, quem morti Servatoris attribuerat assecclam in eo nactus Eminentissimum Eccles. Annalium scriptorem. Auctores autem plerique autumant, in annos ducentessimæ secundæ Olymp. irrepisse errorem typi. Sed ut notat Antonius Pagius, error is non in anno sed in ipsa Olympiade cubat. Africanus siquidem, quando annum, IV. stupendarum tenebrarum signat, eidem adscribit Olympiadem ducentessimam primam, non autem secundam. Quò enim liquidius rem gravissimam, cui similem non vidit orbis, ad posteros transmitteret, tam sua Olympiades Phlegontæus putandi methodo, quæ illam Sideris defectiõnem anno II. Olymp. 202. notat, quàm aliena vulgò à Chronologis adhibita, nimirum anno IV. Olymp. 201, mirum id factum esse naturæ portentum, lucubratis suis inseruit. Nam in vulgari numerandi ratione tempus ita apposuit. *α* *Ο*λυμπιάδος non verò *β* *Ο*λυμπιάδος, id est anno IV. Olymp. ducentesima prima, non verò anno IV. Olymp. 202. Progressu autem temporis, ut advertit prælaudatus Ant. Pagius, ortus est error in Chronicon Eusebicum irreperens, ubi loco Olymp. ducentessimæ primæ notatur 202, quod & Africani scriptis accidit. Confirmatur id ex sæpe cit. fragm. Syncelli p. 314. Sic enim ibi loquitur Africanus. *Anni ab Adamo condito ad Christi adventum & ejus resurrectionem 5531. colliguntur: à qua temporis epocha ad Olympiadem 250. anni 192. intercurrunt.* An-

nus mundi 5531. juxta modum Alexandrinæ supputationis, quam sequitur Africanus mense Martio anni Æ. V. vigesimo nono absolvitur, quo nempe anno Auctor iste Christum sub Coss Geminorum passum docuit. Annus autem hic Æ. V. respondet IV. Olymp. 201. usque ad solstitium æstivum, inde incipit 1. Olymp. 202. Adde illi annos 192. completas videlicet Olympiades 48. conflabitur Olympiadis 249. annus IV. adeoque in Junio inierit Olympiadis 250 annus I., ut testatur Africanus: ergo methodo passim usitata etiam ipse loco cit. Olympiades numerat, aliàs à Passione Christi seu anno Æ. V. 29. usque ad annum I. Olymp. 250. non 192, sed tantum 190. anni intercederent. Olympiados siquidem ducentesimæ quinquagesimæ annus I. in computatione Olympica Africano propria coincidit cum anno Æ. V. 219. Inde deductis 29. relinquuntur 190. Verum sic esse intelligendum rursus liquet ex Syncello p. 212. ubi ait, initium Olympiad. 250 incidere in consulatum Severiani Grati, & Seleuci, cui congruit annus Æ. V. 221. Ergo Africanus, quando de Phlegontæa eclipsi modo sibi proprio loquitur, eam anno II. Olymp. 202. factam scribit, cum verò communi putandarum Olympiadum methodo incedit, illam præcedentis Olymp. 201. anno IV. illigat.

Ultimo loco formari potest hic Syllogismus. Miraculosa solis defectio indubiè contigit feriâ VI. & die lunæ plenæ: prius est Evangelica veritas, cum in parasceve sabbati ab omnibus 4. Evangelistis mortuus dicatur Dominus Jesus, posterius fidei habetur proximum, ut cum PP. testatur venerab. Beda, & ipse S. Dionysius Areop. (vid. cap. II. hujus sect.) sed nullus annus ex illis, qui tribui possunt Servatoris morti, quos supra retulimus, nullus inquam annus sibi vindicat duos feriâ VI. & Plenilunii characteres in unam, eandemque diem confluentes, excepto anno æræ V. Christianæ vigesimo nono, ergo nullo alio, quàm isto portentosa illa eclipsi contigit. Major propositio claret. Minor constat ex inspectione tabellæ sub finem c. 3. positæ, & ex c. quarto ostendente annos 33. & multò magis 36. Æ. V. licet prædictæ duæ temporum notæ in eandem illorum annorum diem confluant, esse tamen idcirco inutiles, quia natales Redemptoris post Herodis interitum, contra luculentum Matthæi testimonium in diebus Herodis natum Christum asserens, necessaria consecutione deberent consignare, cum etiam illorum, qui pro iis annis præsertim trigesimo tertio stant, persuasionem non sit ad plures vel pauciores
annos

annos extendenda Domini vita, quam ad triginta tres vel captos, vel expletos,

CAPUT VII.

*Ostenditur æquinoctium vernum minimè ob-
stare, quò minus anno Æ. V. vigesimo nono die decima
octava Martii passus, & mortuus dici queat Dominus,
aut celebratum eo tempore Pascha
Judæorum.*

IN veteri Testamento sæpius à Deo præceptum fuit Judaico populo, ut primi mensis die decimo quarto plenilunium antecedente, nam hoc nuncupatur dies decimus quintus, phase seu pascha suum celebrarent, comedendo post exterminatum è domibus omne fermentum vesperi agnum paschalem Domini pro nobis aliquando immolandi typum. Quamvis autem S. Scriptura lunationem, diem videlicet mensis primi lunaris XIV. suo in præcepto clarè indicet, non tamen illa explicat, quisnam inter menses anni lunares primus haberi debeat. Verùm mos Judæorum à Josepho & Philone ejusdem nationis Scriptoribus relatus erat, ut ille anni diceretur lunaris mensis primus, ejus luna XIV. vel in ipsum Æquinoctium incidere, vel illud proximè sequeretur. Prior horum annorum l. III. Orig. c. 10. ita scribit: *Mense verò Xanthico qui apud nos est Nisan, & anni caput est, lunà decima quarta sole in arietem ingresso Phase agitur.* Alter verò l. de vita Moylis hunc in modum loquitur: *Hoc ipso mense (Nisan) circa decimam quartam diem, cum plenus jam orbis lune futurus est, paschatis solenne celebratur.* Ubi tamen Scriptor posterior haud docet, qua ratione æquinoctii respectu sese habere debeat mensis ille Nisan sacri apud Judæos anni caput. Si anno Æ. V. vigesimo nono, passioni Dominicæ, ut infra videbimus à PP. & antiquissimis authoribus deputato observatur, est ille Judaicus de celebrando Paschali festo mos, ut scilicet phase fieret lunà XIV, sole arietem ingresso, expectari illo anno debuit Aprilis dies decimus sextus. Isto enim die luna plena in cœlis commissa

est circa horam à meridie vigesimam primam, seu horam nona matutina diei decimæ septimæ. Hanc autem in diem incurrebat feria I. proin annus iste clarè fuisset ineptus, cui mors Christi tribueretur, cum hæc in fer. VI. ex Evangelica veritate reponenda sit.

Probabilissimum autem est, Hebræos quidem ut plurimum, non tamen semper & universim illi fuisse canoni adstrictos, aut eo usos, ut scilicet illum mensem primum è legis præscripto suo paschati deputarent, cujus luna XIV. in strictissimè dictum æquinoctium incideret, aut proximè illud sequeretur, sed illum quoque mensem primum, aut *Nisan* censerent, cui æquinoctium latius nonnihil acceptum adhuc aptè congrueret, & id fors ideò, ne quandoque nimium dilata paschatis solennitate ægrius satisfacerent præcepto alteri, itidem in veteri lege ipsis præscripto, ut videlicet primitias frugum in pentecoste seu quinquagesimo à paschate die Deo offerrent. In Palæstina etenim teste Sigonio de rebus Judæorum sub finem Martii jam absolvebatur messis agrorum frumentaria. Id certum nullam Æquinoctii in SS. paginis, dum phase agendi tempus præscribitur, fieri explicitam mentionem. Quòd si Judæi illius quoque in digerendo mense *Nisan* curam habuere, ut eorum contribules Josephus & Philo testantur, nullatenus potest efficaciter probari, æquinoctium ab iis in sensu astronomico seu rigoroso fuisse accipiendum, saltem ex mandato divino, sed solùm in sensu quopiam latiore seu tali, quo indicatur diei, & noctis æqua partitio seu ille anni cardo, quo in vere solis mora supra Horizontem ubique locorum æqualis est intra diem naturalem planetæ illius infra finitorem existentiam.

Contendo autem anno vigesimo nono Æræ V. Christi adum, quando die decima septima Martii luna XIV. sub vesperum celebrata est, incidisse æquinoctium sensu hoc latiore acceptum. Illa siquidem die ob solis refractionem antiquitus ignoram, & à binis circiter sæculis à cultiore jam astronomia detectam, limbus solaris ortivus & occiduus Jerosolymitanus Horizonta duodecim horis tenuit, atque adeò ibidem æquinoctium seu diem æqualem nocti verè constituit. En rationem Uranies cultoribus evidentem.

Verum seu astronomicum æquinoctium, aut ingressus centri solaris in arietis principium anno Æ. V. 29. juxta Hirii Tabulas eruitur die Martii circa mediam noctem. Die ergo ejus mensis decima septima solis centrum occidens distabat à verna intersectione die-

diebus quinque, sex horis. Tribuendo itaque in æquinoctiis motum declinationis istius planetæ diurnum 23. m. $\frac{1}{2}$. tunc solis declinatio austrina erat 2. gr. 3. min. proximè. Altitudo poli Jerosolymitici est grad. 31. min. $38\frac{1}{2}$. Refractio sideris horizontalis juxta celebriorum astronomorum placita æquat minuta 33. & dimidium. Cum hisce proin elementis in Triangulo spherico dantur austrina declinatio solis quadrante aucta seu 92. gr. 3. m. latitud. Urbis sanctæ 31. $38\frac{1}{2}$. complementum ad circuli quadrantem, seu 58. $21\frac{1}{2}$. & centri solis, occumbentis apparenter, vera distantia à vertice, seu *Zenith* 90. gr. 33. m. $\frac{1}{2}$. & invenitur Trigonometriæ adminiculo angulus horarius, seu isti phæbi à vertice distantia oppositus 89. gr. 40. m. quibus in tempore respondent 5. horæ 58. m. 40. s. limbus autem solaris ortivus seu postremus 2. m. 20. s. tardius ibidem visus fuerit occumbere, adeoque hora 6. vespertina 1. min. Pro definiendo ortu apparenti limbi occidui seu præcedentis assumitur in operatione Trigonometrica seu resolutione trianguli spherici eadem, quæ prius tum Poli Jerosolymitani, tum centri solaris distantia à *Zenith*, hujus verò à polo elongatio 11. min. 45. sec. major (augmentum id est declinationis solis austrinæ horis duodecim respondens) & æqualis 92. gr. 14. m. 45. s. atque inde resultat in polo angulus horarius 89. gr. 17. m. Ortum ergo centrum solis Jerosolymis die 17. Martii hor. 6. 2. m. 52. sec. at verò limbus ejus præcedens hor. 6. 0. m. 32. s. Permanentia ergo disci solaris supra finitorem die lunæ decimæ quartæ in paralello Jerosolymitano anno Illò 29. Æ. V. fuit paulò major dimidio die: ergo æquinoctium, prout appellat diem nocti æqualem nil obstitit, quò minus luna XIV. in eundem diem Martii decimum septimum incurrens habita fuerit pro decima quarta paschali. Q. e. o.

Ut æquinoctii rigorosè seu in sensu Astronomico accepti, quatenus dicit centri solaris verum ingressum in Zodiaci primordium, præcisam tempus innotescat vel opus est curatissimis motuum cœlestium Tabulis, quæ ingressum illum pro certo meridiano definiant, vel si cognitio ejus observatione siderali sit elicienda, exactè oportet nôsse loci, quo observatur, latitudinem, & exquisitis organis captum esse pro certa temporis differentia planetæ altitudinem. Unde autem quis credibile reddat, hebræis suppetiisse tam curatas Tabellas, vel organa tam exquisitè elaborata, quò id præ-

præstarent? Ptolemæus veterum astronomorum facile princeps, qui cum Geographia rem sideream insigniter illustravit, altero Christi sæculo florens, omni sua scientiâ, solertiâ, ac machinis siderum observationi paratis efficere non valuit, ne in definiendis astrorum quorundam situ & locorum plurium latitudine binos omnino gradus à scopo abluderet. An Rabbinii Hebræorum non potuere tantundem hallucinari? certè peritiâ, & industriâ rei sidereæ ac Geographicæ multùm illi quidem haud gravatè concedent Ptolemæo? neutiquam proin supponendum ab iis, quibus primi mensis constituendi cura erat apud Judæos demandata, tam expedite & ad *accuribatam* definiiri potuisse verum ingressum solis in Arietem, sed verosimiliter potius arguendum, ab ipsis attentum fuisse æquinoctium, prout facillè cadebat sub sensum, scilicet latius sumptum, quando sol verno tempore dies reddit noctibus æquales, quod ex horologiis discerni valebat, præsertim cum nullibi in SS. Paginis ipsis fuerit mentio ingesta de æquinoctio rigorosè & astronomicè accepto.

Nullus, ut opinor, à populo Hebraico, majorem jure expectet accuratorem in definiendo æquinoctio lunæ XIV. primi mensis præfixo termino, quàm subin orthodoxa Christi Ecclesia in Nicæna Synodo à suis requisivit, ut ritè Christianum Pascha agerent. Huic rectè celebrando à congregatis Patribus editum scimus Canonem, quo in celebranda solennitate Paschali fideles jubentur lunam decimam quartam attendere ipsa die vigesima prima Martii (æquinoctio hæc erat deputata) vel alia, quæ proxima ab æquinoctio sequitur, occurrentem. In reformatione Calendarii Juliani à Gregorio XIII. sub finem sæculi decimi sexti christiadum suscepta, elisis, ut opus erat, ejus Calendarii erroribus, qui ob luminarium motus paulò alios, quàm olim suppositi & assumpti fuerunt, paulatim obrepserant, confirmatus est Nicænus Canon, subque relictus vigori, & æquinoctium vernum, quod in coelis spectatur, exemptis decem diebus iterum ad vigesimam primam Martii revocatum, sed videlicet æquinoctio itidem ecclesiastico olim attributam. Jam verò haud difficulter astronomia hodierna ostendet, diem hanc Martii vigesimam primam jugiter æquinoctio sacro in Christi Ecclesia dicatam posse distare quinque omnino dierum spatio à vero ingressu centri solis in arietem. Si ergo etiam eo casu prædictæ inter utrumque æquinoctium differentia ritè tamen & legitime luna XIV. in diem Martij 21. incurrens à

fide

fidelibus habebitur, quis Judæis vitio verterit, quòd quartam decimam lunam tantundem ab illo solis in Zodiaci principium introitu diffitam phasi suo deputarint, cum illi neque Canonem, neque præceptum ullum primi mensis ad unam diem adstringendi uspiam acceperint?

Quòd illud dierum quinque discrimen ex astronomicis rationibus pateat, supponendum 1.ò locum Solis è tellure spectatum nulli alteri subiacere inæqualitati, quam illi, quæ oritur ex phæbi orbita terræ nostræ excentrica. Ea enim æquinoctiorum præcessio, & retardatio, de qua multa Clavius in explicatione Calendarii Gregoriani, jam dudum cum omnibus fictitiis epicyclis in cultiore scientia sideræ exolevit. Porrò hujus anomalix, quam orbis phæbi excentricus telluri inducit, æquatio ad duos penè gradus, ubi maxima occurrit, comperta est ascendere. Suis in tabb. Hirius illam definit 1. gr. 55. m. 40. s. Paulò majorem facit Ricciolius & alii. Atque adeò duos ferè dies *verus* solis in punctum vernæ sectionis seu arietis principium illapsus *medium* prævertere, aut subsequi potest: dicta namque æquatio longitudini mediæ solari jam addenda, aliis subducenda est. Id cognoscitur per Apogæi distantiam à sole in principio arietis posito. Si hæc fuerit trium circiter signorum, demenda erit æquatio illa maxima, ut è loco medio planetæ *verus* resultet, si verò novem proximè, addenda veniet. Apogæum solaris orbitæ punctum illud dicitur, quod omnium maximè à terrigenis recedit. Non eodem illud semper loco hæret, sed lentissimè incedit juxta seriem signorum Zodiaci. unum min. primum cum binis secundis testudineæ huic lationi Hirius tribuit. Adeoque integrum sæculum gradum unum, min. 42. & sesqui deposcet. Facto ex ejus Authoris tabellis calculo liquebit, circa annum Christianæ æræ 1280. Apogæum istud consticisse ad cancri initium, adeoque secundum seriem signorum abfuisse novem signis à principio arietis, tunc proin reposcebat maximam æquationem additivam, qualocus solis medius ad verum reduceretur. Transactis inde annis circiter decem mille quadringentis octuaginta idem apogæum à cancro in capricornum recedet, ac proin tunc, si tam diu mundus steterit, tribus signis ab arietis primordio elongabitur, videlicet circa annum *Æ. V.* christiadum 11760. atque exiget æquationem maximam loco medio solis subtractivam.

Suppono 2. *Æquinoctium etiam medium*, quantumvis celo responderit anni solaris tropici medii, à reformatorebus calendarii Juliani assumpta quantitas dierum 365. horarum 5. minorum 49. secundorum 12. & in usu politico intercalandi statis temporibus forma, talis videlicet, ut intra Terraeteridem seu quadringentorum annorum spatium, ipsi anni centesimi tres fierent communes, quadringentesimus verò bissextilis, ut mos fert apud Juliani calendarii affectas, qui omnes centesimos intercalare solent. Suppono inquam 2. non posse istud æquinoctium medium compingi intra unius diei angustias, sed triduum illud deposcet. Nimirum in usu politico, quinque illæ horæ cum minutis, quibus annum civilem dierum 365. tropici anni medii solaris quantitas excedit, anno communi ommissæ, bissextili verò per insertionem diei integræ rursus abundè compensatæ, illam tridui latitudinem exigunt, ut rem periclitanti fiet manifestum.

Suppono 3. Reformationis tempore æquinoctium vernum elisis decem è Juliano calendario diebus revocatum esse ad diem 21. Martii, quæ olim in synodo Nicæna æquinoctio Ecclesiastico dies fuerat deputata. Viri nimirum Uranicæ scientiæ peritissimi à summo pontifice Gregorio XIII. in Urbem reformandi veteris calendarii ergo è variis Christiani orbis provinciis evocati, observârunt omni industria illum solis centri in punctum intersectionis vernæ, seu principium arietis vernum ingressum, indeque collegerint expuncta illa decem dierum anticipatione futurum, ut sedi suæ seu vigesimæ primæ Martii verum æquinoctium restitueretur. Quoniam autem æquatio medii loci solaris ferè maxima tunc erat, & additiva, si verum æquinoctium in diem 21. dicti mensis incurrebat, necesse erat æquinoctium medium in cælis contigisse die Martii vigesima tertia. Ergo propter illam, de qua supposito 2. tridui evagationem, facta reformatione statim intra primam tetraeteridem, seu ab anno æræ Christianæ, 1600. ad annum ejusdem æræ 2000. contingere debet, ut medium æquinoctium in Martii diem 22. & 24. aliquoties incidat. Periodo autem quater mille annorum transacta, si ea sit solaris anni tropici medii quantitas, æquinoctia media non tantum ad eosdem dies, sed & dierum horas & minuta perfectè, ut patet, restituentur. His autem suppositis circa annum Christi 11760. quando capricorni initium ab apogæo occupabitur, adeoque maxima æquatio solis loco medio

medio competet subtractiva, si ob illam tridui capedinem æquinoctium medium in diem 24. Martii, ut omnibus tetractidibus fieri aliquoties necesse est, incurrit, verum æquinoctium diem ejusdem mensis 26. exiget, quæ à die Ecclesiastico deputata æquinoctio, seu 21. Martii diebus omnino quinque removetur. Et tamen juxta præscriptos à Nicæna Synodo, & in Calendarii veteris castigatione confirmatos de Christiano celebrando Paschate Canones luna XIV. in diem Martii 21. incidens esse debet Paschalis, atque Dominica, etiam altera die sequente, agatur in Ecclesia Catholica solenne festum resurrectionis Domini. Demonstratum proin manet, Hebræos anno æræ vulg. Christi 29. lunam decimam quartam die 17. Martii tunc occurrentem suo *phase* deputantes, non longius aberrâsse ab æquinoctio, seu mense primo veteri in lege ipsis præscripto, quàm inde post plurima sæcula, si tamdiu mundus duraverit, ipsi Christiani à vero æquinoctio verno distabunt, etiam post reformationem Calendarii tanto studio à viris in re astronomica peritissimis susceptum.

Præterea Epiphaniij testimonio habemus epistolâ 8 à Judæis sæpius in paschate celebrando præventum æquinoctium. Potuit ergo id quoque contigisse anno Æ. V. vigesimo nono, præsertim cùm luna decima quarta in diem Martij 17. illapsa nil sensibile ab æquinoctio verno distaret, seu ab eo anni cardine, quo sol diem nocti æquat.

Statutum scimus octavo Apostolorum canone, ne pascha à christicolis agatur ante æquinoctium. Illud collectio Conciliorum Regia Parisiis in lucem edita ao. 1644. ita refert: *si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum pascha dsem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur*: ergo signum est, quòd æræ christiadum sæculo primo Hebræi æquinoctium in strictiore videlicet sensu acceptum, seu pro ingressu centri solis in principium arietis, pascha suum quandoque celebrârunt: id ergo etiam anno mortis Dominicæ fieri potuit. Dico *quandoque*, nempe tunc, quando luna XIV. non longè aberat à verna interfectione phæbus, uti contigit anno Æ. V. vigesimo nono. Eo enim tempore nullus, nisi melioris notæ Uranicis tabulis instructus, vel subtiliorum observationum siderearum peritus advertere poterat ante æquinoctium pascha celebrari. Nam quòd universim, vel saltèm potissimis vicibus

Hebræi suum phase ita anticiparint, non apparet verosimile, imò oppositum liquidò colligitur è geminis paschatis Judaicis aliàs relatis ex Josepho, in illis siquidem luna XIV. paschalis occurrit multò post ingressum solis in arietem.

Dicta hæcenus affatim, ni fallor, ostendunt, nil obstare vernale æquinoctium. quin anno Æ. V. vigesimo nono die Martii decima octava mortuus dici queat servator, aut Judæorum pascha tunc celebratum. Capite autem sequenti ea magis firmabuntur, ostendendo obitum Domini in eum reverà annum incurrisse neutiquam die 25. Martii, ne contra PP. opinionem & receptum populi Judaici morem dicere oporteat, hebræorum pascha actum esse eo anno non lunà XIV, sed XXII. contra expressam veteris Instrumenti legem, sed ejusdem mensis die decimo octavo. Sit itaque

CAPUT VIII.

Ostenditur tum auctoritate, tum ratione, Redemptoris nostri mortem incidisse in annum Æ. V. 29, quo Romæ Coss. erant duo Gemini Fusius & Rubellius, & juxta meam conditi mundi Chronotaxin censebatur annus 4029, dies verò Martii decimus octavus, periodi Julianæ 4743.

Julianus verò annus 74.

Incipio ab auctoritate maxima, quæ pro isto Æ. V. anno 29. consulatu Geminorum insigni militat. Tertullianus libro adversus Judæos ita scribit *Tiberii decimo quinto anno imperii passus est Christus annos habens 33.* (sic enim legit D. Hieronymus in c. 9. Danielis, & non 30. ut habetur in Tertulliani operibus impressis) *qua passio perfecta est sub Tiberio Casare Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino, mense Martio temporibus pasche die 8. Cal. Aprilis die 1. Azymorum* Ubi notandum, *ty die prima Azymorum* probabiliùs tantùm intelligendum esse de advenis Jerosolymas ad pascha confluentibus. Hi siquidem agnum pridie seu feria V. jam comederant, uti & ipse Dominus è Galilæa oriundus. Urbis enim sacræ indigenæ, scribæ præsertim, Pharisei & pontifices sub vesperum fer. VI. qua

qua in ara crucis immolatus est verus agnus claro, ut mihi videtur, Joannis testimonio *Phase* egerunt, adeoque illorum respectu dies Azyzorum prima in Sabbatum incurrit. Vid. Joannes Harduinus de supremo Christi paschate. Ubi docet Galilæos Jerosolymis solitos fuisse distincto die agere pascha, quam id celebrarent Judæi, diem autem primum Azyzorum Galilæis in urbe sacra non fuisse festum, uti erat dies 1. Azyzorum ipsis Judæis solennis. Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum ita loquitur: *decimo quinto ergo anno Tiberii & decimo quinto Augusti sic implentur triginta anni usque ad tempus quo passus est.* Annus porro XV. Tiberii, à posteriore nempe Epochâ Imperii illius numeratus, erat notatus Geminorum Coss. igitur & Clemens Alex. Passionem Dominicam his Coss. signat, in eo tamen iste Author errasse censendus est, quod unum duntaxat prædicationis annum Domino tribuerit annos vitæ Christi ad solos triginta adstringens.

Julius Africanus Clementi Alexandrino contemporaneus in Commentar. D. Hieronymi ad caput 9. Danielis. *Anno decimo quinto Tiberii Cesaris, quando passus est Christus.* qui ut modò dictum, erat annus consulatu duorum Geminorum notatus. Annos autem Tiberianos à morte Augusti auspiciatum esse claret, alias contra D. Lucæ assertum auctor hic dicendus esset sensisse eodem anno mortuum Christum, quo fuerat baptizatus.

Anonymus, de quo alias, apud Henricum Canisium Tom. 2. antiq. lect. sub Alexandro Severo florens sic scripsit: *A generatione Christi usque ad passionem ejus anni triginta, & à passione ejus usque in hunc annum, qui XIII. Alexandri anni ducenti sex.* Annus autem decimus tertius Alexandri est Æ. V. annus 234, ablati hinc 205. restat annus Æ. V. 29. Passionem Dominicæ ab Anonymo attributus.

Lactantius Firmianus Crispi filii M. Constantini instructor l. IV. de vera sapientia sic loquitur: *Herodes fuit sub Imperio Tiberii Cesaris, cujus anno decimo quinto, id est, duobus Geminis Coss. ante diem 7. calend. April. Judæi Christum cruci affixerunt.*

Antiquissimus Catalogus tempore Liberii Papæ conscriptus, in proëmio hæc notat: *Imperante Tiberio Casare passus est Dominus noster JEsu Christus duobus Geminis Coss. 8. Calend. April.*

D. Augustinus l. XVIII. de civit. Dei c. 54. hoc modo fatetur:

mortuus est ergo Christus duobus geminis Coss. 8. Calend. April. resurrexit tertia die, sicut Apostoli suis etiam sensibus probaverunt.

Severus Sulpitius D. Martini Turonensis discipulus, qui historiam suam ab origine rerum usque ad consulatum Stiliconis, seu Æ. V. annum 400. protraxit l. II. asserit, *Dominum Crucifixum esse Fusio gemino & Rubellio gemino.*

Victorius Aquitanus Canonem suum paschalem hisce verbis auspiciatur: *Crucifixio Christi duobus geminis Rufino & Rubellio. Cui consentit Prosper itidem Aquitanus.*

Fasti sub nomine Idatii à Sirmondo & Labbeo editi ista posteritati consignarunt: *Ruso & Rubellione his Coss. passus est Christus die decimo Cal. April. & resurrexit octavo Calend. eadem.* Idatius porro Gallicie Episcopus chronicon texuit usque ad annum Christi 467.

Antiqui consulum catalogi apud Cuspinianum in commentario habent: *passum esse Dominum Jesum Christum Coss. duobus geminis.*

In auctario Chronici S. Prosperi dicitur: *usitatio traditio habet Dominum nostrum decimo quinto anno Tiberii Caesaris duobus geminis Coss. crucifixum.* Huic quidem traditioni ipse non subscribit ob decimum quintum Imperii Tiberii annum, quo D. Lucas Dominum Baptizatum perhibet, videlicet in eo deceptus, quod non distinxerit duplicem annorum Tiberii Epocham, quod & alios amovit ab opinione inter patres & vetustos Scriptores receptissima, quemadmodum etiam D. Prosper testatur.

Apud S. Irenæum Henschenio teste Tom. I. Apr. l. 2. c. 28. hæc extant: *Passus Christus sub Pontio Pilato anno decimo quinto Imperii Tiberii Caesaris sub consulatu Rusi, & Rubellionis.*

Georgius Cedrenus historicus græcus, *exactius, ait, tempus salutaris istius supplicii à Romanis est notatum evenisse nimirum Geminis Coss.*

Hæc & plura alia vetustissimorum Scriptorum & plurium Patrum testimonia in Pagio, Schelstrate, Henschenio, Gravefonio fusè deducta maximam utique auctoritatem, & momentum conciliat opinioni docenti Æ. V. anno 29. sub consulatu Geminorum passum & mortuum esse Dominum. Certè nulla alia adducere pro se potest non dicam tot testium omni exceptione majorum numerum, sed nec denam fortè hujus numeri partem, si præterea in censum veniant suffragia plurima, & ipsa deductivè saltem pro dicto anno militancia, quæ asserunt

serunt mense Martio in cruce Dominum JESUM expirasse. Etenim anni Æ. V. 30. & 33. qui apti forent, ut Christi morte decorarentur, utpote characteribus binis sextæ feriæ & lunæ plenæ in eandem diem confluentium insigniti non Martium sed Aprilem signant, contra torrentem scriptorum unanimi calculo pro Martio stantium. Si ergo reliqua quoque cap. IV. istius sect. allata nil obstarent prædictis annis 30. & 33. Æ. V. hæc tanta autoritas plurimum ipsis obesset. En iterum quanta ea sit.

Hippolytus Portuensis Episcopus inclytus sub Alexandro Christi Martyr, sic in canone paschali marmoreæ basi inciso, & in Bibliotheca vaticana una cum vetustissima Divi statua asservato. *Passio Domini 8. Calend. April. fer. VI.*

D. Anselmus l. III. de imagine mundi c. 17. qui, inquit, *Evangelium diligenter legerit, Dominum non octavo, sed decimo Cal. April. passum videbit.*

Vetustius occidentalis Ecclesiæ Martyrologium D. Hieronymo attributum à Cassiodoro, Beda, Walfrido Notkero & aliis, à D. Gregorio descriptum, ab Adone laudatum, & nuper asserto Emmanuelis Schelstrate in lucem editum, ita sentit: *Octavo Cal. April. in Hierosolym Dominus JESUS Christus crucifixus est.*

Martyrologium aliud sub finem octavi Christiæ sæculi caractere Anglico exaratum apud Henschenium die 25. Martii ita annunciat: *8. Cal. April. Hierosolymis Dominus crucifixus est.*

Venerabilis Beda l. de ratione tempor. c. 25. sic fatur: quod 8. *Calend. April. crucifix. 6. Cal. April. resurrexerit, multorum latè Doctorem constat sententia vulgatum.*

Codex M. S. apud Cardinalem Casanate Beneventi caractere Longobardico anno Christi 812. conscriptus præfixum gerit calendarium, in quo legitur: *8. Cal. April. Dominus crucifixus est, & conceptus.*

M. S. Martyrologium Regiæ Sueciæ circa medium sæculi noni compilatum idem his verbis testatur: *8. Cal. April. Hierosolyma Dominus crucifixus est.*

Antiquum octingentorum annorum calendarium codici Palatino 485. præpositum ita refert. *8. Cal. Dominicus crucifixus est.*

Anastasius Bibliothecar. in Histor. *Passus est, inquit, in Jerusalem pro nobis salutarem Passionem 8. calendas Apriles.*

Otin-

Octingentorum annorum Codici Vaticano, qui continet Sacramentarium Gregorij M. præfigitur breve Martyrologium, ubi ad diem 8. Cal. April. inseritur: *Annuunciatio, Conceptio & Passio Domini.*

Calendarium Attrebatense anno octingentes. vigesimo sexto conscriptum, & à Luca Acherio t. X. spicileg. editum sic ponit: 8. Cal. April. *Conceptio Christi, & Passio Domini.*

Denique viginti Martyrologia M. SS. quæ suis ipse oculis usurpavit Henschenius in variis Europæ Archivis asservata, veritatem istam de passio in Martio Redemptore confirmant, planèque elidunt Tostati, Ricciolii, Grandamici & aliorum Recentiorum sententiam Christum Aprili mense passum asserere, & initio quidem non sine censura ausam, utpote contrariam tantorum ac tam vetustorum scriptorum multitudini, ac communi fidelium persuasioni.

Ratione verò annus Æ. V. vigesimus nonus Æ. M. 4029. vivificæ Redemptoris morti dicendus ita stabilitur. 10. Anus ille pro se characteres habet feriæ VI, & Plenilunii tam medij, quàm veri in eandem diem, videlicet Martij decimam octavam citra omne dubium confluentes, neque isti anno & mensis diei quidpiam obstat, quo minus in illis generis humani Reparator mortuus dici queat: non anni Imperij Tiberij Cæsaris à D. Luca, cum Dux populi baptizaretur, notati, non mirabilis solis defectio, attonito orbe visa in crucem suffixo Domino, non æquinoctium seu luna XIV. primo mensi, quod paschalis evadat, congruere iussa, nec quidquam aliud, quod solidè contra opinionem istam objici queat, contra verò annis reliquis Æ. V. ubi duplicis characteris antè dicti confluxus cernitur, multa repugnant in superioribus adducta: igitur annus Epochæ communis christi dum vigesimus nonus, Æ. M. 4029. & nullus alius obitu Regis gloriæ immortalis erit decorandus.

20. Vaticinium de LXX. hebdomadis abbreviatis Danieli factum juxta melioris notæ Chronologos & ostensa cap. VI. sect. primæ exordium seu exitum sermonis ut iterum readificetur Jerusalem sumpsit ab anno VII. Artaxerxis. Annum alterum Cyri Regni Chaldaici eadem sectione cap. V. ostendi esse Æ. M. 3466. & ante Æ. V. 535. Canon Mathematicus à Ptolemæo compilatus de annis Imperij Regum Persarum Cyro in Babylonia etiam regnanti tribuit annos octo, totidem Cambyli, Dario Histaspidae triginta sex, Xerxi viginti,

ti, qui in unum conflati, summam exhibent annorum septuaginta duorum, si istam unitate immutatam anno Æ. M. 3465, quia Cyrus tunc numerabat annum alterum regni sui Chaldaici, adjunxeris, in primordia regiminis Artaxerxis Longimani incurres, seu in annum Æ. M. 3536. Ergo annus septimus Artaxerxis, quo contigit, *exitus sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem* fuit Æ. M. annus 3542. Dicit autem S. Scriptura Daniel. IX. 25. *Ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duaerunt*, seu usque ad Baptismum Christi, sub quo coelitus populi Dux declaratus est, Spiritu divino in forma columbæ supra ipsum delapso, & voce Patris audita: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Matth. III. 17. unversim fluent hebdomadæ sexaginta novem, cyclo annorum 483. inclusæ. his proin anno labenti septimo Artaxerxis seu Æ. M. 3542. junctis, obtinetur annus Baptismatis Domini 4025. seu post Æ. V. vigesimus quintus. Subnectit sacer textus. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia*, in morte scilicet Christi Ducis, quando velum templi scissum est. Hebdomadæ dimidium, septennii scilicet, æquatur tribus & sesquianno, quos si adjeceris Baptismo Christi in Septembri, ut sectione tertia probabo, suscepto in annum Æ. M. 4029. Æ. V. 29. à trimestri cœptum incurres,

36. Si Dominica Passio ad annum Æ. V. 29. referatur, Julianum nempe 74. cum postea ostendam Servatorem in his terris vixisse annis triginta tribus cum trimestri, natales ejus in finem anni Juliani 40 incident. Littera Dominicalis istius in Calendario Julij Cæsaris turbato ex præpostera Mystrarum intercalatione harum litterarum, & nondum restituto in integrum ordine, ut patet ex tab. calci primi capituli hujus sect. adjunctâ, littera inquam Dominicalis erat G. anni vero sequentis Juliani 41. F. quæ diei VI. Januarij apposita confirmat illud, quod Augustinus docuit serm. 154. de tempore, nempe annum primum à virgineo partu sextâ Januarij seu in Epiphania Domini fuisse die Dominicali insignem, & idcirco etiam Dominicæ diem laudibus extollit, quia in eo corporaliter videri, seu apparere gentibus voluit *Deus homo*. Nullus autem alius ex annis, qui tribuantur morti Christi aptis, præterquam Æ. V. 29. hanc Hipponensis opinioem salvabit.

4ò. Referunt Auctores citati à Petavio, Seianum Romano in Senatu acriter oblituisse, ne inter deos Christus referretur, ut petebat Tiberius à Pilato edoctus de actis portentosis in vita & morte Servatoris. Omnium alicujus nominis Chronologorum asserto Seianus trigesimo primo Æ. V. anno adnitente Tiberio, qui ratione quacunque hominem sibi jam infensum cupiebat perditum, licet eadem antehac plurimum faverit, violentè vivis est sublatus: ergo Christus nequit dici passus post annum Epochæ communis trigessimum primum: si ergo Seiani interitus relatio subsistat, mors Redemptoris anno ejus ætæ vigesimo nono tribuenda est utpote exijs, qui in controversiam venire queunt feriæ VI. & plenilunij characteribus in unam eandemque diem confluentibus insigni, quod annis 28. 30. 31. neutiquam congruit.

5ò. Denique, Acta Pilati de Rege Judæorum ad Cæsarem Tiberium in urbem missa diem mortis JESU Nazarenæ signant decimam octavam Martij. Cùm itaque annorum controversorum nullus feriam VI. & lunam plenam in eam diem concurrentes nactus sit, ut manifestum reddit tabella ad calcem cap. 3. posita, quàm annus Æ. V. 29. dicendum est, hunc solum obitu Servatoris esse decorandum, & quidem ad diem non 25. sed 18. Martij. Quamvis enim prior sit communis ferè Auctorum sententia, id tamen à veritate alienissimum videbitur re bene perpensa, quippe ipsis etiam saltè antiquis scriptoribus repugnans, qui asseruere vel in ipso plenilunio, vel in Judæorum paschate lunæ plenæ proximo, utpote die decimo quarto mensis lunaris *Nisan* ex institutione Divina celebrari præcepto. Et quis sibi prudenter queat persuadere, tam turpiter Judaicum populum aberrasse, ut Phase suam luna vigesima secunda agerent, quæ tamen anno Æ. V. 29. in diem Martij XXV. ex evidentia astronomicarum tabularum incidit? Scriptores verò illi sanè plurimi, vetustissimi, ac maximi nominis, qui Geminis duobus Coss anno Æ. V. vigesimo nono tradunt, Christum Dominum pro redemptione generis humani cruci suffixum, unà tenuere omnes & singuli (nullus salrè ostendi potest, qui contrarium senserit) lunâ id contigisse vel plenâ, vel non procul à plenilunio sita, adeoque illud fieri non potuit die Martij 25. anni Æ. V. 29. cùm quilibet oculis instructus ea die lunam videre debuerit *Dichotomam*, seu in quadrato aspectu versantem. Caterùm acta illa à Pilato Romam promota quidam rejiciunt velut apocrypha, aut in-

inutile figmentum, alij damnant quasi impia, & nomini Christiano injuria, atque ab Ethnicis juratis Christi assecularum hostibus conficta, multi tamen, ut ostendit Schelstrate sapienter distinguunt inter acta supposititia, quæ olim Pilati nomine circumferebantur, & acta vera, seu reipsâ ab illo Judææ Præsidi Tiberio in urbem transmissa. Priora orthodoxæ fidei odio concinnata jubent faceffere, posterioribus autem ad convincendos gentiles aptis in rem suam utuntur. Fuisse autem ejusmodi acta Tiberio submissa à Pilato, tenent plurimi apud prælaud. Schelstrate fol. 78. Duos inde descripti Justinum Martyrem apolog. II. pro Christianis ita loquentem: *Et postquam cum in crucem egerunt, sortes in illius vestes jecerunt, divideruntque inter se ij, qui cum in crucem sustulerunt: hæc autem gesta esse, ex iis actis, quæ Pontio Pilato Præsidi facta sunt perspicere potestis.* Et Gregorium Turonens, qui l. I. c. 24. ita scribit. *Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & tam de virtutibus Christi, quam de Passione, & Resurrectione ejus insinuat, quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta.* Inter acta autem ea etiam dies Passionis Dominicæ annotatus videbatur. Ex quo quarta decimani teste Epiphanio hæref. L. diem paschatis sui statuebant: *sunt inter eos, inquit Epiphanius, nonnulli, qui unam eandemque diem observant, & una eandemque jejunant, ac mysteriis operantur: nam ex actis Pilati accuratam se hujus instituti rationem didicisse gloriantur, in quibus scriptum est, 8. Cal. April. Salvatorem esse passum, quam ob rem illa ipsa die celebrare pascha volunt, in quamcunque demum luna XIV. diem incurrerit.* Neque acta hæc rejicit Epiphanius, aut eorum auctoritatem in dubium revocat, sed duntaxat objicit varias lectiones, quæ tum allegari solent, ut ait Schelstrate, *cùm de Auctore scriptura convenit.* Nos autem (prosequitur Epiphanius) *ejusmodi Pilati exemplaria quædam invenimus, quæ ad diem XV. Calendas Apriles (NB. hæc est ipsissima dies, in quam feria VI. & Plenilunium anno æræ Christianæ vulg. 29. incidere) Passionem Christi contigisse narrabant.* Quare acta legitima Pilati sufficienti autoritate sulciuntur. Id verò, quod ex ultimo Epiphaniij textu in rem nostram deducere licet, est, plurium quoque exemplarium de actis Pilati testimonio firmari diem XVIII. Martii, quem evidens character Uranicus, Plenilunium nimirum ea mensis die anno Æ. V. 29. celebratum, jam factis discreverat, æquinoctium verò, quod posse obstare videbatur, ostendit.

ostensum abundè est, nil obstitisse. Quid si subin ad Patrum, vel vetustissimorum scriptorum quempiam Catalogus venerit actorum illorum praposterè 8. Cal. April. loco 15. Cal. signans, an non indelabes in tot aliorum scripta, & postea in plurima Martyrologia irrepere potuit? an non quartadecimanorum pertinax singularitas contra praxin Orthodoxæ Ecclesiæ, non die lunæ XIV. sed Dominicâ immediate sequenti christi adum Pascha agere jubentis, meritò quidem damnari potuit, conceptus tamen, de die 25. Martij Christi obitu insignienda, semel inde error in illorum quoque Auctorum lucubrata influere? utinam & hic in numeris VII. & XV. causam minimè dubiam, uti supra in Olympiadibus 201. & 202. deprehendere liceret! veniet fortè dies, quo & istud mysterium fiat palam, & in acta referri possit. Sed cum ostenso, ni fallor, sufficienter anno & die mortis Dominicæ ad conjecturas simus delati, etiam conjectando dispiciamus, cur Auctorum numerus maximus, capitis hujus initio relatus, diem VII. Cal. April. Christi neci deputarint, licèt utique non omnes in eo consenserint, cum tamen ea dies, quippe lunam non plenam sed in quadratura sitam, seu *Dichotomam* exhibens, vel maximè inepta censerì debeat, ut vitali Redemptoris morte decoretur.

CAPUT IX.

Conjectura aliquot, cur Patres, & antiqui scriptores non XVIII. sed XXV. die Martij Christum mortuum dixerint?

SI itaque ex me quærat, quid denique Ecclesiæ Patres totque Scriptores & vetustissimos & gravissimos moverit, ut eorum plerique in 25. Martij consentirent pro Servatoris obitu signando, quamvis dies illa testibus omnibus Tabulis astronomicis octiduo à plenilunio, die 18. ejusdem mensis celebrato, distaret. primò ingenue respondebo, me planè id nescire. Illud mihi indubium, Scriptores illos, si id ipsis fuisset notum, ut Astronomiæ peritis est, & debet esse demonstratum, lunam XXII. in diem Martij 25. Æ. V. anno vigesimo nono incidisse, nunquam diem illum fuisse signaturos pro
Chri-

Christi morte, quam ex Evangelistis sciebant & ipsimet fatebantur in paschate Judæorum contigisse, & ex veteri Testamento, perpetua hebraicæ gentis praxi, Josephi, Philonis & aliorum, qui postillos de rebus Judaicis scripsere clarissimis testimoniis, imò ipsius Domini *observata lege plenè cibus in legalibus*, seu in comestione agni paschalis, certissimum est ita contigisse. Auctores illi recentiores, qui utpote satis imbuti scientia siderali difficultatem agnovère conciliandi anno Æ. V. vigesimo nono diem 25. Martii cum paschate Judaico & Christi obitu, dicunt mendosis Judæos cyclis tunc fuisse usos, uti Pagius uterque senior & junior, Schelstrate, Henschenius, Gravesonius, alii in anno mortis Salvatoris mecum convenientes, uti & mense, in die autem discrepantes, evincere conantur, nuli unquam satis persuadebunt, qui quidem verus Instrumentum & ritus hebræorum, quos inter præcipuus celebratio paschatis, sine præjudiciis legitur, anno mortis Dominicæ celebratum à Judæis pascha in ultima lunæ quadratura. Quamvis enim vitiosi cycli obtentu fors lucrari queant bidui aut tridui capediæ, quod Petavius & alii fortè ipsam secuti se præstitisse censent, quomodò tamen prælaudati quinque Scriptorum integri octidui labem jure impingent populi Judaici Rabbinis? hoc si quis auderet, contra torrentem Patrum & antiquissimorum authorum is niteretur, utpote qui asserunt, & conformiter SS. Paginis asserere debent, Salvatoris obitum vel in plenilunio, vel proximè accidisse. Væ modò dictis Rabbinis, si hebraicæ nationi rituum & cerimoniarum suarum tenacissimæ pascha obtrussissent, tam præposterè consignatum, tam patenter à lege de agendo *phase* Divinitus ipsis data abhorrens! an à lapidibus abstinuissent manus, ne saxea grandine tumularent tam manifestos Divini præcepti transgressores?

Respondebo 2. Si causas hariolari velim consignatæ à PP. & veteribus Scriptoribus diè 25. Martii Passionis Dominicæ, hæc occurrere. 1. Temporibus Apostolorum & scripto & verbo notari potuit annus, mensis, feria, atque etiam dies nempe decimus quintus Nisan, prætermisso tamen diè ipsius Romanorum mensis, seu Martii. Ille siquidem satis colligitur ex anno, lunatione mensis primi, & præcipuè feriâ clarè expressis. Hinc Evangelista quatuor contenti pascha Judæorum, hebdomadæque signasse feriam, & præterea annum Baptismi à Christo in Jordane suscepti, quod Lucas præstitit, uti & paschata subin à latice baptismali ad obitum à Christo cele-

brata, quæ S. Joannes profecutus est, censuere mortis Dominicæ Epocham satis dilucidè & fideliter indicatam fidelibus. 2. Licet traditio Apostolica saltè verbalis de die quoque Martii nempe decimo octavo accesserit, fieri nihilominus haud difficulter potuit, ut dies illa post elapsa integra sæcula traderetur oblivioni, retento anno utpote Geminorum duorum Coss. valde discernibili notato characteristicâ, uti & mense Verbi in utero virgineo Incarnati grandi Mystério pariter insigni. Id testatur experientia, quòd annum & mensem faciliùs, quam rerum gestarum etiam nostro ævo, utut memoriâ dignissimæ sint, diem ut plurimùm tenaciùs mente retineamus, nisi dies ipse characterem alium præferat cuique notissimum, clarumque diei indicem. Occurritque hic fortis præsumptio contra diem Martii 25. Si enim traditio Apostolica verbalis diem istum Domini morti deputasset, cum is ipse Verbi Incarnationi congruat nomine abnuente, haud potuisset subin tam facilè oblivioni tradi, ut propterea inter ipsos primævæ Ecclesiæ Patres in anno & mense Martio consentientes, variæ opiniones de die ipso Dominicæ passionis exorerentur. 3. Cùm recens fundatæ Christi Ecclesiæ visum sit, paschale festum non esse inter Christicolas porrò celebrandum luna XIV. sed Dominicâ immediatè sequenti primi mensis lunam decimam quartam, tum ne Christiani in agendo paschate cum impiis Judæis Domini crucifixoribus aliquando convenirent, tum in memoriam Resurrectionis Dominicæ, forsitan Apostoli ac Discipuli Christi à mensis die, quâ JESUS in cruce obiit, specificè definienda, studio abstinuere, ne Fidelium Grex ansam inde caperet memoriæ obitus Ducis sui quot annis eo ipso mensis die velut anniversario recolendæ, atque quod inde foret consecrarium, tertio ab eo, qui necem Redemptoris subsequeretur, die agendi festum Resurgentis Domini, sive dein illa dies foret Dominica, sive alia hebdomadis feria. E dictis præced. cap. juxta Epiphanium, quòd nempe quartadecimani è die mortis Christi in actis Pilati signato ansam sumpserint constituendi paschatis sui, sive dies is Dominicus fuerit, sive non, satis colligitur, minimè vanam esse conjecturam hanc de reticito studiosè ab Apostolis & Discipulis Domini Passionis Dominicæ die, in quem scilicet dierum mensis numerum is inciderit. Scimus, quot postea nata in Ecclesia Christi dissidia de die celebrandi Christianorum paschatis, quot altercationes occidentalem & orientalem inter fide-

em Gregem exortæ, quantum schismata & hæreses inde pullulantes
 recens erectam quassârint Evangelicæ veritatis Petram: His ergo,
 ne latius serperent, obviam ituri malis Christiani nominis affectæ
 prudenter suppressere potuerunt diei Martii, quo Redemptor cruci
 suffixus, individuum mentionem. Post Concilium verò Nicænum,
 vel etiam antè, compositis utcunque circa pascha Christiadam di-
 scordiis, Patres & antiquissimi rerum Ecclesiasticarum Scriptores no-
 tæ ipsis per traditionem anni ac mensis characterislicæ etiam addi-
 dere Martii diem, quem vel pietas seu pia quædam affectio dictabat,
 jungendi videlicet ineffabili Verbi Incarnationis Mystero 8. calend.
 April. peracto ipsam Dominicam Passionem ac mortem, vel ratioci-
 natio haud improbabilis videbatur legitimè deducere. Cùm enim
 ipsi ex indubia traditione haberent, annum Geminorum duorum
 Coss. mensèque Martium, ac præterea feriam VI. è quatuor Evan-
 geliiis, nec non è veteri Lege, Israelitico populo toties inculcata, lu-
 nam paschalem, quæ ex canone in synodo Nicæna lato sequi debe-
 bat æquinoctium astronomicè acceptum, ac insuper sibi persuaderent,
 solis centri ingressum in arietem Christi temporibus ante diem 21.
 Martii celebrari haud potuisse, citra errandi formidinem conclusere,
 in 25. diem Martii reponendum Servatoris obitum, utpote quæ sola
 in Martio, anno *Æ. V. vigesimo nono*, notam habuit feriæ VI. Evan-
 geliorum asserto morti Domini tribuendæ. Hòcque genus ratioci-
 nii, ut mihi quidem verosimillimum videtur, ipsorumque Patrum &
 veterum illorum Authorum dictis & scriptis conforme, nulla æta-
 tis lunaris habita ratione ab ovo ad malum perfecere. Aliàs enim,
 si lunaris quoque luminis examen debitum suscepissent, evidenti
 fuissent ratione convicti, anno viges. nono *Æræ Vulg.* die 25. Mar-
 tii non esse mortuum Christum Regem nostrum, quippe quem omnia
 quatuor Evangelia, & iidem Patres ac Scriptores luculentis verbis
 ore uno testentur, in paschate Judæorum, seu lunâ vel plena vel fe-
 rè tali fatis esse functum quòd si etiam aliqui eorum vidissent, lunæ
 tempus nullatenus congruisse diei 25. Martii, cùm tamen ipsis neuti-
 quam appareret, qua methodo ferè communis opinio de anno vige-
 simo nono *Æræ Christiadam communis*, mensèque Martio, & do-
 ctina fidei de fer. VI. nec non persuasio firma, ea tamen præpostera
 de æquinoctio post diem vigesimum celebrato, aliter possent invi-
 sem conciliari, nisi assumpto ad id die mensis XXV. sus deque ha-
 bitis

bitis lunæ rationibus pro die illo sterere, arbitrati fors etiam se quippe astronomiæ haud facis peritos, vel Tabulis sidereis minus accuratis instructos, vel denique mutatione aliqua in ipsis luminarium præsertim lunæ motibus facta ob portentosum illud in obitu Domini solis deliquium, per calculos suos non potuisse in genuinam lunationem pertingere ad octav. Cal. April. anni Æ. V. vigesimi noni. Hæ sunt conjecturæ meæ, ut mihi saltem videtur non profus contemnendæ.

Eorum qui stant pro die 25. Martij, licet fatentibus ipsis, ut Pagio utroque, Schelstrate, Gravelonio & alijs in anno & mense nobiscum consentientibus, Plenilunium ab ea die plurimum distet, Godofridus Henschenius in Diatriba prælimin. ad Acta Sanctorum Aprilis conjecturas suas prosecutus est. Inducit ibidem Joannem Kepplerum in Eclogis Chronologicis contra Reusnerum & Calvisium ita loquentem. *In 1a. controversia de paschate heret uterque in Astronomia velut mus in pice. Mirum fatum, ipse Astronomus, ceteros non Astronomos ab Astronomia abstraho in actione hujus causa. Probandum est legitime, Judæos tam bene fuisse astronomicè doctos, quantam hodie cognitionem afferunt ad hanc causam. Ego contrarium affirmo, priscos illos Judæos usque ad Christi ferè tempora in usu Calendarii nihil ultra vulgi captum sapuisse.* Pag. autem 94. ita pergit Kepplerus. *Valde igitur decepti sunt nostri Astronomi his ultimis centum quinquaginta annis, qui ex sua perfectâ Astronomia Pleni-luniam ad Christi tempora, ex Pleniluniis festa Judæorum, ex his & concursu ferie annum Passionis ausi sunt determinare aliam, quam veteres ætati Christi proximi tradiderunt. Si hodie quis omissis computo Ecclesiastico aberrante ex Astronomia perfectâ accomodatis decretis Nicænis, qua jactantur, computaret Paschata superiorum sæculorum, is celeberrimè aberraret ab usuali paschate, & vix unquam justum historiam annum assequeretur. Ex his infert Henschenius: ita Kepplerus verissimè & ad nostram difficultatem accomodatissimè. Hinc nostro adhuc tempore, quando pascha ex præcepto Synodi Nicænæ celebratur lunâ XV. XVI. XVII. tunc qui non admiserunt correctionem Gregorianam Calendarii anno 1582. captam, Pascha celebrant luna Astronomica XXII. XXIII. XXIV. & quandoque integra lunatione, ut vocant, feriùs. Ita anno 1674. quo nos celebravimus Pascha die XXV. Martij luna XVII. (in tabula festorum Cla-*

vii diei 25. Martij respondit luna XVIII. nam XIV. congruit diei 2. (.)
 ii, qui dictam correctionem non admisserunt, suam Pascha celebrá-
 runt mense Aprili, non tamen XII. Aprilis, quæ apud Gregor. Calend-
 darii affectas erat dies XXII. Aprilis. quamvis tunc esset luna XVI.
 (loquitur Henschenius de luna XVI. astronomica aut etiam cyclica,
 ea tamen per reformationem Calendarii Gregorianam correctæ, nam
 in Calendario veteri Nicæno numerus aureus III. prædicto anno
 Christianæ æræ respondens, & ultimo Martij appositus die 12. Aprilis
 non lunam XVI. sed XIII. duntaxat manifestò denotat) sed hebdoma-
 da integra seriùs die XIX. Apr. seu stylo novo aut Gregoriano die
 XXIX. quod absurdum esse ipsi fatentur. Quidni etiam è sententia
 Keppleri aliquot diebus post verum Plenilunium celebrárint suam Pa-
 scha anno scilicet mortis Domini. Rationem immediatè hujus subji-
 cit, quæ mihi omnino visaridicula, sed cum ipse Author fateatur,
 eidem se minus inhærere, neque ego operæ pretium duco illam affer-
 re, & refutare, cum prima fronte se ipsam explodat. Adducit dein
 Henschenius S. Epiphanium, qui cum hæresi 70. §. 2. dixisset: Pa-
 scha ante celebrari non posse, quàm æquinoctium confectum sit, addit:
 Judeos illud nequaquam observasse, apud quos depravata & per-
 turbata erant omnia. Ac præterea Bedam citat, aliòsque à Buche-
 rio in tract. de paschali Judæorum cyclo c. 5. relatos, qui dicunt Ju-
 daeos veteres Pascha indixisse non ex cursu lune sed ex Neomenia cy-
 clo. Addunt alii, pergit Henschenius, apud Moysen nullam pleniluniz
 fieri mentionem, sed solum præscribi diem 14. mensis primi. Citatis
 postea Samuele Petito & Joanne Vossio, qui ambo censeant Judæos
 anno mortis Christi æræ vulg. 29. Pascha non celebrasse luna XV.
 Astronomica, sed civili, denique subinfert: addatur & id quoque,
 quod palàm est, veterum Mathematicorum Tabulas à Metone olim
 fuisse correctas, Metonis deinde à Calippo, Calippi ab Hipparcho,
 Hipparchi à Ptolemæo, Ptolemæi rursus ab Alfraganio esse emenda-
 tas quas velut male tornatas denno ad incudem vocat Alphonsus
 Rex Castelle, & has velut mancas, & impolitas Copernicus reddidit
 lima: istas demum Copernici Tycho Brahe eliminavit, idemque alii ha-
 etenus præstare conantur, ut non temerè proverbialis teneat sermo,
 facilius omnia horologia, quàm Astrologos conciliari posse. Quare
 propter Mathematicorum calculum, aut Uranica phenomèna velle
 à doctrina antiquorum Patrum, unanimi consensu tradita, desciscere,

re, non videtur Viri sapientis, & eloquium Mysticum profitentis, maxime in rebus Judaicis, quod ut Petavius L. XII. de Doctr. Temp. c. 12. observat, Judaicus Cyclus haud accurate lunaribus vestigiis institerit, sed nonnunquam longius aberravit. Ita in rem suam subtilissime Henschenius. Ad ista autem respondeo, rationem Keppleri minime stringere, cum in nostro casu toto caelo sit dispar ratio. Quod enim cyclus lunaris à Nicæno statutus paulò antè reformationis Gregorianæ tempora Neomenias triduo, vel quadriduo præverterit, in confesso est apud omnes, scientiâ astronomica vel parùm tinctos, imò neque ea noticia opus est, cum Summus Pontifex adscitis rei fidei peritissimis, qui modum correctionis faciendæ suggererent, in suis encyclicis ad Principes Christianos & Universitates datis, ut illi methodum ab Astronomis suggestam suo quoque calculo probarent, vel aptius quid proferrent, apertè fateatur, Æquinoctium jam X. dies constitutam olim sibi prævertisse sedem, lunationes verò quadriduo proximè à ratiociniis cœlestibus discessisse. At verò ejusmodi lunæ & quidem octidui aberratio nequiquam liquida est primo Christi sæculo inter Judæos. Imò cum nesciatur, qua in definiendo suo Paschate ipsi usi sint methodo, an videlicet placitis astronomicis, an verò cyclis, & quibus, an denique ex inspecta primæ phasis observatione lunas decimas quartas determinarint, quis audebit jure tantam labem in Paschatis celebratione Judaico populo impingere? cap. 2. hujus sect. adducta Paschata Judæorum gemina primo Christiadum sæculo celebrata è Josepho Hebræo, ubi lunationes belè cœlo respondententes satis ostendunt, cyclum Judaicum, si quo tunc temporis usi sunt, nil à ratiocinijs sideris abfuisse. Alia adversarii Paschata illo ævo à Judæis perperam celebrata & ipsi, si possunt, adducant, & inde demonstrant sui asserti veritatem, de præpostera videlicet Judæorum in paschate celebrando ad id temporis ratione. Id etiam verissimum sit, casto labore consumptum iri, qui ritè vellec Paschata definire è tabulis Astronomicis, ubi constaret illa Paschata determinata è cyclo, & isto admodum mendoso, uti nobis certò constat de paschatis pluribus post Nicænam Synodum sæculis usque ad reformationem veteris Calendarij in orbe Christiano actis. Imò vix ab insipientiæ notâ ablueret, hoc ævo velle è tabb. Uranicis Christiadum Pascha constituere, postquam manifestè à supremo Ec-

clesiæ Præside fidelibus præscriptus est *cyclus Epactarum*, licet raro & vix ultra unum diem à rationibus celestibus abluens. At verò ego quidem non dispicio, quid in sapientiæ leges ille peccet, qui ignoto adhuc cyclo, notòque anno & mense diem ex Astronomicis placitis elicit, quo plenilunium in cœlis contigit vel luna XIV. commissa est, si sciat præcepto Divino constrictos fuisse Judæos ad hæc in sui Paschatis celebratione attendere, si nôrit Patres & Scriptores alios asseverasse, ista ab illo populo curatè fuisse observata, si nil aliud obstat, quo minùs etiam anno mortis Dominicæ id quoque factum dici queat, uti neque obsticisse *Æquinoctium*, quod unum prætendi jure poterat, suo loco ostensum est. Hinc S. Epiphanius asserens à Judæis Christi temporibus præversum *Æquinoctium*, mihi potius, quàm adversariis favet, si videlicet sermo sit de interfectione verna, seu *Æquinoctio* in rigore accepto. Bedam pro me stare textus aliàs allatus manifestum facit, quo nempe hic author luculentè testatur *lunã plenã* Dominum passum. Citati à Bucherio haud tanti sunt ponderis, ut nudum eorum assertum de cyclis vitiatas Judæorum ævo passi Domini, in definiendo paschate adhibitis, antiquissimorum Scriptorum valeant derogare authoritati, contrarium asserentium. Licet Moyses nullam ingerat explicitam mentionem lunationum ipsarum, locutum tamen esse de mensibus & mensium diebus lunaribus & omnium Scriptorum confirmatum est testimonio, & per se manifestum. Tabularum siderearum labes, antiquiorum videlicet à recentioribus fuisse correctas identidem, & ad limam revocatas, ac porro revocandas, hic nil facit ad rem nostram. Diffidium enim, quo minùs limatæ differunt à perfectioribus, non dies sed unam duntaxat vel alteram horam aut solùm minutias horarias æquat. Singulæ, ad experientiam provoco, in eo convenient, ut plenilunium saltèm medium in Martij diem 18. anno *Æ. V.* vigesimo nono reponant, neutiquam in diem ejusdem mensis 25. An prudentius sit in usurpati temporibus Christi à Judæis cycli ignorance illis impingere octidui errorem lippis & tonsoribus, omnibusque qui cælum aspiciant, ibique lunam non plenam sed *Dichotomam* videant, notum primo intuitu, vel sentire & dicere, quod prædicto *Æ. V.* anno Pascha celebratum sit illo die quo agi debebat, atque aliàs juxta legis præscriptum consueverat, quivis æquus rerum arbiter judicet.

dicet. Res ipsa exigit efficaciter probari, non autem solum è conjecturis deduci tam crassam Judæorum hallucinationem. Cur autem Patres & Scriptores vetustissimi contra assertum & opinionem suam propriam dixerint, quòd videlicet Christus mortuus fuerit sub Gemini duobus Coss. Octavo Calend. April. qua tamen die luna non erat plena, sed quadrata, adeoque neque Judaico paschate apta, cum ipsi dicerent obitum Domini in Judæorum paschate, adeoque in plenilunio contigisse. Conjecturas meas antè protuli, quæ huic & similibus aliis objectionibus, ni fallor, facere queant satis.



SECTIO TERTIA.

DE

EPOCHA MUNDI PER
CHRISTI DOMINI NATA-
LES INSTAURATI.

Receptum inter hujus & superioris sæculi chronologos, æram illam quam Dionysius Abbas in orbem Christianum invexit sexto Christiadum Epochæ sæculo, à qua subin fideles in omnibus regionibus annos suos putare cœperunt, præverti à veris Redemptoris Incunabilis, quamvis uno ore fateantur omnes nil esse propterea mutandum in methodo numerandi annos ab Incarnatione, & nativitate juxta Dionysianam hanc Æram passim adhibita, ne innumeræ inde turbæ oriantur. Idem tamen Chronographi vel maxime dissentiunt, quot annis veri Christi natales præcesserint Æram istam vulg rem: nam anni unius aliqui, plures duorum vel trium, alii quatuor, quinque aut sex etiam annorum differentiam inter utramque Epocham constituunt. Quò solidius in re dubia incederem, aliorum secutus vestigia stabilire firmis rationibus antea volui annum passionis Dominicæ utpote geminis, ut dictum, in unam eandemque diem confluentibus instructum characteribus. Eo siquidem noto, supposita opinione communissima de triginta tribus, illique completis Servatoris vitæ annis expeditus ad ipsius Natales eliciendos patet aditus. Neque culpandus venit præpostera, ut prima fronte videri posset, chronotaxis modus, ut ea scilicet prius annum obitus, quam Nativitatis Domini statuatur: id enim & à me & ab aliis, ut jam innui, idèò duntaxat factum, ut firmiori pede in salebroso isto tramite gradum promoveremus. Me quòd attinet, candidè fateor, quàm plurimis lectis auctoribus, nullum ita satisfecisse, ut ire cogeret in suam sententiam quoad annum verorum Christi natalium. Characteres siquidem Chronologici in eo definiendo

O 3

vide-

videntur deficere, saltè illorum nullus suppetebat, qui appareret infallibilis Æræ istus indubiè constituendæ tessera, vel tantum moralem evidentiam pareret, cui intellectus hominis cordati & possit & debeat acquiescere, uti binas habemus certissimas digerendorum temporum notas pro anno servatoris morti tribuendo. Argumenta attamen aliqua præsentis sectione dabo, ex quibus independenter etiam ab Epochâ passionis Dominicæ sufficienter inferri queat Æra nativitat. Ad elucidationem quatuor capita præmitto, quæstionem ipsam quintum discutiet.

CAPUT I.

Ostenditur Christum à suscepto Baptismo quatuor supervixisse Paschata.

DE tribus nullus orthodoxus facilè dubitabit, quippe dilucidè à Joanne Evangelista assertis. Primum notatur cap. II. 23, ubi de Jesu assertitur: *Cum autem esset Jerosolymis in pascha, in die festo.* Ubi in rem nostram potest notari, Judæorum pascha antonomasticè nuncupari *diem festum*. Ex quo inferitur, diem festum sine addito à S. Joanne assertum loco paschatis habendum. Secundum iterum clarè ab eodem Evangelista exprimitur c. VI. 5, ubi inquit: *erat autem proximum pascha dies festus Judæorum.* En confirmationem illationis nuperrimè factæ! Pascha tertium omnes quatuor Evangelii Hagiographi referunt, quo videlicet Dominus juxta legis præscriptum agnum pridie comedit, quàm ipse in ara crucis immolaretur. contendo addendum etiam Pascha quartum à Domino transactum post sacratas attactu suo Jordanis Undas. Harduinus quidem id omissum censet à S. Joanne, negatque illis verbis exprimi c. VII. 1. postis: *Post hac erat festus dies Judæorum.* A reliquis tamen Evangelistis relatum dicit, eo quòd dilectus Christi discipulus nil eorum, ut ipse autumat, attigerit, quæ Magistri prædicationem antecessere. Sed communis opinio authorum quatuor à Baptismo paschata numerantium tenet, per verba Joannis *erat festus dies Judæorum* pascha denotari. Idque sic ostendo 1. quia Evangelist

gelista ille per diem festum Judæorum, nil aliud intelligit, quàm solennitatem paschalem, ut ex duobus paschatis antè adductis liquet. 2. Quando affert festum Judæorum à paschate diversum etiam quale illud sit, explicitam mentionem ingerit; ut cum c. VII 2. dicitur: *erat autem in proximo dies festus Judæorum, scenopegia.* 3. E regione textûs: *erat festus dies Judæorum.* c. V. 1 citantur in margine leuiticus, & Deuteronomium iis locis, ubi manifestè agitur de paschate Judæorum: ergo & textus S. Joannis de eodem festo est intelligendus, aliàs ea citatio foret, ut dici solet, aries præter parietem. 4. Si Christus à Baptismali latice in vivis non transegit quaterna paschata, neutiquam verificatur vaticinium Danieli factum & c. 8. præcedentis sect. relatum, quòd scilicet multis sit confirmandum pactum unâ hebdomada, septuagesima nimirum, & Christus Dux occidendus in dimidio illius, ac defectura hostia. Vel enim eo, quo baptizatus Servator anno, iste baptismus præcessit, vel est secutus paschatis tempus? si prius dicatur, ipse annus Baptismatis involvisset pascha primum, alter insequens secundum, annus denique tertius mense tertio vel quarto pascha tertium, quo sententia tria duntaxat paschata signans Domino post Jordanis aquas in vivis degente, illum mortuum asserere debet: ergo non in dimidio hebdomadæ triennium ultra semestre complexo, occisus esset Christus post Baptisma sed ultra unum annum, ut patet, antea. Si verò dicatur posterius, videlicet Baptisma à Christo solùm post pascha receptum, eidem anno tribui summùm poterunt menses novem, binis sequentibus, totidem paschatis distinguendis, biennium, & anno quo cruci suffixus Dominus, trimestre circiter, sicque conficiemus annos universim tres hebdomadæ dimidium neutiquam æquantes. In hac proin opinione admittente tria duntaxat paschata à Domino Baptizato inter vivos peracta, nullatenus impletur dictum vaticinium.

Vice versa admissis paschatis quatuor res erit salva. Nil enim cogit asserere Servatorem Jordanis flumine tinctum ante pascha. Pono ergo receptum à Christo Baptisma anno *Æ. V.* vigesimo quinto seu in mea mundanæ Epochæ Chronotaxi *Æ. M.* 4025. diu post anni istius pascha scilicet die septembris XVI, quæ erat Dominica, & idèd hoc pono, ut cum Ecclesia sententiam canente: *Tribus miraculis ornatum diem sanctum (Dominicum scilicet) colimus. Hodie stella magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias*

nuptias: hodie in Jordane à Joanne Christus Baptizari voluit, ut salvaret nos. Item cum Hipponensi, diem Dominicam loco alias citato etiam idèò magnis laudibus extollente, quòd in eo baptismum sumere dignatus sit Dominus. Sic obtineo tres vitæ Christi Ducis annos integros nempe Æ. V. 26. 27. 28. totidem paschatis discernendos, & præterea annum dimidium à XVI. die septembris ad diem Martii XVIII. qua Geminis Coss. in quarto paschate Dominum cruci suffixum ostendi anno nempe Æ. V. 29. Æ. M. 4029. seu dies unversim 1278, quot à die septembris ad diem Martii intercessere, seu hebdomadæ septuagesimæ Danieicæ præcisè dimidium, ut patebit ritè computos subducenti. Atque ob hanc ipsam rationem medietatis hujus hebdomadariæ recedendum duxi ab ea sententia, qua die VI. Januarii anni vulg. Æræ vigesimi sexti Christum baptizatum arbitratur. Inde enim usque ad occisionem Ducis nostri non intercederet triennium cum semisse, sed solum cum trimestri circiter, quantum dies sexta Januarii anni Æ. V. 26. à decima octava Martii anni Æ. V. 29. recedit.

Posset ulterius ex Baronio ad annum mortis Dominicæ sic ostendi diem istum festum pascha fuisse. Antequam de die illo c. V. v. 1. facta sit mentio, Dominus discipulos suos allocutus c. IV. 35. ita inquebat: *nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* Ergo illud tempus, quo ita Christus est Apostolis locutus, quadrimestri distabat à messe seu fine Martij: nam in palæstina tunc fruges meti solebant, adeoque initium Decembris idem tempus respiciebat. Vel ergo dies ille festus Judæorum, de quo c. V. 1. anni ætate excedebat festum paschale, vel huic congruebat, vel denique pascha prævertebat? si dicatur primum aut secundum, patet intentum, quòd nempe vel supposuerit festum paschale ab eo diversum, de quo subin agitur c. VI. 5. à nemine in dubium revocabili, utpote, quòd uno anno præcessit Christi pascha ultimum, ejusque morte sacratum, vel quòd fuerit ipsum pascha eadem ratione distinctum à paschate cap. VI. Si verò dicatur, quòd ille dies festus Judæorum præcesserit solennitatem paschalem, tunc incidere id festum debuisset uno ex tribus postremis anni Judæorum sacri mensibus, scilicet *Adar, Sebeth, Thebet* respondentibus Februario, Januario, & Decembri nostro. Atqui illis mensibus nullum in calendario hebraico occurrit festum, saltem à Deo institutum, vel tale quod

sim-

simpliciter festi nomine appellari queat. Unum mense *Adar* celebratur festum sortium, seu *Phurim*, quod tamen solum est institutionis humanæ, & non videtur probabile *festi* nomine sine addito fuisse ab Evangelista signandum, cum aliorum festorum etiam Divina institutione apud populum Judaicum inductorum ab eo fieri soleat specifica nuncupatio, ubi de ijs sermo est, ut supra notatum.

Superaddunt pauci Paschatis quatuor transactis à Christo post susceptum baptismum etiam quintum, sed citra fundamentum, ut videtur satis firmum: non enim istius quoque adstruendi versus aut textus S. Scripturæ afferri potest, qui id evincat. Nam quod cap. VII. 37. Joan. dicitur: *in novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus & clamabat*, intelligendum non esse de festo Paschatis, nota marginalis clarè indicat Levitici cap. XXIII. 27. citans, ubi festum Expiationum refertur mensis Judaici septimi decimo die celebrandum. Ceterum lectione illius cap. VII. Joan. liquebit, *festivitatis diem magnum* fuisse Scenopægiæ seu tabernaculorum festum ejusdem mensis septimi die quinto decimo & septem sequentibus diebus magnas inter solennitates agendum, ut constat ex capite Levitici. In hac porrò s. Paschatum sententia, quod de tribus duntaxat admissis nuper diximus, non fuisset impleta propheta de Christo Domino in dimidio hebdomadis occidendo. Claret hoc, si recepisse baptismales aquas Servator dicatur post celebritatem paschalem: quatuor siquidem Paschata totidem annos Baptismum consecutos deposcent, Pascha verò quintum trimestre circiter, adeoque minimum aliquot menses ultra quadriennium, quod hebdomadæ dimidium annua ferè periodo excedit. Si verò asseratur collatum Christo Baptismum ante Pascha, seu ante elapsam annui spatii quadrimestre, addito triennio ternis debito paschatis primi & quinti paschæ mensibus, quadriennium proximè constabitur semestri ferè exsuperans hebdomadis partem mediam.



P

CA-

CAPUT II.

*Ostenditur triginta tres annos completos cum
trimestri circiter in carne mortali vixisse
Dominum.*

DUplex est Authorum sententia de annis Christi post Ipsi-
us Natus usque ad obitum in cruce. Prima longè communior,
magisque persuasioni Fidelium conformis, asserit Eum in his
terris vixisse, antequam extremum pateretur, annos triginta
tres integros, & trimestre proximè, altera, quam notabiliter, ut arbi-
tror, pauciores sectantur, annos triginta tres non completos tribuit.
Superiori quidem sæculo tertia pauculorum enata opinio censentium
vitam Christi ad triginta sex omnino, vel septem annos extenden-
dam. Nempe hi apud se concluderant, annum Dominicæ Passionis
Æ. V. trigesimum tertium fuisse, quippe duplici tessera in unum ean-
demque diem confluyente liquidò notatum, videlicet Plenilunio, &
quidem Ecliptico tertia Aprilis fer. VI. commisso: quasi verò utri-
usque characteris lunæ plenæ & feriæ VI. confluxus foret signum in-
fallibile illius anni discretivum, cum ostensum sit utrumque etiam
Æ. V. anno vigesimo nono fuisse proprium, in quem præterea con-
sensere tot Patres & antiquissimi Scriptores, nec non tam gravia ra-
tionum momenta conspirant. Hi ipsi insuper Auctores censebant,
ostendi posse Nativitatis Dominicæ annum ex Zachariæ sacerdotio,
quo in ordine vicis suæ functus est, extitisse nimirum à Julio Cæsare
quadragesimum primum, aut secundum, quasi ab anno Juliano sep-
tuagesimo octavo indubiè respondentem Æ. V. trigesimo tertio subdu-
catur, ætatem vitæ Christi relinquet ad annos 36. vel 37. ascenden-
tem. Pauculos tamen istos Scriptores haud moror, licet enim he-
teroclitra hac, & communi persuasioni repugnante chronotaxi de an-
nis vitæ Servatoris transactis bene salvent, quomodo in diebus He-
rodis natus sit Dominus, malè tamen singulari hoc sentiendi modo
receptissimis duabus opinionibus de morte in Martio obita, & vita
Christi non ultra triginta tres annos protendenda ipsi contradicunt,
præ-

præsertim ubi ratio suppetit alia, atque etiam facilior id ipsum præstandi numero Authorum maximo suffulta, quem opinio de obitu Domini anno Æ V. 29. ut supra ostensum, pro se valet allegare.

Esse porrò Salvatoris vitam ad annos triginta tres completos potius, quàm inceptos extendendam Cæsar Baronius ad annum mortis ejus 34. ut ipse numerat, seu Æ V. 32. efficaciter probat, imò extra dubium & controversiam statuere non dubitat, ob communem videlicet Fidelium persuasionem, Tantis autem, ac tam gravium Scriptorum hæc de annis 33 expletis opinio nititur testimonijs, ut Henrico Philippi insigni ævi superioris Chronographo temerarium, ne quid amplius diceret, semper visum fuerit, eidem refragari. Subscribunt enim illi Bellarminus, Salmeron, Spondanus, Torniiellus, Saliarius, Barradius, Mariana, & RR. Historicorum ac Chronologorum plerique, qui rem hanc solidè & ex instituto arbitrati sunt. Laudantur pro ea sententia à Suario, & Lorino Divi Hieronymus & Chrysostomus, Onufrinus, Genebrardus, & Dionysius Abbates, cum alijs plurimis. Chronicon Alexandrinum ad annum XVIII Tiberij Cæsaris ita signat: *Verfatus est Dominus nobiscum in terris & morborum, languorumque omnis generis malacuravit annos triginta tres & menses tres.* S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos sic scribit: *Expletis tribus annorum decadibus baptizatus est à Joanne, & tribus annis predicavit,* utique etiam completis, cum quatuor Christus à suscepto Baptismate exegerit Paschata, annos tres & trimestre circiter exigentia. Salmeron tom. I. proleg. 38. ferè ad finem dicit, invenisse se inter manuscriptos Tractatus Joannis à Turrecremata unum, qui inscribitur in quinque conclusiones Episcopi Abulealis de mandato Pontificis examinatas, & damnatas. Earum prima erat: *Dominum Jesum passum anno ætatis 33. corrente.* quasi foret articulus fidei traditio illa antiquissima de annis vitæ Christi triginta tribus, & trimestri circiter, ut oppositum Vaticano fulmine affari debeat. Hinc Venerabilis Beda de ratione tempor. c. IV. loqui non dubitavit: *Habet ni fallor Ecclesia Fides, Dominum in carne paulo plus, quàm 33. annis usque ad sua tempora Passionis vixisse, quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, sicut Lucas Evangelista testatur, & tres semis annos post baptismum predicaverit.* Ubi adverto id. contra aliquos in citato Bedæ asserto nodum


in scirpo quærentibus, quasi *ly in carne vixisse*, etiam denotet novem menses verbi incarnati permanentiæ in Virgineo Matris utero; quis enim de infante heri nato & denato vel mortuo, unquam dixit: *vixisse illum per novimestre circiter?* quamvis neque sic vitiligatores ejusmodi, paulò plus quàm 33. annos sint exsculpturi, ut consideranti patebit. Adverto 20. Bedam Domino undis Jordanis tincto præcisè tribuisse Danielicæ hebdomadæ dimidium seu *tres semis annos*. Ex quo ipso

Ostenditur annorum vitæ Christi ætas triginta trium completorum ulterius 10. quia cum tres, & semis annos prædicarit, postquam teste D. Luca fuerat annorum *quasi triginta*, si Dominicæ ætati in Baptismo assignentur, ut mea sentit chronotaxis, duntaxat anni completi viginti novem, ac novem circiter menses, exhibebitur in dimidio hebdomadæ, qua occisus Christus Dux, hujus ætas annorum triginta trium cum trimestri. Si autem solùm 32. vitæ annos cum tribus proximè mensibus Duci nostro morienti dandos censueris, stante Bedano illo, & *tres semis annos post Baptisma prædicaverit*: dicere cogaris, Dominum, quando evangelizandi munus est auspiciatus, duntaxat explevisse vitæ annos viginti octo cum paucis mensibus: quomodo ergo congruè dici potuit: *erat quasi annorum triginta*, quando Baptismum suscepit? 20. Patroni sententiæ de annis Christi 33. duntaxat captis numero longè pauciores idèo ita censuere, quòd crederent tria solùm post Jordanis lavacrum ab eo transacta Paschata: ergo cum cap. præcedenti ostensum sit, Paschata illa quaternario esse definienda, isti quoque Auctores dicere convenienter debebunt, fuisse annos 33. completos à trimestri proximè. 30. quamcunque tueare hic opinionem, certum tamen etiam in ea esse debet, Dominum natum *in diebus Herodis Regis*, cum id doceat veritas Evangelica. Matth. II. 1. adstructis autem vitæ Christi annis 33. solùm inceptis id non potest ostendi certum; non enim certum est, an Herodes fati cesserit anno Juliano 41. an verò 42. prius tenuere ex RR. aliqui haud ignobiles, posteriùs sentit communior, cui c. IV. præced. sect. ego subscripsi. Infra siquidem ostendetur, Josephi Hebræi asserta omnia de annis Herodiani Regni commodè salvari posse in utraque mortis Tyranni opinione. Christus enim, ut priori sectione capite ultimo præsertim ostensum, diem suum obijt Geminis duobus Coss., seu anno Æ. V. 29. Juliano fluente 74.

Deme

Demehue 32. completos, remanebit 41. Julianus ad finem vergens. Mortuo itaque juxta mentem aliquorum illo ipso anno Herode, etiamli mortuum fingeres isto exeunte, & cum multis dices die sexto Januarii recens natum Deum-Hominem à Magis adoratum, quomodo illa subsistent, quæ de Herode Matthæus recenset cap. II. ? hæc vero indubia stabunt in opinione 33. annos vitæ Christi completos asserentium; istis siquidem demptis anno Jul. 74. relinquetur Julianus annus 40. expirans, quo certò in vivis adhuc debebat Rex Idumæus. 40. Denique debet itidem certum esse fide humana, interfuisse Caium Cæsarem Archelai Herodis filii causæ in urbe actæ ab Antipa filio altero post obitum patris contra ipsum Archelaum fratrem. Id enim testantur profani Scriptores duo Vellejus l. 2. & Dio l. 55. disertisque verbis tradit Josephus l. II. c. 3. aliàs occasione hujus litis citatus. *Ed, inquit Hebræus scriptor, Romam scilicet, cum venisset, (de Archelao loquitur) Cæsar amicos in consilium advocat, & in his Caium Agrippa, & Julia filia sua filium, jam à se adoptatum, primum ei locum in consistorio tribuens.* Si itaque Servator obiit 33. ætatis anno solùm à trimestri incepto, adeoque anno Juliano exeunte 41. suis orbem Navalibus illustravit, Herodes dici nequit vivis sublatus alio, quàm anno Jul. 42. & quidem non circa Pascha, quod non pauci tenuere minùs rectè Josephum interpretati, sed in Novembri, ut subin ostendetur. Consequenter Archelaus, qui teste eodem Josepho post Pascha mortem Herodis Patris subsequens Romam se contulit in causa paternæ successionis, sua contra Antipam fratrem jura tuiturus, primùm anno Jul. 43. in Urbem appulisset circa finem Maji vel Junij initium, quo tempore juxta Petavium & alios Caius in Provincias missus, & primùm reversus in Urbem ad ludos ab Augusto ibidem datos initio anni Jul. 44. non fuisset Romæ, qui tamen certò perhibetur interfuisse causæ Archelaiianæ.

Ratio hæc ultima congruentiæ limites
non excedit.



CAPUT III.

*Ostenditur Chronologiam Flavii Josephi de
annis Regni Herodiani non esse mendosam, quod
auctores aliqui causantur.*

Dixi aliqua in laudem Flavii Josephi c. IV. sect. II. & quod præfertim in gestis Herodis magni posteritati transcribendis scriptor ille, si quis alius solers fuerit & accuratus. Id verò præprimis contendo, chronologiam ejus annos Herodiani regiminis complexam vitio, & labe carere, id quod scriptores ex RR. non pauci credidère, isque haud obscuri nominis. Cætera, quæ alii in re historica Josepho hebræo crimini vertunt, nil ad scopum faciunt. Esto enim reticuerit aliqua, licet memoriâ digna, idque etiam fide non bona, ut sunt adventus Magorum Jerosolymam, turbatio exinde sacræ urbis, concilium ab Herode indictum, ut sciscitaretur de loco Messæ nascituri, infanticidium, ut is jam natus è medio tolleretur crudeliter imperatum, & crudelius datum executioni tot innocentum fuso sanguine, & si quæ sunt ejusmodi à Josepho in vita & rebus Herodis dissimulata. Quid tamen ista momenti habent ad evincendum, quod Author illè vel fuerit deceptus in Epochâ Regni Herodiani, & annis digerendis, quæ acta Idumæi Regis erant consignanda, vel alios decipere voluerit Christiani nominis odio, aut sine alio præpostero? quid enim mala hac fide, de qua facilè à contemporaneis scriptoribus redargueretur in rem suam lucrari poterat? acta illa Herodiana ætate patrum contigerant, & apud plerosque erant in recenti memoria. Ostendi loca cit, luculentè indicatam à Josepho Epocham Regni Judaici à Senatu Romano Herodi decreti L XIV. antiquit C. 26. cum illud Senatus consultum, ut in Judæa Herodes regnaret, editum dixit Domitio Calvino & Asinio Pollione Coss. anno videlicet Juliano VI. æram verò alteram Regni nimirum adici ab eodem Herode post detrusum Antigonom æmulum ille Hebraicus scriptor c. 28. demonstravit, cum triennio post id factum scripsit anno Sabbatico, temporum caractere certissimo, Coss. vipsanio Agrippa, & L. Canidio Sallo, nempe anno Juliano 9. Utrâque hac Epo-
cha,

cha, ubi anni Regiminis Herodiani occurrunt, jugiter præ oculis habitâ, omnino plana decurret tota circa res gestas Idumæi Regis Chronologia. Mortem itidem Herodis L. XVII. c. 10. Josephus rursus liquidò denotat, cum eum regnâsse dicit, ut Antigonum æmulum sustulit *annis triginta quatuor*, postquam autem à Romanis *Regnum obtinuit triginta septem*. Capite verò ejusdem L. XVII. Flavius refert, Tyrannum cum fato jamjam luctantem ad septuagesimum suæ ætatis annum accessisse.

Propius quid in rem suam affere videntur illi, qui Flavii Chronologiam in annis Herodis haud esse labis immunem evincere volunt, cum dicunt testari Josephum L. XIV. c. 14. Herodi à Patre Antipatro Galilææ gubernationem commissam, *cum esset admodum juvenis, nam 15. non amplius annos habebat*. Ex quo Judæi Scriptoris testimonio, & iis, quæ nuperrimè allata de ætate Herodis ad septuaginta annos producta, ut idem Josephus asserit, contra ejus Chronologiam potenter, ut ipsi quidem autumant, ita arguunt. Herodes, cum à patre Galilææ administrationem suscepit, annos duntaxat 15. erit natus. Quod eodem Flavio referente *per idem tempus* contigisse videtur, quo ipsi Antipæ à Julio Cæsare collata potestas instaurandi muros Jerusalem à Pompejo destructos, seu juxta solertissimi Petavii calculos anno urbis 707. cum itaque tota ætas Herodis asserto Josephi ad LXX. ferè annos sit extendenda additis anno urbis 707. annis 54. vel 55, qui scilicet à decimo quinto ad septuagesimum Herodis vitæ annum sunt elapsi, obtinebitur annus urbis 760. vel 761. morti Herodis assignandus seu Æ. V. annus septimus vel octavus, ante quem tamen pridem obiisse Tyrannum est, & esse debet Chronologis omnibus manifestum.

Etiam ii, qui alias Flavii Chronologiæ favent, illamque ab adversariorum obiectis tuentur hic titubant, & responsis dubiis rem potius implicant, quam explicent. Sunt qui hic Hebræum scriptorem humani quid passum, & hallucinatum fateantur. Alii locum illum: *nam 15. non amplius annos habebat* tribarum incuria corruptum suspicantur, quippe qui loco 15. debuissent scribere 25. tertii denique relicto annorum quindecim numero invariato errorem legunt in Herodis ætate ad annos 70. extensa, cum solum 60. exarari debuissent. Sed nunquam mihi placuere varia hæc, & minimè expedita ad obiectam Josephæ chronotaxi labem responsio. Si enim in illo loco quoad

annos Herodis est hallucinatio scriptoris Hebræi, magna saltè inge-
ritur suspicio, ne in aliis quoque Chronologiam vitæ, & factorum
Herodis spectantibus bonus dormitârît Homerus. Si Josephus pri-
mò scripsit Herodianæ ætatis annum 25, & amanuenses descripsere
perperam 15, qui mirari potuit, quòd viginti quinque annorum juve-
nis tanta, quæ ab ipso recensentur, in suscepto Galilææ regimine præ-
stiterit. Herodianis actis illustriora dedere multi in pari ætate, &
nil ferè adultior totum suo dominio orientem subegit Alexander
Macedo. Et quo jure viginti & quinque jam annos natus Herodes
nuncupatus à Flavio Judæo *admodum juvenis?* nec Pagii, nec Peta-
vii animadversiones intellectum satiant. Si verò tantum annos sexa-
ginta in vivis egisse dicatur, qua fronte Josephus Tyranni vitam nun-
cupat *longissimam?* Dico ergo & 15. duntaxat annorum fuisse He-
rodem, quando Galilæam procurandam à patre Antipa accepit, & gran-
dævum annorum proximè septuaginta, cum post Christi gloriosos
Natales ipse inglorius, & ob ferinam crudelitatem invisus omnibus,
penèque sui ipsius carnifex factus cessit. Id autem nego, & pernego,
annum fuisse urbis septingentesimum septimum, quando primò Ga-
lilæam à patre administrandam accepit. Unde enim annum istum li-
quidò adversarii deducunt? inde haud evincitur, quòd Josephus asse-
rat, Antipatrum Herodis parentem à Julio Cæsare post devictum Pom-
pejum in Palæstinam delato constitutum esse Procuratorem Judææ. Id
enim munii antecedenter à Pompejo post captam anno urb. sexcentef.
nonages. primo Jerosolymam Antipater obtinuisse potuit, adeoque He-
rodes à patre suo constitui Galilææ Præfectus, longè ante annum ur-
bis 707. quando ipse censebat annos quindecim, urbis verò numera-
batur annus 694. vel 695, ab anno ejusdem urbis 749, quo in nostra,
& Josephina chronotaxi vivis ereptus Herodes, 54. vel 55. annorum
periodo remotus, & Tyranni vitam ad annos 70. protensam demon-
strans. Collatam porrò dignitatem Præsidis Galilææ anno urbis 707.
nulla efficaci ratione suaderi potest. Certè lecto curatè ea de re Jo-
sepho nil colligi valet idoneum ad id evincendum: Quin imò Anti-
patrum Pompeii favore, quem contra Parthos strenuè juvit, Judææ
procuratorem adeptum, luculentus testis est Sulpicius severus Bicu-
ricensis Archiepiscopus, dum L. II. Historiæ sacræ refert, pompejum
captis Jerosolymis anno urb. 691. M. Tullio Cicerone, & Antonio
Nepote Coss. constituisse Antipatrum quemdam Ascalonitem Judæis
pro-

procuratorem, cujus Antipatri filium dicit fuisse Herodem. Imò & ipse Flavius L. XIV. c. 14. Antipatrum hunc Judæorum vocat Gubernatorem, quando necdum à Julio Cæsare dignitatem eam erat consecutus, quod ipsum Auctor Hebræus cap. XV. repetit, Strabonem Cappadocem itidem Historicum adducens, qui Antipatro id muneris tunc attribuat, quando necdum à Julio Cæsare procurator Judææ erat constitutus. Nam istius Antipatro à Cæsare collatæ potestatis mentio primùm fit sub ejusdem cap. XV. finem, ubi antiquit. Judaic. scriptor ita loquitur: *Cæsar oratione Antipatri motus Hyrcanum in Pontificem declaravit, Antipatro Dynastiam, quamcumque ipse optaret obtulit, & procuratorem insuper Judææ declaravit.*

Ponamus autem, quod ego quidem nunquam concessero, ponamus inquam, vel locum Josephi Hebræi quoad annum ætatis Herodis, quando Galilææ fuerat præfectus, scribarum errore corruptum, vel ab ipso Historico per imprudentiam primitus perperam conscriptum, quis tamen annos Regni Herodis vitiatos jure causetur in Josephina chronotaxi, cum & initium utrumque tum decreti à Romano senatu, tum aditi Judæorum Regiminis post detrusum solio Antigoni certum à notatis consulibus habeamus, finem verò ab ætate Herodis longissima, & ad septuages. annum accedente tenearius manifestum? fuerit mea pace procuratoria dignitas Antipatro etiam primò collata à Julio Cæsare, adeoque Herodes jam annos viginti quinque natus Galilæam assumpserit gubernandam urbis anno 707. inconcussum tamen, & si quæ adhuc fides Historica, certum manet, anno Juliano sexto exeunte, seu Coss. Domitio Calvino iterum, & Asinio Pollione, adnitentibus Augusto & Marco Antonio, Romani Senatûs consulto Herodi decretum esse Judææ Regnum, & anno Juliano nono, seu Coss. M. vipsanio Agrippa, & Livio Canidio Galio post devictum eo anno Sabbatico Antigoni Regnum illud aditum ab Herode, hunc verò decessisse anno prioris Epochæ trigef. septimo, posterioris trigef. quarto, seu Juliano quadragesimo secundo; tria etenim hæc verbis disertis errori, vel corruptioni scribarum, aut typosetarum minimè obnoxii testatur Josephus, primum quidem L. XIV. c. 26. alterum c. 29. tertium L. XVII. c. 10.

Q

CA-

CAPUT IV.

*Ostenditur Herodis interitum non in Pascha
Judaorum, ut multis placuit, sed in Novembrem
incidisse, probabilius anni Juliani 42.
quàm 41.*

Præter illa, quæ prioris Sect. c. 4. dicta de morte Herodis, in annum Jul. 41. incurrente, oportet & alia huc facientia afferre, quæ efficacius suadeant, fato Herodis annum hunc 42. potius competere, quàm 41. Ex una siquidem parte Authores nobiscum convenientes in anno mortis Domini, seu Æ. V. 29. uti & Nativitatis uno ab altero annis triginta tribus, & mensibus ternis distante, in diversa tamen abeunt, quoad fatum Herodis, quod aliqui anno Jul. 41. alij 42. alligant, ex altera verò parte tum allata supra, tum, quæ afferri possent alia Flavii Josephi testimonia, licet manifestè probent, necem Regis Idumæi non posse differri ultra annum Julianum 42. de 41. tamen adhuc commodè exponi queunt. Quamvis enim Epocham utramque, & decreti & aditi ab Herode Judaici regni certam teneamus ob consules utrobique ab Hebræo Scriptore signatos, nescimus tamen, an Auctor ille annos completos, vel solum inceptos regiminis ab utraque æra desumptos computet, quando anno trigef. septimo Epochæ prioris & trigef. quarto posterioris Tyrannum fati cessisse memorat. Factus à Josepho fuerit computus sensu priore, si anno Juliano sexto jam ad finem vergenti, vel anno nono circa solstitium æstivum versanti addantur utriusque Epochæ Regiminis anni, Herodis mors consignanda veniet quadrages. secundo anno Juliano. Si verò ponatur supputatio inita sensu posteriore, & quidem ita ut anni Regni ab Epochâ prima fuerint tantum triginta quinque completi, à secundâ triginta duo pariter expleti ad annum Julianum 41. fatum Herodis delabatur. Videtur quidem methodus computandi præcedens esse alterâ connaturalior, atque etiam probabilius à Josepho fuisse adhibita, non tamen omnino certa est. Absolutè enim potuit annus primus Regni tribui anno Juliano sexto vel nono, ad.

adhuc usque ad diem postremum Decembris fluenti, ultimus verò Regiminis triginta septem, & triginta quatuor ab una & altera Epòchâ deductus, anno Juliano 41. assignari. In his itaque vulgaribus, atque politicis annos numerandi supputationibus biennii amphibolia se miscet. Præcessit quidem obitum Herodianum character ejusmodi Chronologicus, qui pro alterutro anno Juliano 42. vel 41. litteram infallibiliter dirimere poterat, deliquium videlicet lunæ ea nocte Jerosolymis spectatum, qua jussu Tyranni jam ægrotantis, & cum supremo morbo conflictati, Rabbinii aliquot exusti sunt, seditionis incentores ortæ in limine templi Jerosolymitani ob contractam Aquilam auream, quam Augusto dicatam foribus sacrarum ædium Herodes præfixerat, uti Josephus refert L. XVII. c. 8. sed characterem istum uterque annus iteratò signans ineptam reddit amphiboliæ tollendæ. Subductis namque calculis lunarium Eclipsium pro illo biennio compertum habeo ex Tabellis Hirianis, Plenilunium verum Jerosolymis anno Jul. 41. die 23. Martii media circiter hora post octavam vespertinam commissum esse, centraliter ferè deficiente sidere, adeoque lunaris iste defectus ab initio ad finem in Horizonte Jerosolymitano spectari potuit. Phænomenon æquale alterum exhibuit dies 15. Septembris anno eodem, quando dimidia penè hora ante mediam noctem solymis centrum umbræ terræ meditullium disci lunaris subiit. Anno autem 42. die Martij 13. horâ matutina tertiâ defectio lunaris contigit in sacra urbe integrè conspicua luminari ultra IX. digitos obscurato. Denique hoc ipso anno Septembris die 5. aliud lunæ deliquium accidit mediam sui partem Eclipsatâ, sed illud Hierosolymis invisibile, quippe Plenilunio altera post meridiem hora ibidem celebrato. Notandum autem propter Calendarij Juliani labem præpostera Mystrarum intercalatione inductam biduo succidendos ante notatarum Eclipsium dies. In usu siquidem communi, die genuini seu à Julio Cæsare primitus instituti Calendarii vigesimo tertio, tantùm numerabatur ejusdem mensis dies vigesimus primus, & sic de diebus cæterorum lunæ phænomenùm. E quibus facile colligitur astronomicum hunc characterem sinè tempore & specie Eclipsis à Josepho relatum, nil conferre ad litem pro alterutro anno diremptionem. Quòd verò censeam anno Juliano 41. præferendum quadragesimum secundum, sequentia me movent.

10. Herodes ante diem suum extremum inaudita crudelitate in Bethleem & vicinia infantes omnes occidi iussit à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat à magis. Matt. II. 16. ut nimirum hac ratione è medio tolleret biennio circiter antè natum Regem Judæorum sub finem scilicet, ut postea videbimus, anni Juliani 40. quare non 41. sed 42. Jul. Cæs. anno Tyrannus vivis ereptus est, 20. Scribit Dio L. LV. accusationem & relegationem Archelai contigisse Coss. M. Æmilio Lepido, & L. Arruntio, videlicet anno Jul. 51. Josephus verò L. XVII. c. 15. refert, Archelaum decimo sui principatus anno delatum fuisse apud Augustum & ab eo Viennam Galliarum missum in exilium. Idem verò Historicus L. 11. Bell. Jud. c. 6. memorat relegatum esse nono ejusdem principatus anno. Ne sibi ipsi in diversis locis Scriptor iste videatur contrarius, oportebit dicere, loco uno scilicet posteriore notatos annos novem completos, altero seu priore decem duntaxat cœptos, vel istos desumptos fuisse à regimine, quod statim adiit mortuo patre, priusquam Romam se conferret, & Dynastiam ab Augusto acciperet, illos verò novem ab obitavore Cæsaris ibidem regendi potestate. Si igitur Herodem vitam functum asseramus anno Jul 42. additis novem completis, vel decem, quorum ultimus necdum exactus, in annum Julianum 51. incidemus. 30. anno 42. Pascha Judæorum incurrit in diem decimam Aprilis, anno autem 43. in trigesimam Martij: cum ergo, ut paulò post dicitur, illico post coortam in Paschate, Herodis mortem insecuto, crudelem seditionem, editamque tumultuantium stragem, Archelaus in urbem se contulerit, menstrui minimum itineris intervallo Jerosolymis distantem, si mortuus Herodes anno 41. filius solum Romam venit circa medium Maii, si verò anno 42. mors illa consignetur, circa initium ejusdem mensis. Jam verò, quia Petavius alias adductus censet, Cajum prima vice in orientem contra Parthos movisse anno Juliano 42. alii verò scriptores expeditionem illam differunt in annum 43, si priore anno Archelai lis cum fratribus, cui Cajus interfuit, ut supra ex Josepho probatum, fuisset ventilata, probabilius est, hunc Romam in longinquas illas orientis plagas jam fuisse digressum, non item si anno posteriore causa Archelai fuit discussa, utpote necdum tam adulto vere: hoc igitur posterius dicitur connaturalius, quam illud prius. 40. Denique allata ex Josepho testimonia de annis Herodiani regiminis à determinato aliquo, eoque indubio tempore

pore melius videntur salvari adstruendo anno 42, quàm 41. Sic L. XIV. c. 7. refertur annum septimum Regni initi ab Herode incidisse in tempus victoriæ Actiacæ, seu omnium Chronologorum consensu in annum Julianum XV. subtrahere annos septem regiminis ab Epochâ secunda derivati, quibus jam post sublatum Antigonum Herodes gubernarat, ab integra illius Regni periodo seu annis 34, restabunt 27, & quidem completi, cum, ut statim probabitur, in Novembri Tyrannus mortuus sit, victoriâ autem Actiaca septembri occurrerit. Annis his 27, adiectis anno Juliano 15, resultat annus Julianus 42. Similiter, si anno sexto Jul. quo Herodi Senatûs Consulto Romano decretum Regnum Judaicum, addas annos triginta sex Regiminis à prima Epochâ computati (exeunte siquidem ejus anni Decembri illud Decretum emanavit, Tyrannus autem in Novembri periit, adeoque anno regni ipsi decreti trigesimo septimo necdum expleto) consequeris annum 42. Et si anno 9. quo circa solstitium æstivum capta Jerosolyma, adjungas triginta tres annos absolutos, vel à quadrimestri inceptos annos regni aditi 34, rursus in annum Jul. 42. incidet.

Videamus jam, qua anni 42. Juliani ætate vivis ereptus sit Herodes. Putarunt cum Deckerio Chronologi multi, itque non ignobiles, quibus & Godefridus Henschenius in Diatriba prælimin. T. 1. Aprilis ad stipulatur, putarunt inquam, id esse factum non multò ante Pascha illud, quo Romam perrexit filius Archelaus ad paternam sibi vindicandam hæreditatem, sed vel obiter legenti Flavium Josephum ea, quæ post Herodis mortem acta sunt, antequam prædictus Archelaus impisso per Azymorum dies in seditiosos integro exercitu, ad mare se contulit, in urbem profecturus, illicò apparebit, non circa Pascha, sed alia anni tempestate fatum Tyranni posteritati esse consignatum. Imò cum ab exustis die 13. Martii anni 42. Jul. qua Lunæ Eclipsis Jerosolymæ visibilis contigit, ut supra dictum, aliquot Rabbini, usque ad Pascha ejus anni 42. die decima Aprilis celebratum L. XVII. Josephus tot & tanta interferat, quæ viginti octo dierum spatio nequam videntur potuisse fieri, eo ipso in anni tempus longius productum mors Herodis necessariò differenda erit. Ita autem c. 10. citati libri Scriptor Judæus loquitur. *Rabbini exustis nonnihil remisit vis morbi, hoc rursus recrudescente vermes è carne scaturiebant, salutis tamen spem in medicorum ope positam habebat, quarum consilio aliis nequidquam adhibitis remediis ad thermas trans*

Jordanem deferrisse est passus. Ibi diu nocturne aquis calidis fovebatur: additum etiam olei balneum, in quo Tyrannus penè extinctus est. Inde Jerichuntem vectus crudeli edicto collectos ex omni Judæa nobiles, hypodromo concludi, ac sese extinguere contingeret, trucidari jubet, daturus Judæis in tot caronum funeribus veros luctus. Posthac reversis ab urbe nunciis non nihil respirare cepit. Tum iterum in deteriora lapsus Antipatrum filium, quem attentati parricidii reum patris potestati Romanus senatus permiserat, occidi jubet quinto ante suum interitum die. Post quem more gentium Archelaus parentem defunctum septem dies privatim lugeat: subin exhibitis populo epulis in publicum prodit, agit cum Judæis, qui facilitate aliqua in Archelao animadverta in dies majora postulare audent, donec tandem instante Paschatis festo excitata est crudelis seditio.

Tot, & tanta in ultimo Herodis morbo ab exustis Rabbinis usque ad paschalem istam secessionem Josephus interserit, ut nulli cordato fieri queat credibile, viginti octo dierum periodo transigi ea omnia potuisse, quot videlicet dies à 13. Martii deliquio Lunari insignita ad decimam Aprilis seu Paschatis festum effluxere. Rationes propius ineamus, ut res evadat liquida. die 13. Martii exustio Rabbiorum. 14. remissio vis morbi, 15. recruduit postliminio. 16. incipiunt scaturire vermes. 17. & 18. minimum, frustra adhibita remedia. 19. translatio ad thermas transjordanicas. 20. 21. 22. Balneatio diurna, ac nocturna. 24. deVectio seu iter Jerichuntinum, 25. edicti crudelis promulgatio. 26. 27. 28. Nobilium captura ex omni Judæa hypodromo conclusorum. 29. Nunciorum Romanorum adventus, & Tyranni idcirco refocillatio. 30. recrudescencia morbi 31. Antipatri cædes. Aprilis 5. Herodis interitus. 12. Exhibitio epularum publica post privatum Archelai luctum. 13. 14. 15. petitio populi immodica ob Archelai detectam facilitatem. 16. 17. Seditio Judæorum. 18, 19, 20. &c. dies Azymorum, cum tamen dies primus, quo azyma comedi cœptum jam decima Aprilis præcesserit. En omnibus ad arctissimos terminos reductis à Lunæ deliquio usque ad tumultus circa Pascha excitatos, dies saltè triginta octo requiruntur, cum tamen illis duobus terminis Eclipses & festi paschalis manifestè plures viginti octo non intercesserint.

Hinc cum stante historica veritate mors Tyranni longius à Paschate anni Jul. quadragesimi secundi debeat submoveri, Emmanuel

Schel-

Schelstrate Tom. 1. fol. 20. ex volumine Jejuniæ Hebræorum infert, necem illam die vigesima quinta Novembris esse signandam. Etenim volumen illud manifestè hoc ipsum indicat C. 9. pag. 45. ita loquens. *Septimo die Mensis Chisleu* (respondebat is dies vigesima quinta Novembris nostri) *festum fit, eò quòd mortuus fuerit Herodes, quoniam odio habuerat Herodes sapientes & in eo die, quo mortuus est Herodes, instituerunt festum diem.* Antiquissimum autem esse hoc volumen jejuniæ inde probat Schelstrate, quia cap. 12. & ultimo ad finem in eo legitur: *Et quis scripsit volumen jejuniæ? socii Rabbi Eliezer, Ben-chaninam, Ben-Ezechia, Ben-Garon. Scripserunt volumen de jejuniæ.* Floruit autem Ben-Garon tempore Ædis secundæ adhuc persistentis, scilicet non multò post fatum Herodis, ut Abbas Bartolocius docet part. 2. Bibliothecæ Rabbiniæ. Hinc nullus jure causari potest, volumen istud jejuniæ fortè novitium esse Judæorum commentum, ut de pluribus aliis compertum est.

Mortuo proin circa finem Novembris anni Juliani 42. Rege Idumæo, utique sufficere tempus pro iis consignandis, quæ antè ex Josepho sunt relata ab Eclipsi nempe Lunari die decima tertia Martii Jerosolymis conspecta, quin opus sit eam necem Tyranni differre usque ad Pascha anni sequentis 43, quod aliquibus Chronologis placuit.

Licet autem in vulgata Josephi editione habeatur, Mathatiam & alios aquilæ aureæ violatores *recens morti traditos fuisse*, (Rabbinos inter vulcano datos Mathatias iste fuit) indeque, ut notat Doctissimus Schelstrate, sequi videatur, modicum temporis inter seditionum combustionem & tumultum asseclarum illorum Doctorum intercessisse, *miror tamen* verba sunt Auctoris prælaudati, *viros eruditos non advertisse, verbum recens desiderari in græco apud Josephum.* Exhibet ille subin textum græcum, eumque ita vertit: *qui confestim ob metum illius* (nimirum Herodis) *cohibiti sunt lectu honorare aquila aurea violatores neci traditos.* Claret porro, Flavium hic non dicere, Mathatiam & socios *recens neci* datos, dum sodales eorum seditionem moliti sunt, sed simpliciter & sine additione illius adverbii, *morti traditos.* Ly autem *confestim* ita oportet intelligere, quòd tunc, quando combusti sunt Rabbinis non potuerint à sociis ob metum Herodis publicè deseri, sed illicò post mortem ejus, quando-cunque hæc fuerit demum subsecuta. Duplex itaque orta est seditio, una vivente Herode à Mathatia, & aliis Rabbinis suscitata, & ob istam

istam die Lunæ deficientis seu 13, Martii anni Juliani 42. in centores illius, eorumque assecclæ igni sunt traditi. Amici autem flammis consumptorum metu liberi post Tyranni obitum adornarunt novam seditionem ob socios, tam crudeliter antea in seditione priori, ex dejecta aquila originem trahente, vivis ereptos. Et ut refert Josephus, isti amicos Herodis ad necem quarebant, ut sapientum suorum injustis funeribus jure merito litarent. Cum verò Hebræus Historicus seditionem primam recenset, nullam mentionem ingerit Paschatis, bene autem, quando posteriorem tumultum refert: nam L. XVII. c. 10. ita loquitur. *Et Herodes quidem sic defunctus est. Archelaus autem per septem dies juxta patriam legem parentis luctu celebrato, & in fine luctus funebri epulo multitudini prabito in templum ascendit, tum conscenso suggesto sublimis in aureo solio residens accipiebat latus gratulatrices voces favoris indices.* Subin, ut nuper dictum, cum Judæi facilitatem aliquam in Archelao animadverterent, regimine tyrannico patris ejus exasperati, ac præcipue crudeli supplicio Rabbinorum suorum, in dies majora à novo Rege postulare ausi sunt, donec *instante Paschate* anni nimirum Juliani 43. excitata fuerit atrox seditio, in qua tumultuantes per ipsos azymorum dies conglobati ad mortem postulabant Herodis amicos in ultionem Doctorum suorum Judæ & Mathatiæ. In hos igitur totum exercitum Archelaus immisit, ac postquam turbam dissipasset, cæsis illorum tribus milibus, ad mare descendit, Romamque navigavit, quod paternum sibi regnum confirmari impetraret. Imò ob delationem Archelai à Varo Syriæ Procuratore Romæ factam, eo quòd Augusti injussu, aut potestate ab eo nec petita, nec accepta se Regem proclamasset, illuc à Cesare fuerat evocatus, quò etiam post Pascha eodem suadente Varone, ut morem Casari illicò gereret, conscensa navi se contulit. Ex hætenus dictis ferè, ut Josephi calamus exaraverat, è scriptoris hujus Libro cit. relatis, factis colligitur, Herodem non esse in Paschate mortuum, sed multò post, cum scilicet post dies azymos anni 43. Jul. Archelaus primùm in urbem profectus sit, ibique Augusto, se stiterit. Hic adhibito etiam in consilium Cajo Agrippæ & Juliæ filia suæ filio in favorem hominis causam decidit. Si ergo hic Cajus undeundè demum evincatur anno Juliano 43. Româ in Majo abfuisse (Petavius Caji profectionem anno isti tribuit non tamen addito mense, Schelstrate verò illam consignat anni seq. 44. initio) si inquam id probe-

tùr,

tur, mors in Novembri anni Juliani quadragesimi primi erit reponenda. nam & isto anno occurrere binæ eclipses diebus 23. Martii, & 15. Septembris, ambæ in Horizonte Jerosolymitano, ut supra dictum, visibiles.

CAPUT V.

Ostenditur veros Christi Natales in anni Juliani 40. finem incurrisse, adeoque in annum Æ. M. 3995. juxta sectione prima traditam Chronotaxin, seu anno quinto ante vulgarem Christiadam æram à Dionysio Abbate inductam.

SI ea quæ tum sectione præcedenti, tum istius sect. capitibus quatuor, præsertim primo de 33. vitæ annis à Redemptore in carne mortali expletis sibi probè consent, nulla porro de anno Nativitatis Dominicæ superesse potest controversia, aut dubitatio: Ostensum siquidem, annum 29. Æ. V. seu 74. Julianum ad diem decimam octavam Martii à calendis Januariis devolutum, vivifica Salvatoris morte esse decorandum; subtractis inde annis 33. vitæ Christi expletis in annum Jul. 40. incidet, eumque exeuntem, cum ex communissima Chronologorum, & Fidelium universali persuasione, nec non ipsa, ut longè probabilior sententia tenet, Ecclesiæ traditione certum sit, diem nati verbi Divini fuisse vigesimam quintam Decembris Calendarii Jul. Cæs. à Mystis tunc corrupti, & usu recepti, triduique capedine à placitis genuini Calendarii Romani, distantem.

Paschata insuper quatuor transacta à Christo Duce post susceptum Baptisma anno ætatis suæ ferè trigesimo, uti ostensum cap. I. hujus sect. veros Domini Natales anno quadragesimo Jul. esse consignandos evincunt. Detractis siquidem annis penè triginta, uti & triennio cum trimestri circiter, anno Juliano 74. fluenti, ad finem anni 40. devenies.

Feria itidem tertia juxta D. Augustinum in vigesimam quintam Decembris incurrens, cum ejusdem S. Doctoris asserto Epiphania Domini die VI. Januarii celebrari in Ecclesia Christiadam solita

R


in


in ipsum diem Dominicum illapsa sit, ut alibi dictum, hæc inquam fer. III. nullum alium annum, quo orbis Restaurator Bethlehemum incunabulis suis nobilitarit, quam 40. Julianum designat, ut videre est in Tab. cap. 1. sect. anteced. exhibita, ubi littera Dominicalis G. anno illi respondens diei 23. Decembris apponitur, adeoque Feriam III. pro die ejusdem Mensis 25. indicat.


Herodis præterea mors in Novembri anni 42. Jul. obita, & puericidium à bimatu & infra post inquisitum à Magis diligenter tempus stellæ, seu recens orti ex Tribu Jacob sideris, clarè docent, puerum JESUM uno amplius anno ante edictum barbarum Herodis innocentium, bimulorum circiter, imperantis cædem, fuisse orbi datum, anno videlicet 40. exeunte.


Multi Chronologorum cum Antonio Pagio autumant, annum hunc quadragesimum Servatoris Natalibus esse tribuendum ex Quirini, seu ut D. Lucas vocat, Cyrini Syria Præsidis censu ab Augusto, quò totus describerecur orbis, in Palestina quoque institui jussu, variòsque afferunt nummos, atque eorum inscriptiones diversas, liquidò, ut ii Chronographi R.R. censent, ostendentes prædictum censum anno Jul quadragesimo fuisse actum. Verùm cum probatio hæc rei nummaria cognitionem non obviam possit, sed eam limatiorem, quam me destitutum hæcenus fateor, probatione illa abstinco, iis contentus, quæ ex supra dictis facile eruere valent nati Christi annum quadragesimum Julianum, Æ. M. 3995. constituto enim semel Passionis Dominicæ anno, & Christi vitæ annis triginta tribus completis ultra trimestre circiter tum auctoritate, tum ratione efficaciter stabilitis circa annum verorum Natalium mundi Reparatoris neque controversia porrò, neque dubium superesse poterit, quin illi exeunte anno Juliano 40. Æ. M. 3995. contigerint, adeoque quinquennio integro ante æram vulgarem Christiadam. q. e. o.











HIS

Th
4785